




Disputata Ratisbonae, In Altero Colloquio, Anno XLVI. Et Collocutorum Augustanae Confessionis Responsa, quae ibi coeperant, completa, De Iustificatione, & locis doctrinae Euangelicae omnibus, quos doctrina de Iustificatione complectitur. Tractata et Decreta de Concilianda Religione, in Comitijs, Ratisbonensi, Anno 41. Spirensi, Anno 44. Vuormacie[n]si Anno 45, & Augustano, Anno 48. Responsio ad Stephanum, Episcopum Vintoniensem, Anglum, De coelibatu sacerdotum & coenobitarum

<https://hdl.handle.net/1874/433472>



**Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell
Huybert van Buchell (1513-1599)**

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- de rug van het boek
 - de kopsnede
 - de frontsnede
 - de staartsnede
 - het achterplat

**This book is part of the Van Buchell Collection
Huybert van Buchell (1513-1599)**

More information on this collection is available at:

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

F. qu.


112




33 101

x







N. S. C.

N. 23. 5

DISPUTATA

RATISBONÆ, IN ALTERO COL-
loquio, Anno XLVI. Et Collocutorum Augusta-
næ Confessionis RESPONSA, quæ ibi cœperant,
completa, De Iustificatione, & locis doctrinæ Euan-
gelicæ omnibus, quos doctrina de Iusti-
ficatione complectitur.

TRACTATA ET DECRE-

TA DE CONCILIANDA RELIGIONE,
in Comitibus, Ratisbonensi, Anno 41. Spirensi,
Anno 44. Vuormaciensi Anno 45. & Au-
gustano, Anno 48.

RESPONSIO AD STEPHANVM,
Episcopum Vintoniensem, Anglum, De cœli-
batu sacerdotum & cœnobarum.

IOAN. I.

VENI, ET VIDE.

PER MARTINVM BVCERVM.

I 5 4 8.



donatione Büchel.

ILLVSTRISSIMO, ET RE-

LIGIOSISSIMO PRINCIPI AC DO-

mino, Domino IOACHIMO, Marchioni Brandenburgensi, Sa-
cri Romani Imperij summo Cubiculario, & Principi Electori, Steti-
nens. Pomeranorum, Cassubiorum, & Vandalorum Duci, Burggra-
uio Nurmbergensi, &c. benignissimo Domino suo, incremen-
ta benevolentiae Dei, & Spiritus Domini nostri

IESV CHRISTI.



QVOTIES recordor, Illustrissime
ac religiosissime Princeps Elector,
Domine benignissime, recordor
autem idētidem ardētissimi studij,
& conatum sanctissimorum, nec
infelicitum, quibus amplissima &
benignissima Celsitudo tua primū Frācoforti An-
no 39. deinde Ratisbonæ, Anno 41. sinceram religio-
nis conciliationem, & piā Ecclesiarum pacificatio-
nem quaesivit, pacemq; optatam sustinuit, magnæ
id mihi est consolationi in his afflictis, & nostræ ad-
uersus immensam Dei erga nos benevolentiam in-
gratitudini respondentibus temporibus. Nec enim
dubito, tuam Illustrissimam & perpiam Celsitudi-
nem in hoc ipsum adhuc totis viribus incumbere,
ut vox Evangelij æternæ salutis, & pura & concors
ubiq; personet: doctrina nimirum, de nostri apud
Deum, per placatorem & propitiatorem nostrum Ie-
sum Christum, iustificatione, & in filios Dei atq; hæ-
redes adoptione, ut hinc gloriam omnes dent solū-
dam Deo in excelsis, & firma constituatur peren-
netq; pax in terra, hominibus ubiq; gratia & bene-
volentia Dei omnipotentis, in filio eius cumulatē et
perpe-

MARTINI BVCERI

perpetuò perfruētibus. Hæc uerò ipsa Illustrissimæ Celsitud. T. sanctissima cura, & unice salutaris molitio: tum etiã singularis illa beneuolētia, qua me iam inde à Francofordiensi conuentu est benignissimè complexa, me animarunt, ut Illustriss. & optatiss. bonis omnibus nominis tui tutelæ & patrocinio committere in animum induxerim, quæ nunc in lucem do, disputata Ratisbonæ in proximo colloquio, nostraq; ibi cœpta, ac postea absoluta responsa, ad ea collocutorum alterius partis argumēta, quæ illi non tam nostræ, quàm uniuersæ Christi Ecclesiæ confessioni de hoc ipso principe doctrinæ Christianæ loco, de iustificatione, coniunctisq; cum hoc loco quæstionibus in eodem colloquio obiecerunt. Cum etenim Illustrissima Cels. T. sit huius summi capituli doctrinæ Euangelicæ tantopere studiosa, sicut eius quoq; est intelligentissima, quod de seipsa tam præclare demonstrauit in eo libro, in quo Ecclesiarum suarum restitutionem descripsit: cur dubitarem eam etiã hunc qualemcunq; meum conatum, in explicanda, adserendaq; hac salutis nostræ doctrina proditum, boni cōsulturam: huiusq; ministerij mei, quod horum disputatorum absolute & editione præstare Christo Domino, & eius Ecclesiæ studiū bona fide et animo simplici, libēter suscepturum. Id tamen ut facere dignetur, etiã atq; etiã oro. Quas uerò ob causas nunc ista demum edo, quoq; ordine, & qua ratione profero: cur deniq; his adiunxerim non nihil de causis Colloquij cū cœpti, tum soluti, & earum disputationum, quæ inter nos de uia & modo colloquendi sunt habitæ, hæc uolo Illustrissima Cels. T. hic, & apud eam omnibus Christi studio.

EPISTOLA.

diolis, Christiana simplicitate exponere: utq; æquū de his iudicium apud pios bonosq; homines referā, uolo, sicut ex causa ipsa, ita & ab Illustrissimæ quoque Cels. T. æquissimo præiudicio, & patrocínio benignissimo expectare.

Percrebuit his dieb. Imp. Maiestatem, clemētissimum Dominum nostrum, & amplissimos Imperij ordines uelle religionis nostræ, cū reconciliatiōnem, tum instauratiōnem quæri & constitui per Synodum generalem liberā, & Christianā, in qua mota de Ecclesiæ doctrina & disciplina controuersia, & excutiantur, & componantur, idq; secundum D. Scripturas, & doctrinam S. Patrum. Ad huiusmodi uero Synodum prouocarunt pridem Ecclesiæ Christi, quotquot confessionem fidei nostræ, quam Imperatoris Maiestatī Augustæ obtulimus, sequuntur, si mulatq; cœpissent propter hanc confessionem, tam horrendis Rom. sedis, & aliorum præiudicijs condemnari religionis, Cū ergo sit omnium quicumque Christum Dominum uero corde inuocant, tum est hoc maximè eorum qui publica Ecclesiarum ob eunt ministeria, & in his potissimum Ecclesijs, quæ religionis Christi restitutionem moluntur, eoq; nomine tam iniquis premuntur iudicijs, eiusmodi Synodi non minus pium quàm necessarium institutū adiuuare, cum primis sanctis precibus: solus enim Spiritus sanctus, donum Patris cœlestis, inducit in omnem ueritatem: Deinde autem & monendo, atque quas liceat occasiones offerendo, quæstiones religionis nostræ primarias exactius cognoscendī, atque certius diiudicandī. His itaq; de causis, & mei esse officij sum arbitratus, pertexere tandem nostra in

MARTINI BVCERI

colloquio Ratisbonensi altero, cœpta responsa, de iustificacione, summo Euangelicæ prædicationis capite: & de adiunctis huic loco quæstionibus: eaq; præmissis suis in locis, ijs disputatis & obiectis, quæ collocutores alterius partis, contra nostram confessionē, & tum data responsa, obiecerunt, nunc maxime in lucem dare. Ista, quam diu expectatio fuit, ut uel cœptum Ratisbonæ colloquiū reintegraretur: uel aliud, cui ijsdem tamen adessent colloquutores, institueretur, inter priuatos parietes continuimus. Postquam autem ad generalem Synodum religionis controuersia omnes reijciuntur, sicut non dubitamus, hascē ipsas disputationes, religiosi & æquis animis lectas, aliquid collaturas, cum ad purgandum Ecclesias nostras, & nos, illarum ministros, de atrocissimis hæreseos criminibus, quibus tot iam annis prosciadimur, & opprimimur: tum etiā ad inueniendas ueras, certasq; uias, reconciliandas atq; instaurandæ religionis: ita præter officium meum, quod Christi Ecclesijs debeo, facturū ratus sum, si hæc ne hoc quidem tempore proferrem. In his enim disputatis, & responsis nostris, excussæ sunt, tractatæ & explicatæ sunt, quæcunque controuersia coherent cū dogmate de hominis iustificacione, quibus sanè continetur, quicquid ad solidam religionis & Ecclesiarū restitutionē requiritur. ut, Quid ualeat ad ambiendum, & recipiendum Dei gratiam, hominis ingenium nõdum iustificatum. Quomodo homo ad iustificacionem diuinitus præparetur, et trahatur. Quæ sit uera et salutaris pœnitentia, quæ eius opera, quid ue opera illa mereantur. Quid & quàm multiplex Gratia, Quid & quæ uera fides, Quæ Gratia

Tractata
in hoc li-
bro.

- 1
- 2
- 3
- 4
5. 6

tia & fides iustificatrix. Quid iustificatio dicatur et
sit secundum scripturam, & quottuplex. Quod fit
dei in recipienda iustificatione & retinenda officium.

Quam certam hanc esse salutis oporteat. Quæ et
quottuplex iustificati hominis iustitia. Quid spes
& dilectio, & quomodo hæ fidei individue adhe-
reant, & ex ea gignuntur. Quæ sint iustificatorum
bona opera. Quæ horum merces, quid ue illa me-
reantur. Quid S. Patribus mereri & merita dicantur.
Quæ sit iustitiæ & bonorum operum in sanctis
imperfectio, quæ condonanda horum impuritas.
Quod reliquum in sanctis, dum hic uiuunt, peccatum.
Quæ debeant in bonis operibus numerari.

Has inquam, & plerasq; alias, ad doctrinam de iustificatione, à qua Ecclesiæ restitutio pendet, pertinentes quæstiones, collatis aduersariorum sententijs, & argumentis, hoc Opere excusimus, & pertractauimus: atq; de his non tam nostram, quam perpetuam Ecclesiæ Christi sententiam atq; doctrinam protulimus: eamq; nō diuinarum tantum scripturarum, uerum etiam S. Patrum certis, clarisq; autoritatibus, iuuante Domino, adstruximus. Id quod plurimi piorum hominum propterea requirebāt, quod Aduersarij nostram doctrinam, tam confidenter impię nouationis, & cum doctrina S. Patrū, & superioris sanctioris Ecclesiæ doctrina, dissensionis, criminantur. Alioqui sunt à nostris scriptoribus pridem hæc omnia ex diuinis scripturis, sic solide, dilucide, copiose, & eleganter explicata, ut adijci à me quicquam operæ precium nullum fuisset. At quia necesse sit dicere, aut ueteres, aut nostras, non esse Christi Ecclesias, nisi constet, illas de primo hoc Euangelicæ doctrinæ capite,

10

Ex sanctorum Patrum sententijs ostensum, nostram et ueterum, eandem esse confessionem.

MARTINI BVCERI

capite, de iustificatione, hoc est de pœnitentia, & remissione peccatorum, in nomine Iesu Christi prædicanda, inter se consentire: existimarunt plerique fratrum, me Ecclesijs Christi hoc officium debere, ut in pertexendis responsis nostris, in colloquio cœptis, & ex S. Patrum sententijs planius facerem, quæ nos profiteamur, cum fide & doctrina ueterum haudquam discrepare. Qui etiam fratres hanc ipsam ob causam nunc maximè ad hæc nostra flagitarunt, cum Imper. Maiestati, & Imperij ordinib. placuit, ut post D. Scripturas, & ex S. Patrum scriptis ratio restitueretur Ecclesijs quæratur.

Cur aduersariorum obiecta hic inserta sunt.

Porro quod collocutorum alterius partis, & dogmata, & argumenta, in colloquio Ratisbonensi nostræ confessioni, eiusque explanationi, & defensionibus, huic nostro Operi inseruimus & excusimus, id nec illi ipsi collocutores, nec alij eorū nomine in sinistram partem accipere debent. Si enim eadem his collocutorib. adhuc placent, & defendi posse existimant, gloriosum sibi ducēt ea extare: nec ingratum habebunt, si quem illis fumum offudisse uidear, dari sibi hunc depellendi occasionem: siquidē autem illis Dominus dederit agnoscere quæ in nostra confessione oppugnabant, esse cum D. Scripturis, & fide Ecclesiæ catholica cōsentanea, gaudebūt apertam esse uiam piæ confessioni.

Vt cumq; uerò hæc cadent, quis iudicet iniquum nos tandem Ecclesiæ Christi de nostris in eo colloquio actionibus satisfacere, qui tam diu iam, adeoque miserè, ubique Christiani orbis infamati sumus: ut qui nostram defendere confessionem nec potuerimus, nec uoluerimus: eoq; primùm uias colloquium frustan-

EPISTOLA.

strandī maliciose quæsierimus: cumq̃ id non succederet, illud turpi, & tam in Ecclesiam Dei, quam in Imp. Maiestatem impio ausu, tandē abruptisse, ac perquam foedē ex urbe Ratisbonensi profugisse. In sita est hominib. ea cū natura æquitas, ut quibusuis reis, & in quauis causa locus se defendendi benignè concedant. Quis igitur Christianus hoc iuris non libenter & prolixè concederet, tam multis Christi Ecclesijs, fidelibusq̃ illarum ministris, maxime tam exitiabilibus pressis criminibus, & in causa religionis? Cum ergo hoc certius poterit dijudicari, quid & uolumus, & potuerimus pro nostra Cōfessione in Colloquio dicere: dum utrinq̃ disputata iuxta considerantur & ponderantur: etiam iure legitimæ, ac concessæ omnibus defensionis, nobis permissum boni p̃ijq̃ uiri omnes agnoscent, aduersariorū obiectiōnes nostris responsionibus suis locis præmittere.

Ad hæc, cum illi collocutores nostri præcipue facti sint eruditionis, usus et autoritatis in sua parte, eorum disputata nostris collata, ad excutiēdas religionis controuersias & interea, & in Synodo haud contemnendam, nec ingratam bonis p̃ijsq̃ lectoribus adferent præparationem. Quocirca publicè quoq̃ profuturum non dubitamus, disputata hæc, hoc maxime tempore extare.

In quibus referendis, et inter se cōponendis, summam fidem & simplicitatem adhibui. Quæ illi contra nostram confessionem obiecerunt dictando, præter primam eorum actionem, cuius capita tantū inter dicendum consignauimus, omnia, ut illa excipere potuimus, fideliter reposui. Quæ uerò disputarūt in colloquio familiarī, ea quia uerbotim excipere nō

*Quomodo
inserta sunt
aduersario
rū dictata.*

potuimus, sententiatiim retulimus, idq; ea fide & diligentia, qua nostra semper referri uelimus. At tamen ne quid uideremur collocutorum nostro-
Quomodo relata sint rum dictis uoluisse uel adijcere, uel detrudere, in *disputata in* ipsis locis, quibus familiaris colloquij disputata refe-
colloquio fa- ro, diserte & aliquoties testatus sum, me representa-
miliari. re, quae excepta fuerunt a nostris, & ut excepta ab il-
 lis sunt: atq; ideo me nihil in his amplius, collocuto-
 ribus his nostris uelle adscribere, quam quae sua ip-
 si agnouerint. Nullum quidem argumentum nomi-
 ne illorum proposuimus, quod illi non obiecerint.
 Si quid autem de uerbis requirant (quanquam stu-
 duimus & haec ita representare, ut eorum argumen-
 torum uis omnis, & probabilitas, quammaxime ap-
 pareret) tamen si quid uel imprudentibus exciderit,
 siue quid relatum a me sit aliter quam ipsi uelint, ro-
 go ut sua ipsi reponant, & sinant interim nostra haec
 responsa ad ea modo argumeta ualere, quibus sub-
 iecta sunt, (quorumcunq; argumenta illa haberi de-
 beant: a permultis enim aduersarijs obijci nobis so-
 lent) & sinant ualere, id quod docti ad regnū Chri-
 sti in illis poterunt agnoscere. Sed non dubito illos
 libeter agnituros, & argumeta ipsa, & fidē nostram
 in his representandis.

Quomodo nostra re- Porro nostra responsa sic comparauimus, ut do-
spōsa hic re- ctrinam quam sequimur, exhibeamus cunctis Dei
posita sint. filijs, quoad liceat, solidius explicata. Etenim cū ista
 nostra responsa iudicanda offeramus pijs omnib. atq;
 adeo ipsi Synodo generali, atque offeramus ea pro
 pia & necessaria defensione tot Ecclesiarū, nostraeq;
 confessionis, quam non dubitamus esse Confessio-
 nem totius Catholicae Ecclesiae: partium nostrarum
 fuit,

EPISTOLA.

fuit, non tantum quæ antè diximus, & quo illa modo & numero diximus, hic referre: sed & dicta prius, ubi opus fuit amplius explanare, & his adijcere, quæcunq; afferre uideantur pondus aliquod eò, ut Christi doctrina pluribus commendetur, & Christi Ecclesiæ iniustis hæreseos criminibus liberentur. Collocutores nostri, sicubi putabunt se nostra reprehendere, uel his meliora subiicere posse, & debere, id rogamus etiam ut faciant, & maturè faciant: cumq; id poterunt hoc certius facere, atq; ad reuincendū nos accommodatius atq; efficacius, quo nostra habebūt accuratius enucleata, & copiosius exposita, etiā hanc nostram operam, qua nostra ampliauimus, gratā habere debent. At si cupiunt extare, sicut id nos optamus, ea quæ in colloquio per notarios excepta sunt, impetrent ipsi, quod puto eos posse, ut illa edantur.

Mallemus profectò, eā inter hos nostros collocutores, omnesq; eos qui nostrā cōfessionem iudicāt D. scripturæ nō per omnia consentaneā, et nos fuisse hæctenus, uel esse hodie, tantum coniunctionis, ut si cut nobis, ita & illis liberet, religionis nostræ controuersas excutere, communicatis inuicem scriptis, & sic ordine inter se collatis, ut utraq; pars suam sententiā, suaq; argumenta, suis ipsa uerbis proferret, suoq; loco aduersariæ sententiæ & argumentis opponeret, quo lectoribus omnium disputatorū cognitio et dijudicatio foret et faciliior, et expeditior. Hoc uerò dum non datur, ad id quod proximum est, ut uel quouis modo caput istud primarium doctrinæ Christi, de nostri iustificatione, utrinq; ad extremum excutiat, operam nostram harum editione disputationum conferendam nobis putauimus. Ab huius

MARTINI BVCERI

enim doctrinæ iusta cognitione, pendet tota religio
nis nostræ instauratio: nec difficile sanè erit, ubi de
hoc primario doctrinæ Christi capite in Domino ri
tè conuenerit, & sacramenta, & ceremonias cæteras
omnes, unà cum & cleri & populi disciplina, suæ san
ctitati & uigori salutariter restituere.

Quid enim sacramētis agitur aliud, quàm ut præ
dicata oblataq; Euangelio peccatorum poenitentia,
& remissio, hoc est, ipsa nostri iustificatio, cæteraq;
diuinæ gratiæ dona, exhibeantur & obfignentur?

*Vsus uerus
Sacramēto
rū & cere
moniarū o
mnium.*

Quid reliquis ceremonijs, quàm ut hæc gratiæ Dei,
& prædicatio & sacramenta, cùm administrentur,
tum percipiantur, & sanctius, & ad instaurandā pie
tatem efficacius? Ita nec alia opus est instauratiōne
disciplinæ, tam popularis, quàm clericalis, quàm ut
hæc ipsa iustificationis doctrina & religiosius & fru
ctuosius, tum prædicetur & audiatur Euangelio, tū
exhibeatur & percipiatur sacramentis, deniq; cōser
uetur atq; ornetur sanctis uitæ morib. & actionibus.

Quemadmodum igitur à restitutione huius sum
mi loci doctrinæ Christianæ, de nostri iustificatione,
tota religionis nostræ & incipienda & petenda est
recōcinnatio, atq; instauratio, et debēt propterea ad
loci huius elucidationē, & solidā explicationē cōfer
re, quicunq; Christi sunt, & regnum eius uerè expe
tunt: præcipuè uerò Ecclesiarum ministri, quisq; pro
se, summo studio, quicquid omnino conferre ad hæc
rem dono Christi poterunt: confido hanc ob rem, &
meum hoc qualecunq; ministerium, quod Ecclesijs
Dei in explicando & adserendo hoc ipso loco, præ
stare studui, amantibus regnum Christi haud fore
in gratum.

Nec

Nec illud his filijs Dei spero iri improbatū, quod causas simul in hoc opere commemoravi, huius instituti colloquij: easq̄, quæ de uia & ratione colloquendi inter nos intercesserunt, disputationes, postquam & hæc cognoscere necesse sit eos, qui uelint iudicare, an nos bona fide, sincero atq̄ constanti studio, ad institutam colloquutionem contulerimus, ueritatēq̄ in ea religiose inquirendæ & patefaciendæ operam dederimus: an hęc tractationē, diffidentes causæ nostræ, defugerimus, frustrationemq̄ eius simus subdolē machinati: cuius nos impietatis & perfidiæ aduersarij tam falso, quàm importunē, in alterum iam annum, & fando & scribendo, grauiter infamant. Quicquid certē in commemorandis causis colloquij instituti, & excutiendis legibus, de ratione colloquendi propositis, attuli in hoc scripto: id certē non eo feci, ut cuiquam obtrectarem, aut quenquam suggillarem, ulla de re: sed tantum eō, ut purgarem nos de ijs criminibus, quibus nos scimus coram Domino Deo nō teneri, tam impiæ scilicet perfidiæ & timiditatis, qua nos aduersarij criminantur, conatos iustum ac pium colloquium frustrari & defugere.

Reuerēdissimis sanē, & Illustriss. Dominis colloquij Præsilibus, laudem debemus, & fideliter confitemur, ubicunq̄ locus datur summæ æquitatis, & humanitatis, quàm & in colloquij gubernatione, & aliis nobis exhibuerūt. Nec dubitamus, quin Imper. Maiestas, Clementissimus Dominus noster, si quæ de ratione colloquendi, non tam nobis, quàm causæ agendæ, & Ecclesijs nostris, concedi petiuimus, & causas quæ nos ad petendum illa cōpulerant, per-

MARTINI BVCERI

nouisset, clemēter fuisset cōcessurus, utcūq; huiusmo-
 di de religione tractatus pridē sint admodū insolē-
 tes, & studijs diuersis atq; uehementibus obnoxij,
 ut perdifficile sit leges de his dare, sic ad omnium ne-
 cessitates, nedum uoluntates, libratas, quin aliqui
 grauari se illis querātur. Sed quid dicam? Nouit in-
 spector cordium Deus, quem hac in re iudicem ap-
 pello, nos sicut in colloquio agendo, ita etiā ea quæ
 egimus, hoc opere narrando, unum hoc spectasse, et
 quæsiuisse, ut quæ sunt Christi unici Seruatoris no-
 stri, ad salutem & honorem omnium, à filijs Dei cog-
 noscantur, & obtineant. Id quod haud dubiē agno-
 scent, qui hæc nostra quæ hic damus, pio & sincero
 animo legerint & cognouerint. Huic igitur simpli-
 citati & sinceritati, quam & in agendo, & in actis ex-
 ponendis præstitimus, atq; æquitati, quæ tamen in
 ijs colloquendi conditionibus inest, quas permitti
 nobis orauimus: tum ueteris Ecclesiæ, sanctorumq;
 Patrum auctoritati, quam in hac petitione secuti su-
 mus, condonabunt omnes pij & æqui homines; si
 quid non perinde ciuilitate, ac commodis uerbis, aut
 in actione ipsa proposuimus, & peregimus, aut in
 hoc Opere retulimus & commemorauimus.

Porro si interdum excidisse aliqua nobis uerba
 uideri possint subaspera, in nostros collocutores, ea
 pij lectores ipsi cernent; expressa esse nobis zelo
 haud irreligioso, defendendi certam Christi doctri-
 nam, & eas quæ hanc simpliciter sectantur Ecclesias,
 tam multas & amplas. Videbunt sanè me studuisse
 tractare rem ipsam simplicibus & religiosis uerbis,
 personisq; aduersariorum diligenter pepercisse: ta-
 men si qui putauerint, reprehensiones interdum in-
 cidisse

EPISTOLA.

cidisse acriores quàm deceat, ij perpendant, quàm inconsideratis illæ, ne dicam affectatis ueritatis, oppugnationibus, sint nobis tantū non extortæ. Tum conferant eas ipsas nostras reprehensiones, & quas existimarunt omnium uehementissimas, & magno pere dentatas, cum ijs criminationibus & cōuicijs, quibus nos Eberhardus Billikius & Cocleus & ante & post colloquium, publicis & priuatis scriptis, tam horrendè prosciderunt, & ad extrema supplicia deuouerunt: mirabor, si non libenter hi ipsi fatebuntur, nos in his nostris responsionibus, lenitatis & tolerantiae singularem curam habuisse, atq; cauisse studiose, ne maledicendo paria faceremus cum aduersarijs.

Dominus noster Iesus Christus, qui nos omnes sicut suæ & patris gloriæ, ita mutua inter nos charitati & summae consensionis suo precioso sanguine redemit, cōdonet omnibus nobis quicquid uspiam se in nobis non ex ipsius spiritu ingesserit: exuatq; nos penitus nobis ipsis, et induat seipso: repressoq; et depulso carnis spiritu, ut quæcunq; omnes cogitamus, molimur, agimus, uerè pertineant & cōferant ad ipsius illustrandum nomen, & amplificandū regnum, quo sublati tandem cunctis de religione dissensionibus, & correctis morum uicijs, occurramus nobis inuicem, et concurramus omnes in unitatem fidei et cognitionis filij Dei, inq; uirum omni pietate perfectum, plenè adultæ ætatis Christi, quo non solū nullus nos uetus erroneæ & impostricis doctrinae, uersutia & dolo hominū obtruse impellat: sed in uera uiuentes, & nos inuicē cōplectentes charitate, crescemus per omnia in caput nostrū Dominū Iesum Christum,

Ephes. 4.

MARTINI BVCKERI

stum, ex quo totum Ecclesiæ corpus coaptatum & coagmentatum, per subministrationis iuncturas, secundum admensam cuiq; parti efficaciam, sui ipsius instaurationem efficit, in dilectione.

Hæc itaque nostra, Illustrissime & religiosissime Princeps Elector, qualiacunq; sunt, aut habeantur, atq; me ipsum, qui quantumvis me aduersarij deformant, uerè tamen cupio Christo Domino & Ecclesiæ ipsius fidelem me et pacificum præbere ministrũ, Illustrissimæ Cels. T. patrocínio & tutelæ, qua par est summisione, etiam atq; etiam commendo: quã non dubito, qua est harum rerum Christi intelligentia, facile agnituram, me in his nihil quæsiuisse, aut egisse, quã ut redemptione Domini nostri Iesu Christi solidius cognita, plenius quoq; omnes perfruamur: restitutoq; inde apud nos potentius beato eiusdẽ Seruatoris nostri regno, & adiectis, iuxta ipsius promissionem, rebus expetendis omnibus, uitam degamus tranquillam & quietam, Deoq; & Patri nostro, & huic filio eius, regi summo coeli & terræ, unã cum utriusque Spiritu sancto seruiamus, in sanctitate & iustitia coram ipso, cunctis diebus uitæ nostræ.

PROV. 21.

Psal. 33

Hic Deus noster, & Dominus dominatium, qui omnium corda habet in manu sua, & dirigit ea quod ipse uult, formatq; in omnibus suo arbitratu, adsit benignus Imper. Maiestati, clemētissimo Domino nostro, Illustrissimæ Cels. T. cunctisq; huius Imperij proceribus, ut exempla sanctissimorũ regũ & principum, Dauidis, Asæ, Hiskia, Iosia, Nehemia, Constantini, Theodosij, Caroli magni, & similibum, feliciter imitati, restituendæ tam miserè prolapsæ Christi & doctrinæ & disciplinæ, ipsi manum admovent:

&

EPISTOLA.

& illis ipsis uis & rationibus, quas & Spiritus sanctus præscripsit, & hi laudatissimi populi Dei pastores sunt tam feliciter secuti: coactis scilicet S. Concilijs, & institutis pijs collationibus, eorum, quos ex fructibus cum doctrinæ, tum uitæ liceat cognoscere ad regnum Christi esse uerè cum doctos, tum animatos. Nec nisi fide uera uiuacq; colitur Deus: & hæc ipse tantum inspirat, & ex auditu uerbi sui, quod prodidit ipse nobis D. Scripturis suis. Hæ excutiendæ sunt, & hinc (ut Cōstantinus in magna Niceæ Synodo piè concionabatur Episcopis) petenda sunt, quæ nos in Christi religione sequi oporteat. Quid enim quarant, uiuant & spirent ij, qui de ordinario hodie & summo gloriantur sacerdotio, utinam nō tam palam omnibus esset: quibus det Dominus, agnosceret eadem, à regno Christi, quod sicut bona affert celestia, ita & terrena quoq; adijcit, nullam esse uel dignitatis, uel opum metuendam imminutionem. Princeps & optimus Pastor gregis sui, summusq; Sacerdos & Episcopus animarum nostrarum, IESVS CHRISTVS, colligat ipse, tueatur, & pascat suos omnes: Amen. Ipsi sit omnis gloria in æternum, Amē.

Argentorati, 20. Nouembris, Anno 1547.

Illustriss. Cels. T.

Deditiss. in Domino
famulus,

Martinus Bucerus, ex
ministris Ecclesiæ Ar-
gentoratensis.

SCRIPTURAE LOCORVM OBITER

hoc libro explicatorum Elenchus.

G enesis 15. locus, de Abrahā mo 297.300	faciet locū unicuiq; &c. 537
Gen. 22. Quia fecisti hanc rem, &c. 88	Matth. 5. Mercedem in cœlis habebunt 563
Deut. 25. Cum inter litigantes iudicandum est, iustum iustificet. 63	Matth. 12. Si oculus tuus nequam est, &c. 430
Iosue 6. Rahab cauponem, et domum patris eius, &c. 300	Matth. 19. Si uis perfectus esse, uide, &c. 83. 95
1. Samuel. 7. Præparate corda uestra Domino 417	Matth. 25. Venite benedicti patris mei, &c. 93. 95. 570. 574
1. Reg. 21. Nunquid uidisti quod humilis factus sit Achab coram me 81	Matth. 28. Ego baptizo te. 520
Esa. 5. Qui iustificat impium. 63.	Luc. 1. Erant corā Deo iusti. 268
Hieremiæ locus 18. 388	Luc. 3. Iustificauerunt Deum. 64
Ezech. 18. Quod si impius auersus fuerit 81	Luc. 11. Date elemosynam, & erunt omnia munda uobis. 400
Ezech. 18. Si pœnitentiā egerit, &c. 397	Luc. 17. Serui inutiles sumus. 600
Amos 4. Præparare in occursum domini Dei tui 417	Luc. ult. Pœnitentiā prædicat, &c. 45
Iob. 9. Etiā si simplex fuero, hoc ipsū ignorabit anima mea. 468	Ioā. 5. Si crederetis Moysi, etc. 248
Prou. 16. Hominis est præparare animam 396	Ioan. 6. Nemo uenit ad me, nisi pater traxerit eum. 150. 416
Pro. 17. Qui iustificat impiū. 63.	Ioan. 6. Verba uitæ æternæ habes 454
Pro. 23. Beatus homo qui semper terret se 463	Ioan. 21. Hæc uerò scripta sunt ut credatis, quod Iesus, &c. 238
Eccle. 1. Noli esse sine metu. 464	Act. 8. Pœnitentiā itaq; age ab hac nequitia tua, &c. 81
Eccle. 9. Nescit homo utrū amare uel odio dignus sit 466	Act. 19. Veniebant, & cōfitebantur peccata sua 392
Eccle. 17. Omnis misericordia faciet	Rom. 7. Ex operibus legis non iustificabitur corā Deo, &c. 64
	Rom. 3. Iustificati per gratiam ipsius, &c. 275. 276
	Rom. 4. Operati uerò merces deputa-

I N D E X

putatur, &c.	583	mini	464
Rom. 4. Qui præter spem in spe credidit	197	Philip. 3. Omnia præ Christo damnis habeo. 318. 319. 320. & 321	
Rom. 5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris	279	1. Timoth. 5. Si quis suorum, & maxime domesticorum, &c.	249
Rom. 7. Concupiscentiam enim non nouissem, &c.	627	2. Timoth. 4. Bonum certamen certavi	eod.
Rom. 8. Deus est qui iustificat.	64	2. Timoth. 4. De corona reddenda	570
Rom. 8. Cum nobis ut implemus legem, per carnis infirmitatem impossibile esset, &c.	614	Iacobi 2. Abraham pater noster nonne ex operibus, &c.	88
Rom. 11. Si ex gratia, non ex operibus	601. 602	Iac. 2. De operibus Abraham. item de iustificatione Abraham.	294. 64. 65.
Rom. 13. Qui diligit alterum, legem impleuit.	84. 610	Iacob. 2. Beatus uir qui suffert temptationem, &c.	564. 565
1. Cor. 13. Si habuero fidem omnem, &c.	128	2. Pet. 1. Quapropter fratres, magis satagite, &c.	88
1. Cor. 14. Si omnem fidem habeam, &c.	450	2. Petri 1. Studete firmam facere uocationem uestram	471
2. Cor. 4. Momentanea & leuis afflictio, &c.	569	1. Ioan. 2. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris	602
2. Cor. 5. Omnes etenim nos manifestari oportet ante tribunal Christi	83	1. Ioan. 2. In hoc cognoscimus, &c.	249
2. Cor. 7. Dolor qui secundum Deum est, operatur poenitentiam	371	1. Ioan. 3. Nos scimus quod transiimus de morte ad uitam.	85
Gal. 4. Quando uero uenit plentudo temporis, &c.	226	1. Ioan. 3. Fiduciam habeamus ad Deum, &c.	223
Gal. 5. Dilectio malum non operatur	84	1. Ioan. 4. Deus charitas est.	86
Gal. 5. Quod nunc uiuo in carne, in fide uiuo filij Dei	543	1. Ioan. 5. Qui manet in dilectione, &c.	331. 332. 333.
Gal. 5. Alter alterius onera portate	610	Heb. 11. Fide in promissionem, &c.	297
Philip. 2. Cum timore & tremore uestram ipsorum salutem operamini		Heb. 13. Beneficentiae autem, & communicacionis, &c.	88

RERVM ET VERBORVM

Index.

A bsoluti peccatis per deū, cur absoluūtur etiā ab Ecclesia	393. 521	Bonitatis diuinæ gustus unde.	503
Achabi poenitētia cuiusmodi.	295	Catholici	36. 110. 111
Amor omnis ex cognitione, uel opintone uirtutis	454	Ceremoniarum uitia.	656. 657
Aphricana concilia	616	Charitatis Dei ex fide & spe.	206
Apprehensionis uerbum ubi tra- ditum sit in diuinis literis.	524	charitas quomodo legem implet.	458
Arbitrium liberum quomodo ad iustificacionem concurrat.	360	charitas negotiosa	538
Augustinus, quomodo charitatē nostri in deum intelligit.	280	charitas non uiuificat	542
Augustinus undecim annos deum contempsit	409	charitas nostra in Deum, iustifica- tionis effectus	289
Augustini cōuersio ex lectiōe D. Pauli perfecta, in fide iusta.	404	charitatis efficacia	488
Augustini dictū, credere in Deū, est credendo amare Deum, quo modo intelligendum	237	charitati quare nullæ tribuuntur partes in iustificando	538
Augustini distinctio inter crede- re Christo, & in Christum	235	charitate hominis bonitas perfici- tur & cognoscitur	438
Augustini opinio de fide Corne- lij.	398	Christi cognitionis excellentia.	322
Augustini sententia de non bapti- zatis	398	In Christiano omni est simul fidei cia de salute, & metus	480
Baptismatis uotum ad salutem sa- tis esse, cum Baptisma haberi non potest	398	christiano quo nitendum	226
Baptizati omni peccati reatu, nō autē omni peccato abluti sunt.	623	christiani ueri ignorare non pos- sunt, an uerē credant	485
Bernardus de meritis	97	Christianissimi ornamenta	321
Bibere uitam	521	Chrysofomi laus	281
		Chrysofomi libri de Compūctio- ne cordis	421
		Cognitio Dei uita aeterna	532
		collectæ puræ ueterū in memo- rijs Diuorum	594
		concupiscentia quæ dicatur.	635
		concupiscentia in sanctis reliqua, cuiusmodi	637
		confessio uera peccatorum quid.	374.

I N D E X

contritio Augustini summa et ul- tima	404	ctio, quemq; apud se fides. 450	
cor nostrum non esse in nostra po- testate	620	dilectio ex fide nascitur, non est igitur fidei forma	303
de Cornelij conuersione et fide		de Dilectione loca	210
Crederet Deo	237 (397)	diuorum intercessio quando ceper- rit	594 595
credere uerè quid	235	Donum gratiæ, reconciliatio no- stri cum Deo	282
credere quid præcise	eod.	Dubitare de promissis Dei, in fide litatis est	199
credere scripturis, Euangelio, Christo, in Deum et Christum, idem	eod.	dubitatio et fiducia quomodo pugnant de salute	482
credentium cōscientia turbatur, sed non perturbatur	507	Ecclesiastici emendandi	304
Cupiditas omnis interdicitur, in ultimo decalogi scripto ex cur- piditate habendi	636	Eccius taxatur	54
Deus iusto iudicio trahit ad filiū suum quos uult, eisq; huius iusti- tiam imputat	230	Eleemosyna quomodo præstan- da	436 437
deus reddit cuiq; secundum facta sua, et seruat tamen credentes, propter non ipsorū, sed Christi iustitiam	547	Fides an fide cognosci possit.	484
deus ipse sese debitorem fecit, do- nando delicta	554	fidei gratiæ Dei certitudo.	200
Deus quomodo ò nobis satis acci- piat	382	fides inanis non amatum Deum.	458
deum mandasse impossibilia, D. Bernhardus agnoscit	613	fides iustificationis	509
delicta nostre imperfectionis, et impuritas conuersationis.	617	fides initium iustitiæ	357
Dilectio Dei præcise quid.	208	fides mortua quid, et unde.	448
dilectio, res amandæ et expeten- dæ	466	fides per opera quomodo perfici- tur	297
dilectio apud homines pios ab im- pijs discernit, apud Deum ele-		fides quid. 444. 445. unde. 448	
		fides sanguinis Christi, crucis, mortis et resurrectionis eius.	338
		fides sine pœnitentiæ et doctrina bonorum operum tradi rectè non potest	253. 447
		fides testimonium spiritus sancti.	443
		fides uiua	46. 492
		de Fidei certitudine	197
		γ 3. fidei.	

I N D E X.

<i>fidei incrementum semper oran-</i>		<i>na opera</i>	48
<i>dum</i>	486	<i>iudicij Dei ueritas</i>	554
<i>fidei laudes</i>	209	<i>iudicia Dei non inquirenda.</i>	549
<i>fidei nomen multiplex</i>	67	<i>iustificamur per remissionem pec-</i>	
<i>fidei oēs uirtutes cohærere</i>	201	<i>catorum</i>	278
<i>fidei præceptum primum</i>	225	<i>iustificare & condemnare con-</i>	
<i>fidei proprium</i>	444.148	<i>traria</i>	194
<i>fidei sinceritas in morte & resur-</i>		<i>iustificare, & iustificari, quid.</i>	25.
<i>rectione Christi</i>	499	47. 63. 196. 124. 139. 272. &	
<i>fidei uis & uita unde</i>	303. 211	273. 292	
<i>fidem imputari in iustitiam, quo-</i>		<i>iustificari D. Iacobo quid</i>	296
<i>modo dictum</i>	228	<i>iustificatio quid, actiue, aut passi-</i>	
<i>fide sola iustificari, quid</i>	200	<i>ue intellecta</i>	327
<i>De fide infirmi & formata.</i>	452	<i>iustificatio uitæ</i>	195
<i>De fide speciali confessio</i>	518	<i>iustificatio cuius opus, & quale.</i>	
<i>Franciscus Romæus</i>	587	525. 292	
<i>Gerardus à Velduick</i>	639	<i>iustificatio Abrahæ ex operibus</i>	
<i>gloriæ Dei detrahit, qui dubitat</i>		<i>fidei & obedientiæ</i>	296
<i>de promissis Dei</i>	199	<i>iustificatio uitæ quid significet.</i>	
<i>Græcorum precesiones Ecclesia</i>		315	
<i>sticæ puriores</i>	592	<i>iustificationis perceptæ gradus.</i>	
<i>gratia Dei duplex</i>	75. 362	240	
<i>gratia infusa, imperfecta</i>	233	<i>ad iustificationem se prepara-</i>	
<i>gratia regenerationis imperfe-</i>		<i>re quid</i>	405
<i>ctior, quàm ut operetur officia</i>		<i>de iustificatione dicta Augusti-</i>	
<i>uitæ æternæ meritoria</i>	562	<i>ni</i>	285. 286
<i>gratia præueniens, concomitans,</i>		<i>in iustificatione an charitas uiuè</i>	
<i>& cooperans</i>	361	<i>ficet</i>	542
<i>gratiæ nomen quid significet.</i>	231.	<i>iustitia duplex, perfecta Christi</i>	
232. 277.	(mo)ynæ. 592	<i>& inchoata in sanctis</i>	73. 296
<i>Hostiarū nomine intellectæ elec-</i>		<i>iustitia nostra hic & impura, &</i>	
<i>teiunare ex Dei sententiâ, opus</i>		<i>imperfecta</i>	605. 582
<i>bonum</i>	433	<i>iustitia inchoata</i>	338. 364
<i>impij quomodo negent in corde</i>		<i>iustitia Christi quomodo habe-</i>	
<i>suo Deum esse</i>	244	<i>tur</i>	205. 222. 229
<i>innoationis incrementum per bo-</i>		<i>iustitia Christi quomodo niten-</i>	
		<i>dum</i>	

I N D E X.

dum	351	mini	508
iustitia inchoata	338	secundum meritū iudicare homi-	
iustitia fidei duplex	328	nes, quid	550.
iustitia Christi liberamur à pecca-		598	
tis	311	monasteria que probanda	657.
iustitiæ nostræ etiam ueræ, sunt		Niniuitarum pœnitentia	371
tenebræ, & abominandæ Deo		Omnis uox quid Apostolo signifi-	
per se	582	cet	450
iustitiæ imperfectæ quidam mo-		opera omnia mala in non rena-	
du, secundum quæ homines di-		tis	432.
cuntur perfecti	611	opera bona	97. 98. 99.
iustitiam Christi quomodo creden-		opera aliqua Dei cognitione &	
tes habent	229	studio, sed non solida fide facta	
iustum nihil, quàm quod Deus de-		contra Deum	407
creuit	548	operū Dei nos iustificantis ordo.	
Latroni quomodo iusto Dei iudi-		287. 527	
cio adiudicata paradifus	550	opera bona ex fide necessario pro-	
legem in suis implet Christus, quo-		manare	655
modo	614	opera bona nulla esse, nisi que	
legem implere quid	609	à Deo præcepta	656
leges impletu impossibiles impo-		opera nostra an sufficiant ad uitæ	
nunt suis, omnes boni princi-		eternæ meritum	615
pes, patres, & præceptores.		operum omnis merces ex gratia	
265		Dei & merito Christi, nullo	
De Manasse pœnitentia	396	uerò condigni operantium me-	
manuum impositio	522	rito retribuitur	564
mereri quid significet	589	operum in specie bonorū tria ge-	
merces quid	583	nera	402
merces nostra gratia uocatur.		operibus iustis peccata purgan-	
432		tur	375
merces duplex, debita, & non de-		operibus extra gratiam debeur	
bita	593	gehenna	561
meritum condigni nulla ratione		operibus honestis contra fidē fa-	
operibus attribuitur ex gratia.		ctis illuditur Deo	406
564		De Operibus supererogationis.	
meritum credētium miseratio Do-		382.	

Origi

I N D E X .

Originale malum mentem quoq;		quo tempore impuritas irrepse	
oblesit	636	rit	594
Parrhisia ad Deum quid.	224	Qualitas uitiosa	626
Peccare quid	619	de Rachab iustificatione	300
peccare in bonis operibus quid.		reparationis nostræ ordo	226
1620.582		reprobi qui	483
peccatum inhabitans in nobis, quo		Sancti nulla sua iustitia, sed fide	
mado sit contra legem	622	uiuunt filij Dei	543
peccatum quid.	609. 644	sanctorum bona opera	608
peccatū semper inheret sanctis.		sanctorū iustitia. 268. triplex. 341	
228		sanctorum iustitiæ omnes ut pat	
peccatū reuiuiscere cur. dicatur.		nus menstruatæ	342
628		in Sanctorum uolūtate semper el	
peccata infirmitatis quæ	438	se uitia	617. 637
peccata ad mortem	617	sanctos multis dubitationibus de	
peccatorum genera tria. 619. 626		promissis Dei exerceri.	482
peccatorū genera quatuor remis-		satanæ insidiæ cauendæ	485
sibilia	548	satisfactio	379. 380. 381
Relagianorū tria dogmata.	604	Scripturarum diuinarum autori-	
perseuerantia sanctorum in fide.		tas	31
504. 516		in Scripturis an omnia sint ex-	
Pœnitentia uera non nisi ex fide.		pressa	659
372		Sola, uox	69. 252. 253. 523.
pœnitentiâ unde agnosceda.	488	Spes præcise quid. 208. unde	488
pœnitentiæ signa ex opera.	375.	spiritus fidei	218
377		spiritus uitæ in Christo	238
pœnitentiæ agenda iustum tem-		Superbiæ uitium insidiari uirtuti	
pus	376	bis	484
pœnitentiæ actus	384	Terullianus de pœnitentiâ.	374
pœnitentiâ agere quid	373	Timori & dilectioni quæ tribu	
pœnitentiâ salutaris quæ.	370	tur	210
Preceptorum Dei obedientia, o-		trahere patris ad filium	416
fusus Spiritus sancti	225	Vita æterna quid	534
præmia Dei merces uocatur, sed		uita fidei	328
non debita	588	uita in Christo quid	328
in Preces Ecclesiasticas unde &			

F I N I S .

QVA OCCASIONE COLLOQVIVM
 alterum Ratisponæ Anno 1546. habendum, institutum: & quid
 de causa religionis decretum sit, in prioribus Comitijs Ratispo-
 nensibus, celebratis Anno 41. & in Comitijs Spirensibus, habi-
 tis Anno 44. & in Comitio Vuormatiensi, quod cœ-
 ptum est Anno 44. & finitum
 Anno 45.



IN Colloquio Ratisponæ habito Anno
 Domini M. D. XLI. fuerunt conciliati
 aliquot, & præcipui sanè articuli doctri-
 næ Christianæ: eosq; Imp. Carolus V.
 deliberationi Ordinū Imperij tum pro-
 posuerat, ut qui recipi ab ordinibus Imperij, tanquā
 Christiani, & per Germaniam publicari possent, ob-
 seruandi saltem usq; ad Concilium in Germania cele-
 brandum, quo interim & minus esset inter Status Im-
 perij dissensionis, & uia ad plenam consensionem eo
 pacto muniretur.

Hos articulos ita recipi debere per Imperium Ger-
 manicum consuluerunt, & petierunt, concilium Ele-
 ctorum, concilium Principum atq; Ordinum Prote-
 stantium, & concilium liberarum & Imperialiū Re-
 rumpublicarum. Cum uerò horum sententiæ obsiste-
 ret Pontifex Romanus, & Principum reliquorū con-
 ciliū, effectū est, acta ut Colloquij uniuersa reiecta sint
 ad dijudicationem Cōcilij liberi & Christiani, uel ge-
 neralis, sed in Germania celebrandi: uel nationalis:
 uel Comitij Imperialis, intra menses 18. à fine huius
 Ratisponensis Comitij habendi. Hæc in actis Comi-
 tij huius Ratisponensis descripta habentur. Verūm
 usq; ad Comitium Spirense, habitū Anno 44. nihil de
 hac causa religionis actum est. In ipso etiam hoc Spi-

A rensi

*Decretum
Comitij Spi-
rensis Anno
Domini 44
celebrati.*

rensi Comitio nihil aliud in hac causa decretum est, q̄
ut altera Comititia, in proximè sequenti autumnno uel
hyeme haberētur, in quibus hæc una Religionis cau-
sa agi deberet. Ad quæ Comititia Imperator ordinibus
Imperij recepit, se curaturum, ut interim per uiros do-
ctos, bonæ conscientiæ, æquos, honesti & pacis aman-
tes, componeretur formula aliqua Christianæ refor-
mationis. Atq; ordinibus Imperij, ut idem per suos fi-
eri curarent, detulit. Hasq; formulas decreuit, in illis
Vuormaciensibus Comitijs, ordinibus Imperij pro-
ponere, atq; cum eis de amica & Christiana concilia-
tione tractare, qua' nã ratione, & quo pacto res Eccle-
siastica, donec liberum & Christianũ in Germania
Concilium celebraretur, & re ipsa de his controuersijs
constitueretur, administrari deberent, quantum atti-
net ad ea quæ in religione nostra sunt controuersa.
Quo scilicet graues illi abusus, qui irreperũt, interim
emendarentur: & damnosa illa Religionis dissensio,
& distractio, & consecuta hinc ordinum Imperij mu-
tua diffidentia, simultas, & alienatio imminuerentur,
& impendentia Germaniæ pericula, damna, & interi-
tus auerterentur, & cauerentur.

*Vt Pontifex
omnino necessarium
propositũ, Pontifex
Rom. per suos, & quos
Roma in hoc ad Impera-
torem misit, & quos
in Germania sibi adhuc
habet addictos, incredi-
bili importunitate auer-
tit, & irritum fecit.
Extant publicè ea de re
dira & impia Pontificis
ad Imperatorem scripta:
extant etiam uera & reli-
giosa ad ea responsa.
Hinc factũ est, ut in
Comitijs illis Vuorma-
ciensibus, quæ cœperunt
Anno 44. in Octobri,
& finem acceperunt
anno sequenti in Augu-
sto, nihil, non solum de
reilgione, sed nec alijs
de rebus Imperij consti-
tuerit,*

Hoc autem pium, & conseruandæ salutis Germanie
omnino necessarium propositũ, Pontifex Rom. per
suos, & quos Roma in hoc ad Imperatorem misit, &
quos in Germania sibi adhuc habet addictos, incredi-
bili importunitate auertit, & irritum fecit. Extant pu-
blicè ea de re dira & impia Pontificis ad Imperatorem
scripta: extant etiam uera & religiosa ad ea responsa.
Hinc factũ est, ut in Comitijs illis Vuormaciensibus,
quæ cœperunt Anno 44. in Octobri, & finem accepe-
runt anno sequenti in Augusto, nihil, non solum de
reilgione, sed nec alijs de rebus Imperij constitui po-
tuerit,

tuerit, præter hoc unum, quod Imperator rursus recepit, se uelle instituere amicum & Christianum colloquium: ac deinde Comitium habere, quod simul indictum Ratisbonæ ad Epiphaniæ hoc Anno 46. De hoc uerò colloquio decreuit ad hunc modum.

DECRETVM ET CONVENTVM

Imp. Maiestatis, & ordinum Protestantium, de colloquio Ratisbonensi altero, ad uerbum redditum, ut habetur in Prorogatione Vuormaciensi.

Quia de conciliatione Religionis non potuit hoc tempore tractari, nedum constitui, & quo hanc necessariam conciliationem adhuc bono ordine, & quamprimum id possibile sit, promoueamus, obtineamus, & re ipsa constituamus, uisum est nobis fore, ad promouendam hanc conciliationem, utile & bonum, rursus instituere, & Comitio indicto præmittere Christianum colloquium, & collationem aliquot hominum proborum, timentium Deum, æquorum, & commo-

Causa colloquij.

Quales collocutores.

Præsidentes. Numerus collocatorum auditorum.

Tempus colloquij.

De quibus et quomodo colloquendum.

Idemque ita, et ad hunc modum, ut nos, tanquam caput, deputemus unum, aut plures præsidentes: Inde quatuor nostræ, ab antiquo ad nos delatæ religionis, colloquentes, & quatuor auditores: & ad eundem modum ordines Augustanæ Confessionis totidem, hoc est, quatuor colloquentes, & quatuor auditores nominatim deligant, & abhinc intra quintum Septembris proxime futurum, eorum ad nos nomina mittant.

Hi uerò Præsidentes, colloquentes, & auditores, debent Ratisbonæ certò adesse in festo D. Andrea, id est, ultima Nouembris, ac quamprimum causas & articulos controuersæ religionis cum Deo tractandos suscipere, atque Christianè & amicè inter se, quoad fieri potuerit, constituere consensionem, in ijs omnibus

A 2 rebus,

In quo constituenda consensio.

Quò spectare colloquentes debeant.

Relatio omnium actionum colloquij perfecta faciend.

Finis ultimus colloquij.

rebus, quæ sint consentaneæ sacre Scripturæ, & cõmò dare poterunt ad ædificationem Ecclesiæ, & correctio- nem abusu. Et in hoc tractatu debent solam Dei gloriam, & Ecclesiæ unionem & reformationem pro- positam habere, & spectare, nec pati se in eo ulla re im- pediri, aut remorari.

Debent præterea nobis, & communibus Ordí- nibus Imperij, in indico iam Comitio perfectã face- re relationẽ, omnium suarũ in colloquio actionũ, quo- modocũq; illæ peractæ fuerint. Quo nos deinde cum communibus ordinibus Imperij, & de conciliatis per colloquentes, & non conciliatis articulis concordiam statuamus, atq; deliberemus, & perpendamus, quid nobis præterea in his rebus factò opus sit: quo omnes causæ & controuersiæ queant tandem ad amicã, Chri- stianam & plenam unionem, & consensionem, pro- ut res poscit, promoueri, & perducì. Ad quæ eos ex officio cum omni beneuolentia, & paterna fide, esse adiutores cupimus.

**PROTESTANTES VTCOLLO-
quium haberetur consenserunt, & suos ad
illud designarunt.**

Qvanquam autem hæc colloquendi ratio fuerit pie & prudenter cõstituta, tamẽut tale colloquiũ habereẽ, Status Romano Pontifici adhuc addicti cõ- sentire noluerunt. Adeò ubiq; obliſtit sedes ista Ro- mana pijs reformationis Ecclesiasticæ, & conciliandẽ in Domino Germaniæ conatibus.

Quanquam autẽ Ordines Protestantes, nullam, uel perexiguam spem haberent alicuius commodi ad Ecclesiam Dei ex hoc colloquio peruenturi, eo maxi- mẽ quòd cæteri Status, cum quib. in primis opus est de religione concordiam statuere, ut huiusmodi collo- quium

quū haberēt non cōsenserunt, suos tamē ad illud designarunt, & colloquutores & auditores, eorumq; nomina Imperatori miserūt. Colloquutores nominarūt:

- Philippum Melanchthonem,
- Martinum Bucerum,
- D. Erhardum Snepfium,
- Ioannem Brentium.

Auditores:

- D. Franciscum Burckhardū, consiliarium illustriss. Electoris Saxoniae.
- Gen. D. Vuolrhat, Comitem à Vualdeck.
- Balthasarē à Guldlingen Eq. illustriss. Principis Vuirtenpergens. consiliarium.
- Hieronymum Baungartnerum, patricium & senatorem Nurnbergensem.

DE ADVENTU COLLOCUTORUM & Auditorum confessionis Augustanae.

Ex his D. Erhardus Snepfius, & Balthazar à Guldlingen adfuerunt Ratisponae ad Cal. Decembris. Mox aduenit & Brentius. nondum enim ad eos peruenerat, quòd Imperator tēpus Colloquij usq; ad 14. eius mensis prorogasset. Ad quod tempus & ceteri collocutores, & auditores Protestantium, quia de prorogatione Imperatoris edocti erant, Ratisponam aduenerunt, exceptis Saxonicis, quos remorata est aduersa ualetudo Philippi Melanchthonis: et quòd ex certis causis, an habendum esset colloquium, incidit quaedam dubitatio.

Curauerat autem illustriss. Princeps Elector, ut sibi indicaretur aduentus praesidium Colloquij, quo & suos quamprimum exhiberet: quod & factū est. Pro D. Philippo tamen, cum eius ualetudo nondū esset factis cōfirmata, & Schola Vuittenbergensis eius praesen

6
tia agrè careret, misit collocutorem D. Georgiū Ma-
torem, doctorem Theologiæ: & pro magistro Fran-
cisco Burckhardo, qui in conuentu Protestantium
Francofordiano detinebatur, auditorem D. Lauren-
tium Zochium, Ll. doctorem.

DE ADVENTV PRÆSIDVM

Colloquij, & Collocutorum
alterius partis.

AD Cal. Ian. aduenit Ratisponam primus Collo-
quij præses, Episcopus Aichstetensis: de quo cū
certior factus esset illustriss. Elector Saxonix, misit &
suum collocutorem, & auditorem. Qui dum in itinere
essent, aduenit etiam generosus D. Fridericus, Comes
à Fürstenberg, Vuerdenberg, & Heyligenberg, alter
præses. Mox aduenerunt & Saxonici. Colloquutores
alterius partis aduenerunt partim antè, partim ad na-
talem Domini.

PRIMVS CONVENTVS DE INI-
tio faciendo Colloquio.

ITaq; 27. Ianuar. uocati per Præsides, cōuenimus ad
eos, collocutores & auditores utriusq; partis, cū ad-
iunctis duobus à nostra parte, in loco Curix Ratispo-
nen. ad id deputato. Adiūcti nostri erāt, Martinus Fre-
chtus Theologiæ licētiatus, & pastor Ecclesiæ Vlmen-
sis: & Ioannes Pistorius, pastor Ecclesię Nidanæ. Ter-
tius, magister Vitus, Ecclesiastes Nurnbergenfis ad
D. Sebaldum, morbo impeditus nōdum aduenerat.
Quæ causa & M. Friderichum Myconium, quartum
adiunctum nostrū, à colloquio hoc penitus abstinuit.

Episcopus Aichstetensis secum adduxerat patrem
Cœnobij Rehdorffensis, nobilem uirum D. Danie-
lem Steūberum, canonicum Vuirzburgensem, &
quosdam alios.

Vbi iussu Præsidentum confessum est, Præsides per Cancellarium Aichstetensem primùm commemorarunt, quàm inuiti hanc præsidentiae prouinciã suscepissent, ac quantopere eam fuissent deprecati. Verùm cum Imperatoriã Maiestatem, ne eos hoc munere orneraret, exorare non potuissent, debitam se Maiestati eius obedientiam non debuissent detrectare. Tum etiam se excusarunt de mora, quæ intercesserat, quod Colloquiũ non esset præstituto ab Imperatoriã Maiestate tempore inceptum. Deinde sunt nos Collocutores utriusq; partis adhortati, ut remotis omnib. animi perturbationibus, de conciliandis religionis controuersijs piè conferremus, & in eo Ecclesiæ & patriæ salutem & tranquillitatẽ fideliter spectaremus, & quaereremus. Postremò obtulerunt officium suum, quod omni cum æquitate præstare utriq; parti uellent, quo amicè & utiliter colloqueremur. Post hæc fecerũt prælegi subiectam rationem colloquẽdi, allatam ab Imp. Maiestate, ut dicebatur.

DE QVIBVS QVÆSTIONIBVS,
 & quo ordine colloquendum fuerit, Decretum Imp. Maiestatis.

Voluntas Cæsareæ Maiestatis est, ut cæteris omis-
 sis in Colloquio hoc tractet Confessio, in Comitijs Augustanis ab eidem Confessione adherentibus exhibita, Anno, &c. 30. cuius singula capita discutiantur, & inter colloquentes agatur, quid in ea recipiendum, quid ue reiiciendum eis uideatur. Et relatio fiat Maieitati ipsius, & Statibus. Sed tamen primi tres articuli Confessionis prædictæ omittantur, cum primus & tertius sint de Trinitate, & Incarnatione, in quibus nulla est controuersia. Secundus uerò de Peccato originali satis disputatus est, nec nunc opus est illum de-
 nuò

nuò agitari. At quoniam in Confessione Augustana sunt multi articuli, & diuersi quandoq; ad eandē rem pertinentes: primo agatur de Iustificacione, remissionē peccatorum, impletione legis, de fide, bonis operibus, necessitate eorum, & merito, &c.

Deinde de Sacramentis, & eorū uirtute in uniuersum: & etiam sigillatim de quolibet eorum, Baptismo scilicet, Eucharistia, & reliquis. Et præterea in singulis ea agantur, quæ de unoquoq; controuertuntur: ut in sacramento Eucharistia, de administratione Sacramenti sub altera, an utraq; specie, de oblatione, adoratione, &c. In Pœnitentiâ, de Cōfessione, & Satisfactione. Ad eundē modum de Matrimonio, ordine, & reliquis sacramentis. De purgatorio, & suffragijs defunctorū. De Veneratione & inuocatione Sanctorum. De reliquijs, & imaginibus. De uotis monasticis. De cœlibatu sacerdotū. De delectu ciborū. De ferijs, Litanijs, alijsq; ceremonijs, et Ecclesiasticis traditionib. & quomodo hæc obligent conscientias ad sui obseruationem. Postremò de Ecclesia, potestate Clauium, ordine Hierarchico: autoritate Episcoporum, Romani Pontificis, & Conciliorum.

PRIMA RESPONSIO COLLOQUIORUM
*utriusq; partis, de proposita ratione
 colloquendi.*

HAec ubi recitata essent, D. Petrus Maluenda Hispanus, theologus Sorbonicus, Imp. Maiestatis facellanus, respondit suo & collegarū suorum nomine, se uelle Imperatoriæ Maiestati libenter obtemperare, ac iuxta rationem ab Imperatoria Maiestate oblatam nobiscū amicè & sine affectione colloqui. Nos uerò, cum nihil adhuc audiuissemus constitutum de excipiendis actis Colloquij per notarios: & meritò
 perpen

201
perpendebamus, quib. collocutoribus essemus commiſſi (nam ante eam horam nihil adhuc certi cogno- ueramus, qui nam ex altera parte collocutores eſſent deſignati) petiuimus aliquod ad deliberandum de re- ſponſo noſtro ſpacium: quod datum eſt.

PETITIO PRIMA AUDITORVM

& collocutorũ Confeſſionis Auguſtanæ, ut acta omnia

Colloquij per notarios ab utraq. parte obla-
tos conſcriberentur.

CVM itaq. ſatis prouideremus, nos nullam omni- no religionis controuerſiã cum ijs collocutorib. quos obiectos uidimus, poſſe conciliare, utilitatẽ col- loquij cum illis in eo ſolo quærendam neceſſariò agno- uimus, ut illorum contra noſtram confeſſionem obie- ctiones, & noſtræ ad eas reſponſiones ordine conſcri- ptæ, & inter ſe collatæ, offerrentur finito colloquio Imp. Maieſtati, & ordinibus Imperij, alijsq. pijs homi- nibus iudicandæ. Re itaq. deliberata, reſpondendum præſidibus, & collocutoribus, atq. auditoribus alteri- us partis decreuimus, & altero die reſpondimus: Et nos rationem colloquendi ab Imperatoria Maieſtate propositam, ut capita noſtræ confeſſionis ordine ex- cuterentur, uelle ſequi: atq. colloquium in timore Do- mini, & cum omni moderatione atq. ſimplicitate inci- pere, ac proſequi, remota omni cõtentione, omni per- turbatione, cum animi, tum orationis, omniq. ſophi- ſtica. Daturusq. operam fidelem, ut quod ad nos at- tineret, hæc noſtra collatio conferret ad Eccleſiæ unio- nem, & reformationem: quem ſcilicet finẽ colloquio huic, Prorogatio Vuormaciensis præſcriberet. Nec quicquam aliud nos ſpectaturos, aut propositum ha- bituros, quàm gloriam Dei, Eccleſiæ ædificationem, & ſalutem patriæ.

*Quem ani-
mum ad col-
loquiũ obtu-
lerint collo-
cutores Pro-
teſtantium.*

B Porro

Porro, quo nostra collatio ad hunc finem unionis, & reformationis Ecclesiæ, re ipsa facere posset, oportere & nos utriusq; partis collocutores, atq; auditores, sicut & Prorogatio ipsa Vuormaciensis iniungit, in Comitij acta colloquij omnia, Imp. Maiestati, & Ordinibus Imperij, bona fide referre, & exponere. Id autem fieri rectè & plenè à nobis non posse, nisi exciperentur per notarios, quæ in colloquio ultrò citroq; dicerentur. Proinde nos rogare Præsides, ut uellent adhibere conscribendis actis Colloquij, duos ab utraq; parte notarios, ita ut & in Vuormaciensi colloquio esset factum, & cõstaret morem fuisse in ueteri Ecclesia.

Quod uerò peteremus & à nobis duos notarios ad excipienda acta deputari, nō idè nos facere, quòd notarijs, quos ipsi Præsides essent exhibituri, non satis fideremus: sed quod nos quoq; exempla actorum habere ad manum oporteret, quo possemus & actiones nostras in Colloquio magis ad propositum accommodare, & habere breuiores: et ea Principibus & superiorib. nostris in tempore mittere, quos nimirum necesse erat illa maturè expendere, & apud se statuere quid in Comitij de eis iudicare, & quomodo ex eis plenam religionis consensionem querere & constituere deberent. Esse enim has religionis controouersias, de quibus componendis agi hoc Colloquio & Comitio deberet, permultas, & uarijs atq; acerrimis disputationibus, cum per quotidianas cõciones, tum per scripta publica implicatas, ut omnino tempore aliquo opus esset, ut disputata de his ritè ponderarentur & dijudicarentur.

rentur,

Responsio

RESPONSIO PRIMA PRAESIDI
*dum, de excipiendis actis Colloquij per notarios,
 & de notarijs ab utraq; parte
 constituendis.*

AD hanc post exhibitam deliberationē responde-
 rūt nobis Praesides, & se uidere magnitudinem
 instituti negotij, atq; agnoscere, ad id ut Imp. Maiesta-
 ti de actis colloquij plena fiat relatio, opus esse nota-
 rijs: nec enim ipsos hoc negotij esse in se sumpturos, si
 ne actorum consignatione, nam superare illud uim
 ingenij humani.

Huius autem rei se moderationem eiusmodi adhi-
 bendā decreuisse: Cum de articulo aliquo cōuenisset,
 ut is à colloquentibus utriusq; partis conscriberetur,
 & subscriberetur, atq; ita conscriptus & subscriptus
 notarijs offerretur, Protocollo inferendus. Sin autem
 colloquentes de articulo aliquo inter se non cōuenis-
 sent, ut tum utriq; per se sententiā suam breuiter com-
 plecterentur, et summas rationes suas subijcerent, atq;
 subscriberent: ac ita utriq; suum proprium scriptum,
 ab ipsis autoribus subscriptum, notarijs offerrent, in
 acta publica describendū. Nam si singula dicta in Col-
 loquio conscribi deberēt, colloquium fore nimis diu-
 turnum & molestum. Addebant & hoc, compertum
 esse antehac in habitis Colloquijs, quòd non parum
 incommodi ex eo extitisset, quòd acta in Colloquio
 fuissent temerè sparsa. Iplis itaq; uideri consultum, ut
 de uia & ratione deliberaretur, & statueretur, qua di-
 cta & disputata in Colloquio continerentur silentio,
 donec ea Imperatoriae Maieitati, & Ordinib. Imperij
 fuissent exposita. Postremò proponebant, sibi uideri
 commodum, ut collocutio haberetur tantum tempore
 antemeridiano, ut colloquutoribus reliqua diei pars

*De silentio
 actorum in
 Colloquio.*

*De tempore
 colloquendi.*

vacua relinqueretur, ad instruendum & præparandum se ad sequentē actionem, quo omnia pertractare possent & breuius, & dilucidius.

ALTERA PETITIO COLLO-

quutorum & auditorum Confessionis Augustanæ, De

conscribendis actis Colloquij: & Responso, de

tacendis actis Colloquij, atq; tem-

pore colloquendi.

AD hæc, re iterum inter nos deliberata, & perpenso, quod nulla omnino nobis ex hoc colloquio posset expectari utilitas, nisi Imperatoriæ Maiestati, atq; Ordinibus Imperij, alijsq; pijs hominibus disputata, per fide dignos ordine conscripta, & iuxta se posita, afferrentur dijudicanda: iterū orauimus Præsides, ut statuere uellēt, acta per iuratos Notarios, ab utraq; parte deputatos, conscribi ordine omnia, ita ut in colloquio agerentur: causasq; nostræ petitionis prius breuiter perstrictas, paulò copiosius exposuimus.

Dicebamus, causas in hoc Colloquio agendas esse diuinas, contineriq; eis maximè & gloriam Dei, & salutem omnium electorū Dei: eamq; ob rem, ipsam Christi religionem à nobis poscere, ut in tractandis illis uersaremur summa cautione & diligentia: nec quicquam prætermitteremus, quod speraremus futurum ad id, ut doctrina Christi, ex harum rerum tractatione possit ab electis Dei & cognosci certius, & recipi facilius. In ipsa quoq; Prorogatione (cuius uerba recitabamus, & urgebamus) iniunctum esse, non Præsidentibus tantum, sed etiam nobis collocutorib. & auditoribus, ut in Comitij Imp. Maiestati & Ordinibus Imperij exponeremus, quæ in Colloquio inter nos acta fuerint. Atque id ita plene atq; perspicue, ut Imp. Maiestas, Ordinesq; Imperij inde possint statuere,

tuere, de uniuersa religionis concilatione, & Ecclesiarum reformatione.

Vt uerò Imperatoriæ Maiestati et Ordinibus Imperij disputata in colloquio, ad hunc modum & finem exponerentur, omnino esse necessarium, habere ea omnia ordine conscripta, & sibi inuicè opposita, nec summas tantum sententias, & rationes.

Urgebamus & illud, quod hanc rationē excutiēdi controuersias religionis, ut utrinq; dicta per notarios exciperentur, ueri atq; rerum Ecclesiasticarum peritissimi & studiosissimi Episcopi, sancti illi patres religiosè obseruarunt, tum in Concilijs, tum etiam in collationibus habitis publicè, cum singulis hominibus: quòd etiam in profanis iudicijs, cum grauiores cause disceptandæ sunt, ea ratio, ubicunq; recte constituta iudicia sunt, obseruari solet. Deniq; quòd ea ratio & in colloquio Vuormaciensi obseruata fuerit.

Ostendimus quoq; si hanc agendí rationē sequeremur, nec temporis nimium insumendum esse, nec molestiæ aliquid suscipiendū, ijs quidem qui amant regnū Christi: quibus nimirum nullus labor grauis, nullum tempus longum uidetur, dum regno & gloriæ Christi utiliter deseruiant.

Quanquam si uellent Collocutores alterius partis id dare operam, quod nos daturi essemus, ut scilicet ea tantū studeant adferre, quæ ad propositas quæstiones explicandas faciant, haudquaquam ista agendí ratione plus fore uel temporis deterendū, uel laboris perferendū, quàm in hanc causam libenter impensuri sint, quicunq; quanta ea sit, habuerint perspectum.

Monuimus deniq; actiones huius colloquiij fore de Euangelio Christi, quod tegendum non sit, sed omni creaturæ prædicandum, omnesq; eos qui do

Strinam Christi synceram habent, debere lucem iudicij omnium piorum hominum appetere, non defugere. Has res esse, quas Dominus præcepit, cum dicta in aurem sunt, prædicare de tectis.

Ex his itaq; causis in postulatione nostra, ut omnia acta Colloquij per notarios, ab utraq; parte deputatos conscriberentur, perstitimus. Quò nos id maxime impulit, quòd satis prouideremus eos, quib. commissi eramus, collocutores, potius operam duros, ut controuersias & dissidia religionis confirmarent, & exasperarent, quod & studiosè fecerunt, quàm ut ex uerbo Dei ullas componerent. Cum igitur cuncta huius Colloquij utilitas inde nobis erat expectanda, qd disputata in colloquio Imperatoris Maiestati, & Ordinibus Imperij, totiq; Ecclesie Christi offerrentur, rite & ordine conscripta, atq; inter se composita, ut iudicari commodè possent, puraq; Christi doctrina à præstigijs Antichristi discerni; officij sanè nostri fuit, ab ista postulatione, de cõscribendis per notarios actis Colloquij, nequaquam discedere.

Responsio de tacendis actis Colloquij. Ad alterum, quod Præsides proposuerant, de tacendis & continendis actis Colloquij, donec essent Imperatoris Maiestati, & Ordinibus Imperij exposita, respondimus, nos præstituros hac in re officium eorum qui meminerint se uersari in causa Christi. Nihil nos dictorum & actorum in Colloquio uelle effutire temerè, aut ad iniuriam cuiusquam enunciare; id autem iuris seruari nobis ex officio debere, ut liceret de actis Colloquij docere Principes atq; superiores nostros, eosq; omnes quorum ea nosse ad utilitatē Christi interlit, quoties id uel causa uel ipsi requisierint.

Responsio de tempore colloquendi. Ad tertium, de tempore agendi, respondimus, nos id deferre Præsidibus: ad futuros nos iuuante Domino, ad

no. ad colloquendum, quibuscumq; ipsi uellent temporibus.

ALTERA RATIO CONSCRIBENDORUM ACTORUM à Præsibus oblata.

A Ccepto & hoc nostro responso, Præsides, posteaquam de eo & inter se deliberassent, & cum collocutorib. & auditoribus alterius partis aliquandiu egissent, responsum nobis dederunt, se sua mandata, & Prorogationem Vuormaciensem, diligenter considerasse: nec tamē inuenire, sibi in his factam esse potestatem, multo minus datum aliquod mandatū, de deputandis notarijs ab utraque parte. Collocutores quoq; alterius partis, cum non habeāt quos ad conscribenda acta offerant notarios, nolle in hanc notariorum constitutionem consentire: sed eam offerre conditionem, ut utrinq; unus collocutorum ad hanc rem deputaretur.

Agnoscebant Præsides, causas in Colloquio tractandas esse tam multas, & magnas, tantisq; controuersijs implicatas, ut ad iustam excussionem earum, atq; etiam ad plenam Colloquij actorū expositionem Imp. Maiestati, & Ordinibus Imperij faciendam, ipsi quoq; iam necessarium iudicarent, ut conscriberentur non solum summæ utrinq; de his sententiæ, & earum rationes, sed cuncta etiam argumenta, atq; fundamenta, quę dum cōtrouersię in Colloquio excuterentur, contingeret afferri, & ad rem ipsam pertinere.

RESPONSIO COLLOCUTORVM & auditorum Augustanæ Confessionis, ad istam oblata conditionem de actis describendis.

Hac

HAc oblata conditione, perpendimus, nos perparuum alioqui numerum collocutorum esse constitutum, ad excutiendas & componendas tantas religionis controuersias, in quibus tot Principes & populi uersarent: atque Principes nostros Vuormaciae ea de causa contendisse, ut maior numerus admitteretur. Hanc igitur ob rem, quod minuere numerum collocutorum nobis non liceret, conditionem illam deprecati sumus, & perstitimus rogando, ut extra collocutorum numerum nobis uel unum notarium admitterent, cum uno qui illi à memoria esset. Si diuersae partis collocutores, cum negent se alios habere, uellent unum ex ipsorum numero ad transcribenda acta deputare, nos non obstituros.

TERTIA RATIO A PRAESIDIBVS

proposita, qua acta conscribi & asseruari debuerint.

Praesides, agnita nostrae deprecationis aequitate, qua deprecati eramus, ne quis nostrum collocutorum, iniunctum sibi munus collocutoris, munere notarij commutaret, post habitam deliberationem, proposuerunt nobis hanc de conscribendis actis colloquij, & asseruandis, rationem: ut utraque pars collocutorum, unum notarium ad excipienda acta, praeter notarium ipsorum, adhiberet: & unum auscultatorem, qui notarium, si quid illi excidisset, moneret, & collationi exemplarij adesset. Verum de actis asseruandis hoc statuerunt. Cistam dicebant se uelle parare, tribus seris munitam, & ad eas sibi unam clauem retinere, alteram tradere collocutoribus partis diuersae, tertiam nobis. In ea cista debere acta colloquij reponi, post quamlibet actionem, & exemplarium collationem, ut neutra pars sine altera ad acta uenire possent.

posset, atq; ea in re seruaretur æqualitas.

Adijciebant uerò, se hanc conditionem ea lege proponere, ut ualere tantisper modò deberet, dum ea Imper. Maiest. (quam uellent de ea consulere) probaretur. Se enim nulla habere ab Imper. Maiest. mandata, nec de notarijs à partibus adhibendis, nec de actis uniuersis cōscribendis: nec collocutores alterius partis, ut hæc per ipsos constituerentur, uoluisse consentire. Proinde se nihil posse de his rebus statuere solidum. Nec etiam existimare se, nos poscere, ut quicq; sibi ultra accepta ab Imp. Maiest. mandata fumerent, & Imp. Maiest. indignationem in se commouerent. Dolere tamen sibi, tam diu extrahi tempus, & differri colloquij initium, eoq; se (ne dum Imper. Maiestas de sua uoluntate respondeat, ociosè expectemus) decreuisse hac ratione initium tandem dare colloquio.

RESPONSIO AUDITORVM ET COLLOCUTORVM Augustanæ confessionis, ad hanc tertiam conditionem, conscribendi & asseruandi acta colloquij.

Hanc cōditionem, quia uidimus ea & notarium admitti ex nostris, & concedi ut acta solidè conscriberentur, hæcenus libenter recepimus. Veruntamen cum sciremus, & rem ipsam quæ agenda erat, & mandata nostrorum Principum atq; superiorum id omnino poscere, ut exemplaria actorum & p enes nos haberemus, quo liceret nos & ad agēdum, & breuius & dilucidius instruere, & Principibus nostris acta in tempore cōmodius mittere, ut & illi maturius dispicerent, atq; statuerent, quid in comitijs de religionis controuerjs, & de colloquij actionibus iudicare & concludere pro ecclesijs & populis suis deberent: doluit

C quidem.

quidem nobis, quod ut acta nobis crederentur, impetrare non potuimus. Cum autem satis cerneremus, id ne concederet nobis, non stare per Præsides, sed per alterius partis collocutores, nolimus Præsilibus hac de re amplius instare, quandoquidem mandata illos de ea destituebant, & altera collocutorum pars tantopere refragabatur. Cumque nobis merito doleret, istis de ratione colloquendi contentionibus diu ex die duci, & differri initium colloquii, cuius rei culpa ut uocabamus, ita falso insimulari defugiebamus: his tandem rebus adducti, consensimus hac ipsa, quae proposita erat, conditione colloquium incipere. Vnum id petentes, ut acta in curia, ubi colloquium haberi debebat, seruariantur. Sperabamus enim, nostros Principes & superiores ab Imper. Maiest. pro aequitate rei facile impetraturos, ut eis copia actorum in tempore fieret. Tamen quoniam expressa a Principibus atque superioribus nostris mandata habebamus, ut acta & penes nos seruariemus, ipsi scilicet cum res aut iussa ipsorum id requirerent, mitteremus: conditionem istam ea lege subiimus, ut tantisper modo & ipsa nobis ualeret, dum Principes & superiores nostri suam de ea sententiam rescriberent. Quæsti etiam apud Præsides sumus de tanta cura occultandi acta colloquii, quam collocutores alterius partis præ se ferebant: & testati sumus nos optare, ut illi quot uellent notarios ad excipienda acta adhiberent, & acta ipsa quibus, possent communicare. Causam enim agendam in colloquio, esse Euangelij Christi, omni creaturae prædicandi: esse causam, qua salus omnium & gloria Dei continetur, & agitur. Quare profitentibus & agentibus hanc causam, nihil magis dedebeat, quam actionibus suis tenebras querere & latibula, & non potius lucem iudicij
 totius

totius ecclesiae Christi appetere. Nos certe optare, ut hanc causamliceret nobis agere coram cunctis S. Imperij ordinibus, imò coram uniuersis electis Dei.

CONCLUSIO DE MODO ET
ratione colloquendi.

Praesides hoc nostro responso contenti, egerunt cum altera collocutorū parte, ut et ipsi in eandem rationem consentirent: quod quā facillè illi fecerint, nescimus. triduum autem insumptum est, priusquam per Praesides hac de re concluderetur. Tertia itaq; Februarij suum ultimum de colloquendi ratione decretum obtulerunt: quod sic habet.

DECRETVM PRAESIDVM
de uia & ratione colloquendi.

VT institutum Christianae religionis colloquium diutius nō remoretur, & quamprimum Domino dante foeliciter auspicari possit, reuerendissimus Principes, & generosus Comes, à Caes. Maiest. constituti praesidentes, circa notariorum adhibitionem, scriptorum conseruationem, & ad scripta accessum, haec subsequētia, usq; ad Caes. Maiest. rescriptum (cui in istis, & alijs, dispositionem omnem reseruant) obseruanda atq; toleranda esse duxerunt.

Primū, domini Praesidentes ad colloquij acta ipsorum nomine conscribenda, unum notarium, & alium ipsi notario assistentem (qui cum opus fuerit, uices eius gerat) constituent. Toleraturi, quòd auditores & collocutores tam Caes. Maiest. q̄ Augustanae confessionis, utraq; pars similiter duos, unum notarium, & alterum assistentem adhibeant. Volunt aut omnino domini Praesidentes, quòd quicumq; notario assistens sit, tantum aduertat, & nihil interim scribat.

Secundò, post finitū quolibet die colloquii scripta notariorum in præsentia omnium legantur, & conferantur, atq; deinde in arcam certam, tribus seris munitam, ac tribus clauibus simul aperiendam, quarum unam domini Præsidentes, alteram auditores & collocutores Cæsareæ Maiestatis, tertiam Augustanæ confessionis habeant, includantur: & arca ista in loco, ubi colloquium habetur, permaneat.

Tertio, si alterutri parti scriptorū inspectione opus sit, hoc illi domini præsidentes permittent, ut tamen id ipsis, uel aliquo eorum nomine, & altera parte præsentibus fiat, & nihil inde describatur.

Vltimò, omnia quæ in colloquio hinc inde tractabuntur, bona fide in secreto contineantur.

Ad hos articulos Præsidium, quo certius constaret, quibus nos conditionibus colloquium iniuissimus, responsum nostrum etiam scripto complexi sumus. Id his uerbis comprehensum est.

Reuerendissime Princeps, generose comes, ab Imper. Maiest. cōstituti Præsides æquissimi, domini nostri colendiss. Generosus Dominus Vuolrath, comes à Vualdeck, & cæteri domini auditores & collocutores, ab illustrissimis Principibus Augustanæ cōfessionis, ad colloquium hoc deputati, legerunt & expendunt articulos à reuerendissima & generosa dominationibus præsidentium oblatos. Et quod ad primū articulum attinet, agnoscūt nominati auditores & collocutores, non esse suarum partiū, dominationibus præsidentium, multo minus Cæs. Maiest. aliquid moderationis in his rebus obijcere. Tamen sicut reuerendissimus & generosus Domini Præsidentes dispositionem Imper. Maiest. in his rebus sibi reseruant: ita etiam

tiā ſi dē auditores & colloquutores Auguſtane con-
feſſionis, uolunt ex officio ſuo reſolutionem principū
& ſuperiorū ſibi reſeruare, quam ſe expectaturos eſſe,
& ſequuturos in omnibus, hic proteſtantur.

Quod ad locū attinet, in quo ciſta adſeruari debeat,
conſentiunt auditores & colloquentes, ut illa in eo lo-
co curiæ, ubi colloquium inſtitutum eſt, ſeruetur.

De ſilentio præſtando, q̄d ad acta attinet colloquij,
reſpondent domini auditores & colloquutores, ut &
antea proteſtati ſunt, ſe in eo officium bonorum uiro-
rum præſtituros : tamen etiā ſaluū ſibi ſeruare of-
ficium ſuum, erga ſuos Principes & ſuperiores, ut eis
de colloquio ſcribere ualeant, quæ illos noſſe referat,
& quæ illi ſcribi ſibi poſtulabunt.

Cum hoc igitur noſtrum reſponſum præſidibus ſa-
tisfeciffet, dixerunt ſe cum Senatu acturos de paran-
da ciſta, quam etiā dicebant ſe malle ſeruari fide Se-
natus quā ſua.

PRIMA ACTIO COLLOQVII.

AD quintam itaq; Februarij conuenimus ad præ-
ſides in curia, loco ad hanc rem conſtituto, col-
locutores & auditores utriuſq; partis, cum notarijs at-
que adiunctis ſuprà memoratis. Ibi Præſides rurſus
hortati ſunt nos collocutores, ut piè et amicè colloqui,
& Chriſtianam cōſenſionem ſtudioſè quærere, & in-
ter nos ſtatuerere uellemus. Poſt quam admonitionem
coepit Maluenda, quæ ſubiecta ſunt, præfari.

PRAEFATIO MALVENDAE.

Reuerēdiſſime Præful, generoſe Comes, Præſides
Ræquiſſimi : nos catholici collocutores à Cæſarea
Maielt. designati, primū omnium gratias agimus im-
mortali Deo, q̄d in hiſce religionis diſſidijs, quæ an-

De hac lenitate nos Deo & Imperatoribus agimus gratias, uos eadem detestamini.

nis ferè 30. miserè Germaniã afflixa, eum Imperatorem dederit, quo nec religiosior, nec sanctior, neque ad pacem propensior optari potuisset. Et qui summã curam ac diligentiam semper adhibuerit, ut sedatis animorum cõtentioibus, & cõpositis ueritatibus, & cõtrouersijs, nobilissimi Germanorum populi in pace & tranquillitate uitã agerent. Quod et frequenter habiti cõuentus, & superiora colloquia, causa religionis indicta, & hoc ipsum quod nunc propitio Christo auspicamur, satis testantur. Cesareæ quoque Maiestati, Domino nostro clemētissimo, tum ob ea quæ dicta sunt, gratias agimus: tum etiã quod amplitudinẽ uestram, reuerendissime Præsul, generose Comes, huic negotio moderãdo præfecerit. Et uestris quoque dominationibus, qui prouinciã hanc suscepistis, & susceptã diligentissimè administrastis. Quem laborem ne intermittere uelitis, etiã atque etiã obsecramus.

De nobis nihil attinet dicere, qualem ad huius colloquij tractationẽ animũ adferamus, cũ hic & multis antea rationibus perspectus esse potuerit, & in ipso colloquij progressu plenius etiã cognosci possit. Illud certe possumus sanctè polliceri, nos ad hoc colloquium, nõ iram, non indignationẽ, non odiũ domo attulisse, sed charitatẽ, beneuolentiã, studiũ Christianæ religionis, & publicę tranquillitatis: nihilque nos optasse unquam magis, aut nunc optare, quam ut pax reddatur aliquãdo populo huic, quem Christus Iesus Dominus noster sanguine suo preciosissimo redemit. Atque utinam has animorum nostrorum cogitationes tam facile possent hi homines intueri, quam corpora uultusque cõspiciunt: uiderent

† Illis scilicet uestris in nos crudelissimis & cõcionibus & scriptis. Quid autem dicitur & scribitur aliãd a uobis?

Hic tangebat manu regi quæ cordis sui.

rent

rent profectio hæere peccatoribus nostris ardentissimū *Nec nos alia*
 publicæ cōcordiæ, & catholicæ unitatis desiderium, *ratione collo-*
 quo nos permoti, uehementer optabamus, ut in hoc *qui maluisse-*
 negotio familiarior colloquēdi ratio institueretur, ne *mus, si nō fuis-*
 dum singula perscribunt, & orationi atq; auribus in- *set opus certis*
 dulgetur, ueritatis expendendæ, & cōcordiæ (quæ ca- *colloquij uobi*
 put est huius communicationis) ratio negligatur. Sed *scū habiti testi-*
 quādo aliter rem gerere omnino uisum est, & † uobis *monijs. et mo-*
 nunc parendum sentiamus, hac quoq; ratione collo- *numentis.*
 qui non reluctamur. Qua etiam Christo iuuante spe- *† Non nobis,*
 ramus futurum, ut Christianæ & catholicæ doctrinæ *sed amplitudi-*
 ueritas, ab occupatis etiā præiudicio diuersæ opinio- *nicause.*
 nis intelligi, & manu (quod aiunt) cōtingi possit. Hic
 tamen duo in primis testata esse uolumus.

Alterum, nos toto hoc colloquutionis tempore nihil *Acta testen-*
 dicere, aut affirmare uelle, quod sacris literis, Aposto- *tur.*
 licis traditionibus, aut ecclesiæ catholicæ decretis ad- *Protestatio.*
 uersetur. Quod si uerbum ullum, aut labente lingua,
 aut humana ignoratione nobis forsan exciderit, quod
 quicquam illorum lædere uideatur, id pro non dicto
 haberi, & ecclesiæ sanctæ censuræ submitti, ab hoc e-
 tiam tempore rogamus, & humiliter petimus.

Alterum est, ut quicquid hic in articulorū seu concii *Fidei est, defi-*
 liatione, seu excussione tractatum fuerit, per modum *nitiē confiteri*
 id familiaris colloquij, & amicæ cōmunicationis, non *quod credit.*
 definitionis, receptionis, aut determinationis factum
 esse intelligatur: sed ut omnia ad Cæsaream Maiesta-
 tem, & communes Imperij status referantur.

Sed iam colloquium ipsum ordiamur,
HAc perorata præfatione, cum Maluenda ingre-
 di uellet ipsam de Iustificatione materiam, inter-
 pellauimus eū, & postulauimus ut locus nobis daret
 & no-

& nostrā præfationē subiiciēdi, ut ea quæ tractationi cōtrouerſiarū uellemus utrinq; præmittere, iuxta se, et ante ipsam quæſtionū excuſſionē, in acta referrent, quo dijudicari cōmodius possent. Verū Maluēda, quæ proposuerat, uolebat omnia cōtinēter subiicere. Id tandē illi, cū eū bis aut ter frustra interpellassemus, cōcessimus, ne aliqua de re nō omnino necessaria uideremur cōtēdere. Subiecit igit Maluēda q̄ sequunt̄.

PRIMA MALVENDAE DISPUTATIO
de iustificatione, quæ est à nobis excepta per
capita, non ad uerbum.

Maluenda re-
cto ordine col-
lationem incoe-
pit.

Protestantes
agnouerūt cō-
fessionem suā.

EXhibuit primū omnium nobis librum confes-
sionis nostræ Augustanæ, & eius quæ Augustæ
primū oblata est, nō eius quæ postea est aliquantū-
lū aucta, & illustrata: atq; interrogauit nos, an agno-
ſceremus eam esse confessionē, quam exhibuissemus
Imper. Maiest. & ordinibus Imperij, in comitijs Au-
gustanis Anno 30. celebratis. Responsum est à nobis,
nos eam agnoscere. Ille rursus: Num etiam reiicere-
mus scripta omnia, quæ essent huic confessioni con-
traria. Responsum est, nos ea omnia reiicere. Additū
tamen est, nos hac de re postea copiosius esse respon-
suros. Nam solent aduersarij multa nobis ex nostris
scriptis obijcere, tanquam nostræ confessioni nō con-
sentanea, quæ tamen cum ea doctrina quæ est in no-
stra confessione paucis comprehensa, omnino cōsen-
tiunt, eamq; explicant, modò nulla corrumpantur so-
phistica, & à suo uero sensu non detorqueantur.

His interrogationibus præmissis, expectabamus,
ut iuxta Imperatorium decretum, primū caput no-
stræ confessionis de iustificatione, excutiendum susci-
peret: cum ipse coepit scholarum more de iustifica-
tione

tionē differere, & multas quæstiones commiscere: Primum uoces explicabat, iustificare, & iustificari, quod conueniebat.

Deinde autem disputare cœpit, de causis iustificationis, quæ sit eius causa efficiens, quæ formalis, quæ preparans, quæ consummans, idq; ad eum modū, ut multas cōtrouersias confunderet. Hanc igit̃ cum disputationē, explicata uoce iustificari, ingredi cœpisset: eum rursus interpellauimus, causantes eum non sequi illam colloquendi rationē, quam Imperator præscripsisset. Nostræ eum debere confessionis capita excutere, & quid ex his recipiendū sit, aut reijciendum, ostendere: non aliam materiam afferre, & articulos ab Imperatore collationi nostræ propositos, ita confundere. Quanquam autem admodū acriter hic instarem, tamen uoluit Maluenda in instituto suo pergere, nec prohibebat à Præsidi. Dicebat, se uel catholicam Ecclesiæ de iustificatione doctrinam semel uniuersam proponere: eam si reciperemus, esset iam inuenta de hoc articulo consensus: sin putaremus eam doctrinam nostræ confessioni, cui inhaerendum nobis adhuc existimarem, cōtrariam, nihilominus locum fore confessionis nostræ excutiendæ. Nos contra contendebamus, disputationem sic confundi, & longiorem fieri, atq; recedi ab eo conferendi ordine, quæ Imperator nos sequi præcepisset. Sed dum Præsides suam non interponebant autoritatem, etiam hic Maluendæ tandem cessimus.

Maluenda initio statim ordinem cōferendi ab Imp. præscriptum perturbauit.

Primum itaq; de uoce Iustificare & Iustificari proposuit, dixitq; eam accipi in scripturis bifariã. Aliquando ut idem sit, atq; ex impio iustum facere & fieri. Aliquando ut idem ualeat, quod augere & augeri iustitiam in homine.

Explicatio uocis iustificare & iustificari Maluendica.

D Causas

*Hac diffu-
tatione Mal-
uenda consu-
dit sex arti-
culos in Im-
peratoria
scheda distin-
ctè proposi-
tos, ut de re-
missione pec-
catorum, de
impletione
legis, de fide,
de operibus,
de necessita-
te operum,
& de meri-
to.*

*Probatio-
nes, quod
charitas sit
forma iusti-
ciæ.*

Causas uerò Iustificationis has tradidit. Efficien-
tem primam fecit Deum, qui iustificet hominem, ut
primus efficiens iusticiæ. Christum, ut redemptorem.
fidem uerò dixit iustificare, eo quòd sit initiũ iustitiæ,
Opera uerò iustificationem præcedentia, præparare
ad iusticiam. Charitatem iustificare formaliter, ut que
sit iusticiæ forma. Opera autem iustificationem conse-
quentia, iusticiam consummare.

Hæc deinde conatus est scripturis confirmare, ue-
rùm quas adduxerit de primis duobus capitib. quod
Deus & Christus iustificat: quia hæc per se nota sunt,
eas nec annotauimus, nec nunc recordor.

Ad id autem, quod dixit fidem esse initium iusti-
ciæ, adduxit locũ ex Hebr. 11. Sine fide est impossibile
placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad
Deum, quia est, & inquirentibus remunerator est.

Vt uerò probaret charitatẽ esse iustitię formã, et iu-
stificare formaliter, adduxit hæc loca. Qui manet in
charitate, in Deo manet: 1. Io. 4. Nos scimus, quoniã
translati sumus de morte ad uitã, quoniã diligimus fra-
tres. Ibid. 3. Finis præcepti est charitas ex corde puro, cõ-
scientia bona, & fide nõ ficta. 1. Tim. 1. Plenitudo legis
est dilectio. Ro. 13. Omnis lex in uno sermone imple-
tur, Diliges proximum tuum sicut teipsum. Gal. 5.

Ad probandum autem, quòd opera præcedentia
iustificationem, præparent ad iustitiã, sequentes sen-
tentias scripturarum protulit: Si autem impius egerit
pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ opera-
tus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit
iudicium & iustitiã, uita uiuet, & non morietur. E-
zech. 18. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, qd
locutus sum aduersus eam, agam et ego pœnitentiam
super malo quod cogitauit, ut facerem ei, &c. Iere. 18.
Et

Et de Achab, cum egisset poenitentiam de cæde Naboth, Nonne uidisti humiliatum Achab coram me? Quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus eius, &c. 2. Regum 21. Item dictum Petri ad Simonem Magum: Poenitentiam age ab hac nequitia tua, & roga Deum si forte remittat tibi hæc cogitatio cordis tui. Actuum 8. Item dictum eiusdem Apostoli ad eos, quos in die Pentecostes sermone suo ad compunctionem cordis permouerat: Poenitentiam agite, & baptizetur unusquisque uestrum in nomine Iesu Christi, &c. Act. 2.

Ad confirmandum autem, quod opera iustificationem sequentia, iustitiam consumment, & perficiant, istas auctoritates recitauit. Qui iustus est, iustificetur adhuc, Apoc. 22. Et 2. Timoth. 4. Bonum certamen certavi, cursum consummaui, fidem seruaui, in reliquo reposita est mihi corona iusticie, quam reddet mihi Dominus in illa die, iustus iudex. non autem solum mihi, sed & his qui diligunt aduentum eius. Et dictum Domini ad adolescentem diuitem: Si uis perfectus esse, uade uende omnia quæ habes, & da pauperibus: Math. 19. Et dictum Domini ad Abraham, Gen. 22. Per memetipsum iuraui, dicit Dominus, quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, etc. Et Iacobi dictum: Abraham pater noster, nonne ex operibus iustificatus est, offerens Isaac filium suum super altare? Iacobi 2. Item & Petri 1. Quapropter fratres magis satagite, ut per bona opera certam uestram uocationem & electionem faciatis. Et Hebr. 13. Beneficentiam autem & communicationis nolite obliuisci, tabulis enim hostijs promeretur Deus.

Postquam uero Maluenda has recensuisset auctori-

rates scripturarū, subiecit ppositiones ex media Sorbonica Theologia repetitas, ut ipse uides pie lector. Has ad uerbū excepimus, & habent ad hunc modum.

S V M M A D E I V S T I F I C A T I O N E

Maluendæ, in ppositiones collata.

- 1 **I**N iustificatione peccatoris remittitur peccatum per Christum mediatorem, & gratia infunditur; idq; fit ex mera Dei gratia, nullis meritis nostris.
- 2 Ad hanc iustificationem in adultis cōcurrit etiam actus liberi arbitrij, moti à gratia præueniente, similiter comitante.
- 3 Fides qua credimus historie Euangelicę, & Deum patrem misisse nobis filium suum propitiatorem pro peccatis nostris, & per illius sanguinē remitti peccata, est in adultis necessaria.
- 4 Non tamen sola ad iustificandū sufficit, sed etiam requiritur spes & charitas, & actus primus charitate informatus.
- 5 Actus hi ad iustificationem adulti concurrentes, non sunt iustificationis meritorij.
- 6 Et si certum sit omnia peccata, quæ ullo unquam tempore remissa sunt, aut remittunt, per sanguinem propitiationis remitti: tamen cum quis firmiter & certò statuit sibi remissa esse peccata, non habens conditionis suæ & infirmitatis rationem, iudicio magis temerario, quàm scripturæ autoritate ducitur.
- 7 Is cui remissa peccata sunt, potest auxilio gratiæ Dei sic implere Dei præcepta, ut Deo & proximo reddat quod debet. Quod dum facit, non solum non peccat mortaliter, sed potius est iustus apud Deum, & legis impletor. & eiusmodi homines uerè iusti sunt apud Deum, & legē eius implent, quia gratiā habent omnia omnino peccata delentem, & suggerentem ut-
res ad

res ad implendam legem, non quia peccata, quæ post iusticiam acceptam adhuc maneant, illis non imputentur: aut propterea tantum, quod iustitia, quæ non ipsi, sed Christus fecit, illis imputetur per Christum.

Dicimus opera hæc, quibus legem iusti implent, 8
& Dei uoluntatē sequunt, sic esse uitæ æternæ merito-
ria, ut eis Pauli testimonio reddēda sit corona iustitiæ.

Postremò, multæ hominis actiones sunt antè iusti-
ficationē, quæ non parum conducunt, ut clementissi-
mus Deus oculos suæ bonitatis, & ineffabilis miseri-
cordiæ ad ignoscendum sæpe conuertat.

Vbi has suas propositiones Maluenda recitasset, hortatus est nos, ne dissentiremus ab illa summa doctrinæ, quam proposuerat, utq; fieremus ueri filij Ecclesiæ (uel ut deceret ueros filios Ecclesiæ: hæc enim adhortatiuncula non est eisdem uerbis à nobis excepta) Si autem uellemus ab ea dissentire, ut afferremus rationes, se iterum responsurum.

ACTIO PRIMA COLLOCUTO-
rum confessionis Augustanæ.

Sexta itaq; Februarij, cum & nobis dicendi locus datus esset, incepimus actionē nostram à sequenti precatōne.

PRECATIO ACTIONI
præmissa.

Omnipotens Deus, pater cœlestis, qui nobis admirabili beneuolentiæ tuæ erga nos consilio scripturas tuas largitus es, & adhuc conseruasti, quæ teste Apostolo tuo, erudire nos possunt ad salutē per fidē, & utiles sunt ad docendum quicquid in doctrina religionis uerum est & salutare, & ad confutandū quicquid in hanc doctrinam falsum & noxiū infertur, ad corripiendum etiam quicquid est in uita prauum

& uitiolum: deniq; & ad commodè instituentum
 in iustitia, ut homo Dei sit undiq; exactus, & ad om-
 ne bonum opus instructus: Gratias tibi maximas agi-
 mus, quòd seruo tuo, Imperatori nostro, hanc men-
 tem immisisti, & hactenus seruasti, ut controuersias
 religionis religiosa & placida scripturarum tuarum
 scrutatione, & tractatione, componi uoluerit. Et
 rogamus te suppliciter, respicere uelis propter fili-
 um tutum unicum seruatorem nostrum, & magi-
 strum cœlestem, Ecclesiam tuam, tot modis per doctri-
 nas alienas afflictam: ac mittere nobis spiritum san-
 ctum tuum, spiritum ueritatis, qui depulsa à nobis om-
 ni cupiditate, & sapientia carnis, omniq; sophistica,
 & impostura Satanæ, corda tuorum omnium aperiat,
 purget, illuminet, ut ex scripturis tuis solidè cognosce-
 re ualeant finem legis, & omnis scripturæ, filium tuum
 propitiorem nostrum, & te in illo Deum uerum, & pa-
 trem nostrum. Atq; fac, ut ministerium nostrum, quod
 in instituta modò collatione præstare tibi & Ecclesiæ
 tuæ debemus, eò illi commodet, ut tandem plenè in te
 undiq; consentiat, & indies magis magisq; instaure-
 tur, & ad omnes gentes propagetur, ad gloriam nomi-
 nis tui: per eundem Dominum nostrum Iesum Chri-
 stum filium tuum, qui tecum in unitate Spiritus S. ui-
 uit & regnat per omnia sæcula. Amen.

Post hanc orationem recitauimus ex scripto no-
 strâ præfationē, & protestationem, scriptumq; ad acta
 obtulimus. Hęc nostra præfatio & protestatio sic habet.

*Exemplum
 Davidis.*

Ut inter plurimas alias excellentes uirtutes quib.
 Dauidem regem ornauit Deus, nulla fuit illustrior,
 & populo ac Ecclesiæ magis salutaris, quam conser-
 uatio & propagatio cœlestis doctrine: ita & inter præ-
 cipua ornamenta inuiciss. Imperatoris Caroli v. Do-
 mini

m ini nostri clementissimi, omnis posteritas & hoc re-
 feret, quod in dijudicandis cōtrouersijs de religione,
 ea prudentia & moderatione adhuc usus est, ut eas
 controuersias pacificis collationibus potius excuti, q̄
 iniustis armis opprīmi maluerit. Quam æquitatē &
 moderatōnē, ut perpetuò tueatur & conseruet, pre-
 camur toto pectore æternum patrem Domini nostri
 Iesu Christi. Et cum eo die, quo Colloquij inītia faci-
 enda erant, pro ueteri more D. Ioannis Chrysofomi
 memoria peragi soleat, humiliter, & cum omni debi-
 ta reuerentia ab ipsius Cæsarea Maiestate petimus,
 quod Imperator Arcadius, et Ioannes Chrysofomus
 Gainæ exercitus duci, iniqua et impia petenti, respon-
 derūt: Non licere Regi pietatē profitenti, quicquam
 aduersus res diuinas statuere. Et ut ipsius Maiestas
 magnitudinem huius tantæ causę diligentius conside-
 ret, & ut hactenus fecit, ne patiat̄ sese calumnijs, & ini-
 quis iudicijs quorundam, re nondum satis deliberata
 & cognita, aduersus innoxios homines, ac ueram &
 cœlestem doctrinam, à filio Dei per prophetas & A-
 postolos traditam, incendi. Hęc enim propria & sum-
 ma laus magnorum heroum est, in tantis rebus, diu-
 nis nempe, & salutem tot gentium & populorum spe-
 ctantibus, posse moderatione uti, nō præcipitare con-
 silia, non inflammari iniustis aliorum hominū odijs,
 sed audire, & summa diligentia cognoscere causas di-
 uinas. Et eas non ex ullius hominis consilio aut arbi-
 trio, sed ex solo uerbo Dei, unde omnis pietatis fons,
 iusticia & uita æterna pendet, & promanat, dijudicare
 & discernere, & agnitam semel ueram pietatem toto
 pectore amplecti & tueri.

*Arcadij exem-
plum.*

Theodosius laudatissimus Imperator, iam moritu
 rus uocat ad se filios, Arcadium & Honorium, inter
 quos

*Exemplum
Theodosij.*

quos cum regna esset partitus, postremò utrunq; hor-
tatur, ut pietatē & diuinam doctrinam tueri & propa-
gare studeant. hac enim & pax, inquit, conseruatur,
& bella cōficiuntur, & hostes uertuntur in fugam, &
trophæa statuuntur, & paratur uictoria.

Cum igitur ab optimo Principe & Imperatore no-
stro inuictissimo Carolo V. hic quartus cōuentus ad
conferendos & patefaciendos eos articulos, de quib.
hoc tempore in doctrina Christiana controuersia est,
indictus sit, reuerendissime Princeps, ac Comes ge-
nerose, à Cæsarea Maiestate huius Colloquij Præ-
sides & gubernatores constituti, Domini nostri cle-
mentissimi, humiliter, & cum debita reuerentiâ à ue-
stra Celsitudine petimus, ut Cæs. Maiestati, nostrorū
illustrissimorum & illustrium Principum, ciuitatum,
& omnium statuum nomine, complectentium Con-
fessionē Augustanam, ingentes gratias agatis, quod
iterum ad patefaciendam doctrinam Ecclesijs & orbi
terrarum salutarem & necessariam, hunc conuentum
instituerit. Deinde quod facturos omnino speramus,
ut uestra Celsitudo hāc collationē de sententijs scriptu-
ræ diuinæ ita moderet, non ut præstigijs & calumnijs
ueritas tegat, inuoluatur aut obruatur, sed ex collatis
sententijs ueritas inquiri, patefieri, & illustrari possit.

Cæterum quanquam omnibus omnium aduersa
riorū nostrorum criminibus, quibus nos ac nostram
doctrinam apud omnes gentes & populos deforma-
re & obruere conantur, respondere, neq; utile, neq;
hoc tempore commodū esse sciamus: tamen ne in hoc
publico cōuentu taciti ea quasi agnoscere uideamur,
breuissimè & modestissimè ad ea respodēbimus.

Depulsio Vociferantur in publicis concionibus, & publi-
criminum. cè editis scriptis nos traducunt ac infamant, nos à ue-
teri

teri orthodoxa & catholica ecclesia Christi discessisse, dānare cōcilia, & omnia omniū S. Patrū scripta: laxare & soluere omnē ecclesiæ disciplinā, & tribuere populo infinitā licentiā quælibet audendi & faciēdi: abolere nos ueteres ceremonias, et ritus à patrīb. ecclesie traditos, et alia multa atrocía crimina in nos cumulāt. itaq; necesse est, hīc breuiter et modestē respōderi. Nā si tales esse existimamur, & hęc iniusta aduersariorum p̄iudicia ualēt, frustra ad hoc colloquiū adhiberemur.

Primum igit̄ corā Deo, & toto orbe terrarū confitemur, & p̄testamur (quēad. antea in cōfessione C. M. in comitijs Augusti. exhibita publicē declarauimus, quā etiā cōfessionē pro repetita haberi uolumus) nos nō solū agnoscere, sed & toto pectore, tanq̄ fontē omnis salutis & uitę æternę amplecti, scripta prophetarū & apostolorū: hoc est, oēs Veteris & Noui testamētī libros, quos uocāt Canonicos: & credere, hanc esse ipsius Dei creatoris uerā uocē sonantē in his scriptis, inspiratā à spiritu S. qua se deus mirabili cōsilio orbi terrarū patefecit: & hęc scripta esse fundamentū, petrā, & basim, supra quā ecclesia domus Dei ædificata est, in ipso summo lapide angulari Christo Iesu, etc. Et in his scriptis plenē et perfectē omnia, quæ ad iustitiā & salutē nostrā utilia & necessaria sunt, cōprehensa: & hęc cœlestē doctrinā à filio Dei & per prophetas & apostolos nobis traditā, esse omnis cœlestis doctrinæ, & piæ uitæ, & cultus Dei unicū & certissimū canonē, & regulam: neq; ullam doctrinā, aut cultum Dei recipiendum, qui non in prophetis & apostolicis scriptis cōprehensus, & à Deo p̄ceptus & mandatus sit.

Secundō, amplectimur quoq; tanq̄ scripturæ propheticæ & apostolicæ epitomen, seu summā, symbola tria,

*Autoritas D.
Scripturarū.*

E. la tria,

quicūq; catholici nō sunt. Rogauimus p̄inde Maluē-
 dam et collegas eius, ut insignirēt se, siue hoc ipso, siue
 q̄ uellent alio titulo, quēcūq; putarēt se posse sustine-
 re, modò id nō facerēt cū ea significatione, quasi hic ti-
 tulus catholicorū nobis nō competeret. Sectari enim
 nos religionē, quam sectati sunt cūcti patriarchæ, pro-
 phetæ, apostoli, martyres, ac quicūq; Christo Dño
 uspiā & unq; uerē crediderūt, uel nūc credunt, aut cre-
 dituri sunt. Nec quicq; recepisse uel in dogmatis, uel
 in ritibus ecclesiasticis, qd non sit proditū a prophetis
 & apostolis, obseruatūq; a S. Patribus, & cōsentaneū
 consensui ecclesia catholico. Nihil etiā remouisse ea-
 rum rerū, quæ sunt in S. literis prodite, & olim in me-
 liore ecclesiæ tradite, & usurpata. Quocirca nec Imp.
 Mai. nec ceteri Imperij Principes & status, uel nostris
 Principibus ita, uel nobis hunc titulū, quē coram Do-
 mino sustineremus, adhuc ademissent. Deinde, quia
 cōstabat, tres ex collocutoribus, Cochlaēū, Billikiū, &
 Hofmeisterū, omnino exitialibus criminibus nos in-
 festasse, & extremis supplicijs immaniss. deuuisse:
 idēq; aliquot iam annis, et publicis cū cōcionib. tum
 scriptis: atq; Maluendā paulo amicius de nobis iudi-
 care, quidā nō omnino dubie fidei homines monuis-
 sent: cōmouit certē nos haud parū, tā sancta istorū ho-
 minū p̄testatio, de summa charitate & beneuolentiā,
 studioq; Christianæ religionis, & publicæ trāquillita-
 tis, quā se ad hoc colloquiū adferre deierabāt: causāq;
 dedit, ut et nos de nostro uero, in uerā ecclesiarū cōcor-
 diā studio aliqd testaremur, iudiciūq; inspectoris cor-
 diū appellaremus, eiusq; illos hoc pacto tacite admo-
 neremus. Atq; ut reipsa ostēderemus, nos & nostros
 principes abhorrere a schismate, ut qui maxime & ue-
 ra ac

ræ ac piæ consensionis semper fuisse studiosissimos, Quam stu-
 commemorabamus quàm leuiter nostri inuitò mani- diosi pacis
 festos & intolerandos abusus reprehendissent, utq; Protestantes
 se ad rationem suæ reprehensionis legitimè reddend- semper fue-
 dâ semper obtulissent, & hodie offerrent. Aduersari- rint.
 os autè, ne id eis concederetur, semper obstitisse: & ef-
 fecisse, ut diris edictis, & grauissimis persecutioni-
 bus, tot iâ annis nos et nostri subhceremur. Quæ om-
 nia nostri hæcenus patienter tulissent, & ad quamli-
 bet quærendæ concordie occasionem, & molitionē,
 quam etiam alij detractauissent, promptos sese exhib-
 uissent, & adhuc exhiberent. Quod etiam admissio
 hoc ipso Colloquio, quod alij Ordines Imperij repu-
 diaissent, de se satis essent testati.

Tertio loco, quia Maluenda in sua præfatione e- Maluenda su-
 am rationem colloquendi, pro qua nos cõtendimus, gillauit postu-
 ut scilicet quæ ultro & citro dicerentur, quæ quidem latam à Pro-
 ad rem pertinerent, per notarios conscriberentur om- testantib. ex-
 nia, sugillauerat, tanquam ea eiusmodi esset, qua ora ceptionē no-
 tioni & aurib. indulgeretur, & ueritatis expendendæ tariorum.
 et cõcordiæ (quæ caput esset nostræ cõmunicationis)
 ratio negligeretur: testati rursus sumus, nos nulla alia
 re, quàm ipsa causæ agendæ à nobis, religione & of- * Cause cur
 ficio erga Principes nostros, compulsos esse, ut con- excipi acta
 scribēda acta omnia postulassetus. * Nec enim pos colloqui de
 seritè de tantis controuersijs iudicari in Comitijs, nec buerint.
 nostri Principes & Superiores de sententiâ sua in hac † Sacti Pa-
 causa solide statuere, nisi quæ utrinq; offerâtur, quæ tres collatio-
 quidem ad iudicandas has controuersias faciant, ha nib. suis de re-
 beantur ordine conscripta, & inter se collata. † San- gione semper
 ctis, etiam patres, & ueros Episcopos qui ædifican- notarios ad-
 di Ecclesiam Dei, & pacificandi erant & scientissimī, hibuerūt, qui
 & studiosissimi, hanc olim rationē de religione col- eas excipe-
 rent.

loquendi, ut per notarios dicta singula exciperentur, cum singulari Ecclesiæ commodo, cum in Concilijs, tum aliàs studiose obseruasse. Quocirca si modo eodem, quo illi animo, & eadem cura, ne quid extra causam adferamus, colloqui libeat, & nunc Ecclesiæ Dei profuturum, nihil incommodaturum, si disputata inter nos à notarijs excipiantur. Nos certè nolle uel dicendo, uel audiendo, aut orationi, aut auribus indulgere, eoque rationem expendendæ ueritatis & concordiæ negligere: sed quæstionibus ipsis excutiendis, & cognoscendæ, explicandæ eoque ueritati, atque quærendæ & constituendæ piæ cõsensionis, toto pectore incumbere. Idem si & ipsi studeant, sensuros adhibitam notariorum operam ad præstitutum Colloquio nostro finem plurimum esse collaturam, nec Colloquio ipsi aliquo fore impedimento. Ne autem ulli explicandarum maturè quæstionum commoditati deessemus, obtulimus simul nos, ad agendum etiam interdum familiariter sine exceptione notariorum, cum aut uoces obuenerent explicandæ, & homonymiæ atque amphibologiæ submouendæ, ac etiam aliqua in sententijs explicanda, quo notarijs potestea dictari omnia possent, cum breuius, tum dilucidius. Hanc uerò conditionem ita obtulimus, ut quæ ad dijudicandas cõtrouersias pertinerent, nihilominus notarijs post eiusmodi familiares colloquutiones dictarentur.

Præterea, cum Maluenda in tractanda Iustificatione, rationem & ordinem conferendi ab Imperatore præscriptum, quanquam de eo à nobis interpellatus, tum posthabuisset, & ex Scholastica Theologia attulisset, quæ pridem detrita nobis, et per gratiã Dei, apostolica traditione, & doctrina commutata sunt: rogauimus,

Oblatum familiare colloquium sine exceptione notariorum.

uimus rursus illos, ut missis hisce commentis, uellent ita ut iussisset Imperator, nostram Confessionem desumere ordine excutiendam: & si quem in illa articulum minus consentaneum doctrinae Christi existimarent, illū simpliciter proponere: & in quo cum sana Christi doctrina putarent non consentire, scripturas & rationes suas adferre. Protestatiq; sumus, nos huic ordini, & tractandi rationi, ita posthac in haesuros, ut ab ea abduci rursus nos permittere nollemus. Et inter haec egimus gratias Domino, qui liberasset nos à spinosis Scholasticorum quaestionibus, ab Alexandro, Thoma, Scoto, Durando, Britott, & horum similibus.

Postremò, ad illud quod Maluenda in sine praefationis suae protestatus erat, se & suos collegas, quae in Colloquio, in articuloꝝ seu conciliatione, seu excussione tractaturi essent, id uelle intelligi fieri, per modū familiaris colloquij, & amicae communicationis, non definitionis, receptionis, aut determinationis: sed ut omnia ad Caesaream Maiestatem, & communes Imperij Status referrentur. Ad haec monuimus, nos omnia quidem quae de religione Christi, siue in Colloquio, siue aliàs adferamus, debere iudicio deferri Ecclesiae: acta uero Colloquij, etiam iudicio Imp. Maiestatis, atq; Ordinibus Imperij: Christiani tamē hominis esse, necessaria religionis nostrae dogmata & tenere, & confiteri definitē & determinatē: nec angelū de caelo, si his contradicat, audire. Proinde & nos quidē nostra omnia excutienda & dijudicanda Imp. Maiestat. atq; Ordinibus Imperij libenter deferre, omniq; simul iudicio piorum: interim tamen ea quae nobis in diuinis literis aperte tradita sunt, uelle definitē et determinatē profiteri, non more Pyhrroniorū, uel Scepti-

corū in dubitatione, perpetuacq; disputatione, quod quidem ad nos attineret, relinquere.

Posthac, quoniam, ut dictum, spes nulla erat, ab his collocutoribus uel unius in religione controuersiae piam compositionem impetrandi, non ab re autem sperabamus, si Imp. Maiestati & Ordinibus Imperij, articuli illi in priori Colloquio pie conciliati, rursus referrentur (qui tum, Ro. Pontifice id per se & suos tam improbe contendente, ab Imperat. & Statibus Imperij ad dijudicationem Concilij, uel generalis, uel Nationalis, aut Comitiorum Imperij reiecti sunt) Dominum daturum, ut illi tum conciliati articuli, nunc ab Ordinibus Imperij, publice approbarentur. His igitur rebus adducti, uisum nobis fuit, (saluo tamen nobis ordine colloquendi ab Imperatore praescripto, de quo disertè protestabamur) recitare hoc loco, quo agendum erat de Iustificatione, & actis inferre: primùm, articulum de Iustificatione in priorè colloquio conciliatum: deinceps, Imp. Maiestatis de eo praesudicium: postea sententiam & consilium de eodem, Principum Electorum, Ordinum Protestantium, Rerumpublicarum: denique etiam testimonium duorum Collocutorum alterius partis, Domini Iulij Pflug, & Io. Gropperi.

Causas cur ista in medium asserremus, has praeterea sicut habuimus, ita adduximus. Primùm, quòd tam ingens Dei beneficium, consensus scilicet in tot Christianae doctrinae praecipuis capitibus, negligi à nobis minime deberet. Deinde, quòd interesset & Maiestatis Imperatoriae, & dignitatis tot Principum, cum Electorum, tum reliqui Ordinis, non ita abiecti, quae ipsi pie comprobassent. Postremò, quòd uideri possemus uelle actum agere, & frustraneis colloquijs
tempus

tempus extrahere, & Ordines Imperij inutilibus laboribus & sumptibus onerare, non piam religionis concordiam querere, si tot & talium articulorum conciliationem intercidere, quod ad nos attineret, pateremur.

Hæc igitur, quia inter agendum bis à nobis sunt in mediū producta, nam Billikius conciliationem huius articuli impugnare admodum acriter instituit, uolumus hinc semel ordine omnia subiicere.

ARTICVLVS DE IUSTIFICATIONE

Anno Domini M. D. XLI in colloquio Ratisbonæ habito inter Collocutores utriusq; partis, præsidentibus Colloquio Illustriss. Principe nunc Electore, Friderico Palatino, & D. Nicolao Pernotto à Granuela, supremo secretario & consiliario

Imp. Maiestatis conciliatus: & ut conciliatus, ei.

dem Imp. Maiestati per Collocutores utriusq; patris exhibitus.

NVLLI Christiano dubitandum est, post lapsum primi parentis omnes homines, ut inquit Apostolus, nasci filios iræ, & inimicos Dei, eorū in morte, & seruitutem peccati.

2 Item nulli Christiano ambigendum est, nullum hominem posse Deo † recōciliari, itemq; liberari à seruitute peccati, nisi per Christum unum mediatores Dei & hominum. per cuius gratiam, ut inquit Apostolus ad Romanos, non tantum recōciliamur Deo, & liberamur à seruitute peccati: sed etiam efficiamur consortes diuinæ naturæ, & filij Dei.

3 Item perspicuū est, quod adulti non consequuntur hæc beneficia Christi, nisi præueniente motu Spiritus S. quo eorū mēs et uolūtas mouetur ad detestationem peccati. Nam impossibile est, ut inquit Augustinus, nouā uitam inchoare, nisi prioris nos pœniteat. Item Lucae ultimo Christus iubet prædicare in no-

Omnes filij iræ.

Huic cōtradicit Maluēdæ propositio nona de operibus bonis ante gratiam. † Reconciliatione per solū Christum.

Motus Spiritus S. ad detestationem peccati.

mine suo pœnitentiã, & remissionem peccatorum. Ioannes etiam Baptista missus ad parandas vias Domini, prædicauit pœnitentiã, inquit: Pœnitenti-

Motus Spiritus S. ad credendum.

Que credenda.

Huic certitudini fidei cõtradicit Maluẽda propositione sexta.

Que fide percipiuntur.

Huic cõtradicit Maluẽda propositione septima, negans nos iustificari imputa-

tione iusticie Christi.

Iusticia Christi nobis imputatur.

am agite, appropinquauit enim regnum cœlorum. Deinde à Spiritu S. movetur hominis mens in Deum per Christum. Et hic motus est per fidem, per quam hominis mens certò credens omnibus, quæ tradita sunt à Deo, etiam certissimè & sine dubio assentitur promissionibus nobis exhibitis à Deo: quæ, ut dicitur in Psalmo, fidelis est in omnibus uerbis suis: & ex eo fiduciam capit propter promissionẽ Dei, qua pollicitus est, se remissurum peccata gratis, & adoptaturũ in filios credentes in Christum: eos inquam, quos prioris uitæ pœnituerit. & hac fide erigitur in Deum à Spiritu S. † Ideoq; accipit Spiritum S. remissionem peccatorum, imputationem iustitiæ, & innumerabilia bona.

4 * Firma itaque est & sana doctrina, per fidem uiuam & efficacem iustificari peccatorem. Nam per illam Deo grati & accepti sumus propter Christum. Vocamus † autem fidem uiuam, motum Spiritus S. quo uerè pœnitentes ueteris uitæ eriguntur ad Deum, & uerè apprehenderunt misericordiam in Christo promissam, ut tam uerè sentiant, quod remissionem peccatorum, & recõciliationẽ propter meritum Christi gratuita Dei bonitate acceperunt, & clamant ad Deum, Abba pater. Id quod tamẽ nulli obtinet, nisi etiam simul infundatur charitas, sanans uoluntatem: ut uoluntas sanata, quemadmodum Diuus Augustinus ait, incipiat implere legem. Fides ergo uiua est, quæ & apprehendit misericordiam in Christo, ac credit iustitiã, quæ est in Christo, sibi gratis imputari, & quæ simul pollicitationem Spiritus S. & charitatem

tatem

tatem accipit. Ita quod fides quidem iustificans est illa fides, quæ est efficax per charitatem. sed interim hoc uerum est, quod hac fide eatenus iustificamur & accipiamur, & reconciliamur Deo, quatenus apprehendit misericordiam & iustitiam, quæ nobis imputatur propter Christum, & eius meritum, non propter dignitatem seu perfectionem iustitiæ nobis in Christo communicatæ.

Iustificari, iustum reputari.

Imputatur iustitia.

¶ Etsi autem is qui iustificatur, iustitiam accipit, & habet per Christum etiam inhærentem, sicut dicit Apostolus, Abluti estis, sanctificati estis, &c. (quare S. Patres iustificari etiam pro eo, quod est inhærentē iustitiam accipere, usurparūt.) tamen anima fidelis huic non innititur, sed soli iustitiæ Christi, nobis donatæ: sine qua omnino nulla potest esse iustitia.

Iustificari, iustitiam accipere.

Duplex iustitia.

Et sic fide in Christum iustificamur, seu iusti reputamur, id est, accepti per ipsius merita, nō propter nostram dignitatem, & opera. & propter inhærentē iustitiam, eō iusti dicimur, quia quæ iusta sunt operamur. iuxta illud Ioannis: Qui facit iustitiā, iustus est.

¶ Et quanquam in renatis semper crescere debent timor Dei, patientia, et humilitas, & alię uirtutes, cum renouatio sit imperfecta, & hæreat in eis ingens infirmitas: tamen docendum est, ut qui uere poenitēt, semper fide certissima statuunt, se propter mediatorē Christum Deo placere: quia Christus est propitiator, pontifex, & interpellator pro nobis, quem pater donauit nobis, & omnia bona cum illo. Quoniam autē perfecta certitudo in hac imbecillitate non est, sunt quę multæ infirmæ & pauidæ conscientię, quæ cum graui sæpe dubitatione luctantur, nemo est à gratia Christi, propter eiusmodi infirmitatem excludendus: sed conuenit tales diligenter adhortari, ut ijs dubitationibus

Certitudo salutis.

bus promissiones Christi fortiter opponant, & auge-
ri sibi fidem sedulis precibus orent: iuxta illud, *Adau-
ge n obis Domine fidem.*

*Incrementum
innouationis
per bona o-
pera.*

7 Christiano cuiq; debet esse compertum, non in
hoc datam esse nobis hanc gratiã, & hanc regenera-
tionem, ut in eo gradu innouationis nostrã, quẽ pri-
mũ nacti sumus, ociosi consistamus: sed crescamus
in ipsum per omnia, qui est caput. Ideoq; docẽdus est
populus, ut de augmento huic operam, quod qui-
dem fit per opera bona, & interna & externa, à Deo
mandata, & commendata, quib. Deus promissit pro-
pter Christum in plurib. Euangelij locis clarẽ & ma-
nifeste mercedem, bona tam corporis quàm spiritus,
in hac uita, prout diuinã providentiã uisum fuerit,
& post hanc uitam in cœlis. Ideoq; quamuis hæredita-
tas uitæ æternæ per promissionem debeatur renatis,
etiam cum primum in Christo renati sunt: nihilomi-

*Vnde mer-
ces operum.*

nus reddit Deus etiam bonis operibus mercedem,
non secundum substantiam operum, neque secun-
dum quod sunt à nobis, sed quatenus in fide fiunt, &
sunt à Spiritu Sancto, qui habitat in nobis, concurren-
te libero arbitrio, tanquam partiali agente. Et ampli-
or & maior erit felicitas eorum, qui maiora et plura o-
pera fecerunt, propter augmentum fidei et charitatis,
in qua creuerunt huiusmodi exercitijs.

*Maiori fide
& charitati
maior mer-
ces.*

*Sola fide in-
ustificamur.*

8 Qui autem dicunt, Sola fide iustificamur: simul
tradere debent doctrinam de pœnitentia, de timore
Dei, de iudicio Dei, de bonis operibus, ut tota sum-
ma prædicationis constet, sicut Christus inquit: Præ-
dicantes pœnitentiam, & remissionem peccatorũ in
nomine meo. Idq; ideo, ne hæc loquendi formula
aliter quàm prædictum est,
intelligatur.

PRAEIVDICIVM IMP. MAIE-
 statis de articulis in Colloquio conciliatis, sicut de
 cæteris omnibus, ita etiam de arti-
 culo Iustificationis.

NE post tantos labores, tantamq̄ diligētiam lon-
 go iam tempore multifariam adhibitīs, ad cau-
 sam religionis componendam, ea denuò in gravio-
 rem controuersiam trahatur, & quo ulteriora incom-
 moda caueantur & auertantur, ac quàm minimū dis-
 sidij relinquatur, ut deniq̄ posthac auxilio Dei omni-
 potentis ad omnimodam concordiam articulorum,
 qui adhuc in controuersia supersunt, eo facilius per-
 ueniri possit: uideatur Imp. Maiestati deliberandū es-
 se, an consultum sit, ut saluo quidem recessu Augusta-
 no, articuli, de quibus inter Collocutores utriusque
 partis in Colloquio conuenit, recipiantur tanquam
 Christiani, nec amplius in disceptationem reuocen-
 tur: idēq̄ saltem usq̄ ad Concilium generale, penes
 quod sit ulterior examinatio illorum, & aliorum id ge-
 nus articulorum: id quod etiam Legato Pontificio uī *En consen-*
 detur, ut illius scripta satis testantur: dummodo ut *sum Legati.*
 gatus polliceat, & certiores nos facit, primo quoq̄ tem-
 pore habeatur Concilium, aut tantisper dum per ali-
 as uias legitimas, cum cōsensu Statuū, rationes aliæ su-
 scipiantur, quibus expediri tandē hoc negociū possit.

SENTENTIA ET CONSILIVM

de eisdem articulis conciliatis Principum

Electorum.

LEgerunt autem & expenderunt diligenter Ele-
 ctiores scriptum Imp. Maiestatis, & quantum ad
 controuersias in religione tractatas à Collocutori-
 bus attinet, utile ac bonum iudicant, sibiq̄ ita placet,
 ut articuli, qui à Collocutoribus conciliati sunt, ut bo

G ni

ni probiq; recipiantur, & rati habeantur usq; ad liberum & Christianum Concilium, uel ad Nationalem Synodum legitime congregatam: aut si neutrum horum obtineri queat, ad uenturum Conuentum Imperij. Hoc ipsum enim sperant plurimum conducturū, ut alia incommoda ac dissidia ampliora caueantur, & ad conciliationem reliquorum articulorum, qui adhuc in controuersia sunt, facilius perueniatur.

SENTENTIA ET PETITIO ORDINUM
Protestantium de conciliatis in
priori Colloquio articulis.

CAeterum quia Statib. prædictis placuerunt articuli conciliati, modò intelligantur rectè & Christianè, atque ad eò iuxta responſionem, quam scripto obtulerunt: perſtant adhuc in ea ſententiã, & rogant ſuppliciter Imp. Maieſtatem, ut efficiat eiſmodi articulos, pro auſpicato exordio concordie ab omnib. Statibus recipi, & ratos haberi. ſperant enim Status, Deum omnipotentem gratiam ſuam largiturum, ut hoc pacto ueritas magis atque magis dilatetur, & eo expeditius uſa ad Chriſtianam reformationẽ paretur. Quod uerò attinet ad articulos non reconciliatos, intellexit Imp. Maieſtas Statuum prædictorũ animum ac uoluntatem ex ſcripto ſuã Maieſtati oblato.

EA QUAE ORDINES PROTESTANTIAM
in ſua prima de conciliatis articulis reſponſione petierunt,
in articulo de Iuſtificatione euidentius explicari, atque eidem adijci.

Additio ad articulum de Iuſtificatione.

IN articulo de Iuſtificatione, ubi dicitur, Per fidẽ efficaciã: intelleximus id à quibusdã ita deprauari, ut interpretẽtur, Efficaci fide, id eſt operante fide: hoc eſt, fide cum operibus iuſtificari hominem. Eſt enim quorundam alterius partis uulgaris perſuaſio, Paulum

lum sic accipiendum esse, cum ait, Fide iustificamur: quasi uelit, fide præparamur ad iustitiam, id est ad dilectionem, propter quam postea accepti sumus, non fide propter Christum. Iam si articulus hoc modo deprauaretur, necesse esset hoc nos reclamare. Nostri enim cum dixerunt, *Viva seu efficaci fide*: significarunt, se loqui non de sola noticia historię, qualis est etiã in impijs: sed de fiducia apprehendēte misericordiã propter Christũ promissam, & erigēte perterrefactas mentes.

Fides efficax: fides apprehendens certē misericordiam in Christo.

In hanc sententiam locuti sunt nostri de efficacia, qua ipsa fides per se est motus, ardens, consolans, innitens Christo, et uiuificãs: sicut sequēs descriptio in articulo de Iustificatione ostendit, & propheta dicit: *Iustus sua fide uiuet*. Ergo ne ambiguitas discordias pariat, aut hæc declaratio addenda uideatur, aut eximendum uocabulum *Effici*. Et ut hoc loco magis solliciti sumus, mouemur quia in hac urbe etiam post Colloquium editæ sunt propositiones, quæ aperte damnant nostram sententiã, quæ est haud dubie uox Euangelij, de fide iustificante: & opponunt uulgarem persuasionem, *Sola dilectione sumus Deo accepti*. hoc quid aliud est dicere, quod non propter Christũ, sed propter proprias uirtutes, seu opera, homo sit acceptus Deo? Denique renouant illæ propositiones & alios errores pugnantes cum Euangelio. Si multi in alia parte durius suas falsas persuasiones ita pergent defendere, quæ spes poterit esse tranquillitatis aut concordie?

In Comitij depreuari ceptus articulus de Iustificatione.

In secunda parte articuli de Iustificatione, doctrina de bonis operibus explicanda est. Cum enim supra dictum sit in libro, manere in sanctis peccata in hac uita: & clare docendum sit, renatos in hac uita nunquam satisfacere legi Dei: quærunt piæ mentes;

Doctrina de bonis operibus explicanda.

Taxandã opinione corũ qui se place-re Deo pro-pter opera putant.

quomodo placeant Deo, cum adsint peccata, cum legi nondum satisfiat. Hęc quæstio semper exercet bonas mentes. & uidemus eam à scriptoribus Ecclesiasticis, Basilio, Hieronymo, Augustino, Bernardo, studiose agitatam esse. Hic igitur taxanda est arrogantia & hypocrisis, quæ ignorans doctrinã de fide in Christum, admiratur sese, & putat propriam munditiem, seu perfectionem, esse precium uitæ æternæ, cum Psalms dicat: Non iustificabitur coram te omnis uiuēs. Item, Si iniquitates obseruaueris Domine, quis sustinebit? Item, Tibi tantum pecco, ut tu iustificeris in sermonibus tuis, & uincas cum iudicaris.

Quomodo Deo placet inchoata obedientia.

Rursus pñ consolandi sunt, ut certò statuunt, primum personas Deo placere fide propter Christum, non quia legi Dei satisfaciant. Deinde & hanc inchoatam obedientiam, quam sequi necesse est, placere Deo, cum dolentes agnoscimus imperfectionem, & credimus tamen obedientiam placere propter Pontificem Christum, & perferri ad patrem, tanquam spiri-tuales hostias, ut Petrus inquit: Offerite spiri-tuales hostias, acceptas Deo per Iesum Christũ. confidant etiã, non quia legi Dei satisfaciant, sed propter Christum, ipsis, cum fide iustificati sunt, & hæredes facti, certò dari uitam æternam: iuxta illud, Hęc est uoluntas Patris, ut omnis qui credit in filiũ, habeat uitã æternam.

Discrimen peccatorum propter quæ amittitur gratia Dei, & propter quæ non amittitur.

Et quoniam in sanctis in hac uita manent peccata, adijciendum est discrimen peccatorum, propter quæ non amittitur gratia, & aliorum quæ excutiunt gratiam, & Spiritum Sanctum, hæc pars propter multas grauissimas causas addenda est. Hinc discunt pñ, fidem non significare tantum notitiã dogmatũ, sed fiduciam misericordiæ promissæ propter filium Dei, quæ fiducia non manet cum mala conscientia.

Discunt

Discunt item, non posse Deum inuocari ab ijs qui pergunt ruere contra conscientiam: quia non potest inuocari Deus nisi fiducia mediatoris Christi. Discunt item, neque hanc fidem seu fiduciam, neque Spiritum S. in his esse, qui delinquunt contra conscientiam.

Existimamus autem & dominos Collocutores de lectos ex altera parte, & alios uiros prudentes, & pios probaturos hoc consilium de his locis addendis.

SENTENTIA ET PETITIO DE
eisdem articulis concilatis Rerumpublicarum liberarum & Imperialiarum, quam in Colloquio tantum uerbo citauimus, non totam recitauimus.

ET quod uestra Imp. Maiestas ad deliberandum Ordinib. Imperij proposuit, si uideatur consultius articulos eos, de quibus inter Colloquutores utriusque partis conuenit, comprobare & recipere, saltem usque ad proximum generale Concilium, &c. uel donec alijs legitimis uis, cum assensu ordinum, & eorum inter se consensu, alia ratio constituatur & ineatur. Quandoquidem igitur uestrae Imp. Maiestati hoc ita consultum uidetur, placet nobis, maxime maiori parti inter nos, hanc uestrae Imp. Maiestatis sententia, ut conciliati articuli, ac praeterea ea quoque, quae Catholicis Collocutoribus uisa sunt in reliquis articulis, publicentur: & doceri ad eum modum, sicut Colloquentibus Catholicis uisum est, permittatur. Eo enim pacto, uulgo desiderium sciendi, quid in his rebus actum sit, tollatur, & cognoscetur apud omnes, uestrae Imp. Maiestatis, atque Ordinum Imperij, hac in re adhibita diligentia, & suspicio negligentiae submouebitur. Possit etiam hac ratione similtas & diffidentia, quae haecenus inter Seculares & Ecclesiasticos extitit, imminui, uel forsan hac uia penitus tolli. Cum alias, si hoc Imp. ue-

stre Maieſtatis propoſitū nō deberet progredi, mutua
diſſenſio & offenſio atque perturbatio queat augeri.

TESTIMONIUM DE CONCI-

liatis articulis nobilis & doctiſſimi viri D.

Iulij Pflug. & Io. Gropperi.

IN prima actione hac de re duo tantum loca ex ho-
rum ſupplicatione fuerūt per nos adducta, in altera
autem tota eorū ſupplicatio recitata: ne igitur eadem
repetenda ſint, hīc totam illam ſupplicationem ſub-
ſcribemus, quæ ſic habet.

ILLUSTRISSIMO PRINCIPI DO-
mino Friderico, Comiti Palatino Rheni, Bauariæ Duci, &c. & Il-
luſtri Domino Nicolao, Domino à Granuela, Præſidibus, ac illu-
ſtribus, & magnificis Dominis Auditoribus, Colloquio
de religione nuper à ſacra Imp. Maieſtate
præſectis & aſcitis.

Qui præſi-
des Colloquij
fuerint.

Illuſtriſſime Princeps, Illuſtres & magnifici domi-
ni: Non dubitamus ſingulari Dei prouidentia
& benignitate factum eſſe, ut cum non multo poſt
exorſa Comitia. Inuiſſiſſimo Imperatori Carolo Au-
guſto, aſſentientibus ampliffimis Sacri Imperij Ordini-
bus, placuiſſet, I octorem Ioannem Eckiū, & nos
ambos ad colloquēdum de religione cum Proteſtan-
tibus deligere: ſimul etiam hoc placuerit, ut eidē Col-
loquio Illuſtriſſima, Illuſtres, & Magnificæ D. V. ſue
Maieſtatis nomine, partim authoritatis cauſa præſen-
ſent, partim ferendi testimoniij gratia adēſſent. Oſten-
dit enim rerum euentus, qui eſt præſens cauſæ Sta-
tus, quā iniquis calumnijs expoſiti eſſemus, niſi Il-
luſtriſſima, Illuſtres, & Magnificæ D. V. ut debent, i-
ta quoq; uelint ueritati rerum geſtarum testimonium
perhibere. Nouerunt illæ, quo pacto nos ad hanc
prouinciam, in initio uocati ſimus: neq; enim, ut ſcitis,
ingel-

ingessimus nos ultro, sed diu ineptitudinem nostrā, cum apud nostrorum Principum Electorum Legatos & consiliarios, tum apud Imp. Maiestatem excusauimus, & obtestati sumus, ut hæc sarcina iumētis tanto oneri ferendo aptiorib. imponeretur. Sed ut nouerūt amplissime D. V. auditi nō sumus, protracti & addacti in hoc opus, quod alios suscepisse cuperemus, qui illud maiore cum fructu absoluere potuissent. Nunc ubi postulatam obedientiam præstitimus, & quod in nobis fuit, summa cum fide & sinceritate (Deum & conscientiam nostram testamur) non sine ingenti labore & fatigatione peregrimus, non solum nullas gratias referimus, sed etiam planè immerentes grauem calumniam sustinemus: idēq; ab illo, à quo tale nihil suspicati sumus, & quem hoc facere ob graues & multas causas, si sui meminisset, minimè deceret. Is est D. Eccius, collega nuper noster: qui cum gestum Colloquium, cui ipse multo tempore, & quoad febri corriperetur, nedum interfuit nobiscum, sed & quodāmodo pro sua autoritate præfuit, aduersus omnē iniustam calumniam tueri & defendere deberet, primus omnium est, qui atrociter impetit & conuellit. Vidimus enim scriptū eius, quod non ad quoslibet, sed in ipsum Senatum Sacri Imperij Principū, Prælatorum, & Ordinū transmissum est: quo ueritus non est testari, sibi neq; placuisse, neq; placere, neq; placitum unquam ullum librum, quem uocat insulsum, per Imp. Maiestatem exhibitū: in quo, ut ait, tot errores & uitia deprehenderit, quem & eodē suo scripto nullis rationibus additis censoria nota damnat, & indignum iudicat, ut à Catholicis recipiatur, quem etiam, ut est Imp. Maiestati post habitum Colloquium redditus, se uidisse pernegat. Affingit quoq;, nescimus

Iulius & Gropperus inuiti ad colloquium pertracti.

Gravis Eccij calinia. Eccius quasi præfuit Colloquio.

Eccius Colloquiū quod tueri & defendere debet, primus omnium atrociter impetit & cōuellit.

Conuicia in librum ab Imp. Maiestate oblatū Collocutoribus.

Eccij mendacium.

MUS

mus quam scripturam, quæ se in scio simul cum libro Imp. Maiestati fuerit oblata. Adhæc audiuimus, eum in singulos etiam articulos, tam cõciliatos, quàm non conciliatos, mordaces censuras consarcinasse: quibus nihil aliud sit annexus, quàm ut si posset, adstrueret, nihil esse in toto libro, ut Cæsari redditus est, quod non sit uel superuacaneũ, uel erroneum, uel nullius ad componendas has religionis discordias momenti.

*Censura Ec-
cij in librum
Imperatoris
calumniosa.*

*Quantũ no-
cuerit Eccia
na calũnia.*

Et ut hæc febricitans, forsan impetu magis animi, quàm certo iudicio effuderit: cõperimus tamẽ, illum hac sua suggestione euicisse, ut in primis sui Illustrissimi Principes Bauari, & per hos plerique alij, ad sic, ut ille uellet, sentiendũ sint persuasi: et non persuasi tantum, quod ad se attinet, sed etiam huc adducti, ut Cæsareæ quoque Maiestati hæc, quæ Eccius effutiuit, quàm maxime approbata uelint.

Sed hoc uno nos foelices iudicamus, quod uos rebus omnibus adfuitis spectatores, quod nihil in hac tota causa uobis in scijs actum sit, quinimo nihil penẽ uobis nõ mandantibus. Si priuato consilio, ambitione, seu ullo affectu permoti, nos in hanc prouinciã ingessissemus, si non intotum, quod Imp. Maiestas præscripsit, fideliter esse mus insecuti, si is liber, quem Imp. Maiestas obtulit (non à nobis profectus) cum Eccio totus prælectus non fuisset, si idẽ à summæ auctoritatis uiris (quibus non immeritò Imp. Maiestas, simul, cum amplifs. Ordinibus, in his saltem, quæ inter nos Collocutores commenta sunt, plurimũ detulerit) priusquam colloquiũ iniremus, cõprobatum non fuisset: denique si non ipse Eccius, tamdiu nobis in Colloquio collega assedisset, & maximam illam libri partem, quæ eo præsentẽ excussa est, in his quæ utrinque concordata sunt, ut sana & Catholica, non

Eccius conciliatos articulos ore et scripto comprobauit.

sua

sua uoce tantum, sed partim etiam scripturæ suæ testi-
 monio recepisset, haberet forsan, quod illustrissimæ,
 illustribus, & magnificis Dominationib. uestris præ-
 texeret, ne eum planè calumniari existimarent. Nunc *Liber ante*
 autem cum illæ sciant, quo consilio nos adhibiti, qua *Colloquiū à*
 diligentia liber, & per quos ante Colloquiū excuslus, *multis et ma-*
 qua ratione Colloquiū cœptum, & assidente multo *gnis excus-*
 tempore Eccio gestum fuerit, non est cur metua- *sus.*
 mus eum uobis ullum fucum facere posse. Imò illu-
 stris, illustres, & magnificæ D. V. non nos tantum
 sumus, quæ si Ecciana persuasio obtineat, in grauem
 suspicionem sui muneris sibi commissi non satis fide-
 liter acti adducantur: quo scilicet tanto tempore colla-
 tionis de religione affederint, & tamen de his quæ de-
 prehendit Eccius tam obfutura & religioni, & Im-
 perio, sacratis. Cæsarem non in tempore admonue-
 rint, & suam Maiestatem, ac omnes simul Ordines
 cum tanta suarum rerum iactura in hoc articulo tam
 diu remorata sint. Sed gratia Deo, illustriss. illustres,
 & magnificæ Dominationes uestræ, hanc habent
 apud Imperatoriam Maiestatem inuiolabilem fidem,
 hæc obtinent apud totum orbem suæ uirtutis & inte-
 gritatis laudem, ut nemo dubitet, quin uobis potius,
 quàm uni Eccio, in hac re fides adhibenda sit: præser-
 tim quod uos ad Colloquiū istud non obiter acces-
 sistis, quod quæ ultro citroq; disputata sunt, non per
 transitum (ut dici solet) sed attentis animis, idq; ex
 Imperatorio mandato uobis facto excepistis, & me-
 moria, non dubiū est, rectè & bene tenetis. Gra-
 tia item Deo, quod illustrissimæ, illustres, & magnifi-
 cæ Dominationes uestræ, uiderunt Eccium collo-
 quio, & excusioni libri, usque ad articulum de Eu-
 charistia nobiscum interesse: quod audierunt eum

H omnia

Præsides Colloquij audierunt Eccium conciliatos articulos comprobare.

Eccius articulum de Iustificacione libenter approbavit, etiam scripto.

Colloquium magna religione gestum.

Contra D. Iulium et Gropperum non auditos Ecciana calumnia a quibusdam recepta.

Eccij iniqua calumnia.

omnia, quæ eousque conciliata sunt, sua uoce nobiscum approbare. Gratia denique Deo, quod & ipsius Eccij manus apud nos est, qua testatum reddere possumus toti orbi, ipsum non in quouis, sed in articulo omnium maximo, qui Iustificacionis est, eam sententiam, quam liber Cæsari oblatus complectitur, libenter approbasse: ne dicamus, quod ipse solus primus author fuerit, quò articulo, qui de eadere in libro per Cæsarem collocutoribus exhibito copiosior erat, expuncto, maior iste, et qui maiori explicacione, quod inter colloquendum testati sumus, indiget, sit substitutus. Porro qua specie, quo gestu, quibus affectibus. Colloquium istud peractum sit, et num ludetes an serio contulerimus, num inuicem libenter cesserimus, quum ad morbum usque a quibusdam nobis laboratum sit, & uos optime scitis, & actio ipsa satis declarat. Atque utinam a principibus, & proceribus, illis, apud quos Ecciana persuasio nimis cito, ac præpropere obtinuit, et nostro labore in ipsorum gratiam insumpto, tantum meriti essemus, ut nos prius de conciliatis articulis audissent, præsertim quod de his rationem reddere semper fuimus parati, quæ eos & damnassent, & per Cæsarem dandos & supprimendos suo scripto, quod Cæs. Maiestati offerre decreuerunt, iudicassent. Sed non grauatur hanc mercedem laboris, & officij nostri, quam habemus cum omnibus bonis, qui Reipublice labantur bene & ex animo consultum uolunt, communem referimus, a Deo opt. max. aliam expectaturi, si tamen Illustrissimæ Illustris & Magnificæ Dominationes uestræ famam & opinionem nostram ab iniqua ista calumnia uindicare non detrectent. Detrectare uerò non possunt, nisi suscepti officij (præsides enim, et testes totius Actionis nostre constitutæ sunt) immemores esse uelint, et nostre presentis necessitati, ad

ad quam Cæsaris & illarū authoritate sumus adacti,
 subuenire nolint. Scimus Christiani hominis esse, in-
 iurias iniuste illatas patiēter ferre: sed interim scimus,
 crudelis hominis esse suā famā negligere, maxime cū
 hinc ueritati periculū, & infirmiorib. scandalū immi-
 net. Quamobrē Illustriss. Illustres & Magnificas Do-
 minationes uestras per Deum opt. max. cuius negoti-
 um uobis præsentibus & iubētib. egimus, & pera-
 ctum Eccio priusquā liber Cæsari redderet, renuncia-
 uimus, oramus et petimus, ut pro suo officio, quo per-
 functi sunt, soli ueritati testimoniū perhibere, et in pri-
 mis Augustissimo Cæsari, deinde reuerendissimo Le-
 gato, ad hæc Reuerēdissimis & Illustrissimis Electori-
 bus, denique cæteris principibus, prælatis, & proceri-
 bus, apud quos omnium grauissimè sumus traducti,
 scripto uestro significare uelit, quo cōsilio huic actio-
 ni per Cæsare adhibiti fuerimus, qua fide & diligētia
 in mādato negotio uersati simus: breuiter, ut quid uos
 de tota actione nostra sentiat, publicè testari digne-
 mini, quo hoc uestro testimoniū omni prorsus exce-
 ptione maiore, opinionē nostrā læsam, apud omnes in-
 integrū restituere, et calumniā, qua immerētes impeti-
 ti sumus, depellere, ac ppetua et irrefragabili testifica-
 tione fidē et innocentiam nostrā toti orbi cōprobare pos-
 simus. Fecerint eo Illustrissimæ, Illustres, & Magnif.
 D. v. rē se longe dignissimā, et nobis planè necessariā,
 perpetua obseruātia & obsequio erga eas pensandā.
 Illustrissimæ, Illustrium
 & Magnificarum D. v.

Obseruantissimi
 & deditissimi

Julius Pflug.

Io. Gropper.

H 2 His

His actionē primī diei, id est sexti Februarij, nobis concessi, conclusimus. Duobus sequentibus diebus à Colloquio cessatū est: proximus enim erat dies Dominicus, altero incidit Episcopo Eichstetensi quaedā ualitudinis affectio, & aliā occupationes.

ACTIO HABITA IX. FEBRUARII.

Altera disputatio de loco dicendi.

HOc die cum rursus in collocutionis nostræ loco conuenissemus, & nos cœptam prosequi actionem institueremus, interpellauit iterum nos Maluenda, multisq; & acriter iussit, ut ipsi liceret ad præfata nostra, & aliā quæ attulissemus, respondere, priusq; ad reliqua progredieremur. Ea q; in re fuit adeo flagitando uehemens, ut & Præsides deliberatione habitā, à nobis peterent, ut Maluendæ petitioni concederemus: ita enim minus confusum iri præfationes cum tractatione causæ. Nos uerò metuentes, ne ab Imperatore resolutio afferretur, qua nobis respondendi ad ea, quæ Collocutores partis alterius, de Iustificacione iam Actis intulerant (quod postea accidit) locus non daretur: respondimus, præfata cum causa ipsa permixta esse: idq; nos cauere uoluisse, dum peteremus nobis locum dari, ut præfationi Maluendæ nostram statim subiiceremus, priusquā ille dicere de Iustificacione inciperet. Id autem ne ab ipsis Præsidibus impetrarem, Maluendam obstitisse: æquum igitur esse, cum incertum sit, quousq; nobis dicēdi spacium prorogandum sit, sicut ipse post præfata sua, etiam de Iustificacione dicere, nec nobis permittere uoluit nostram præfationem interponere: ut ita nunc sinat & nos de Iustificacione post nostrā præfationē respōdere. Præsides itaq; petitionē nostrā, eius æquitate perpēsa, cum ab ea discedere nollemus, tandē admiserūt.

PROSE

PROSECVTIO ACTIONIS COE-

pta per Collocutores Confessionis

Augustanae.

CVM itaque per reliquum huius diei pomeri-
dianū tēpus, dicēdi locus nobis esset restitutus:
primū cōclusimus ea, quæ de articulo in priore Col-
loquio conciliato adduxeramus: deinde responsionē
ingressi sumus de Iustificacione, ad hunc modum.

CONCLUSIO DE ARTICVLO

Iustificacionis in priori Colloquio conciliato.

EX causis igitur antea commemoratis, ne scilicet
uideamur leue ducere beneficium illud Christi,
quo tantam conciliationem articuli de Iustificatio-
ne, hoc est, de uera pœnitentia, de remissione peccato-
rum, de fide & operibus, dedit, hactenus recipi, atque
comprobari, & ab ipsa Imp. Maiestate, & à Concilio
Electorum, & à tot reliquis Principibus & Ordinib.
Imperiij, ne ue eò cum Imp. Maiestatem, tum existima-
tionem cæterorum Principum & Ordinum, qui eam
conciliationē omnes amplexi sunt, imminuamus: de-
nique ne existimemur uelle actum agere, & in frugife-
ris Colloquijs tēpus extrahere, Ordinesq; Imperij in-
utilibus laboribus & impēdijs onerare potius, quàm
piam aliquando de religione consensionem consti-
tuere: Rogamus iterum atque iterum reuerendissi-
mum & generosum, dominos Præsides, ut actis Col-
loquij inferi iubeant, & conciliatum in Colloquio in
proximis Comitijs hîc celebratis habito, articulū, &
Imp. Maiestatis, tum & reliquorum Principum et Or-
dinum Imperij, ipsorumq; Collocutorum alterius
partis de eo præiudicium, atq; de explicando & au-
gendo eo petitionem. Nec enim dubitari potest, quin
Imp. Maiestatî & Ordinibus Imperij hoc gratum fur-

*Repetitæ
causæ, cur ad-
ductus sit ar-
ticulus de iu-
stificatione
in priore col-
loquio conci-
liatus cū suis
præiudicijs.*

turum sit, atq; ad id, ut de plena consensione religionis statuatur, perutile. Et dominos Collocutores alterius partis oramus, ut & ipsi de eo articulo, atq; explanatione, & additione eius, quam nostri principes & ordines fieri rogarunt, suam uelint sententiam dicere. Confidimus enim & eos, si hæc omnia ritè expendèrint, à tot iustis de hoc articulo præiudicijs, non fore alienos.

TRACTATIO ARTICVLI DE
Iustificatione, ex Confessione Augustana.

Nunc iuxta præscriptum ab Imp. Maiestate ordinem, descendemus ad explicandum articulum Confessionis nostræ quartum, qui est de Iustificatione: & id eo quidem ordine.

Primum studebo articulum hunc explicare: deinde uerum eius sensum scripturis certis confirmare: postea quæ doctiss. D. Maluenda de eadem re attulit, cum nostro articulo conferre.

ARTICVLVS DE IUSTIFICATIONE,
ex Confessione Augustana.

Articulus Confessionis Augustane, de Iustificatione.
Item docent, quod homines non possint iustificari coram Deo proprijs uiribus, meritis, aut operibus, sed gratis iustificentur propter Christum, per fidem, cum credunt se per gratiam recipi, & peccata remitti propter Christum, qui sua morte pro nostris peccatis satisfecit. hanc fidem imputat Deus pro iustitia coram ipso. Ro. 3. & 4.

DISTRIBVTIO ARTICVLI.

Quia uerò recta differendæ ratio poscit, ut talibus colloctionibus theses proponantur, quam fieri potest simplicissimè, diuidere hunc articulum in quatuor capita uisum est.

Primum horum est: Homines non possunt iustificari

carioram Deo proprijs uirib. meritis, aut operibus.

Secundum: Gratis autem iustificantur propter Christum, per fidem, cum credunt se in gratiam & recipi, & peccata remitti propter Christum.

Tertium: Christus sua morte pro peccatis nostris satisfecit.

Quartum: Deus imputat fidem pro iustitia.

EXPLICATIO PRIMICAPITULI

tit, & uocis iustificari.

AD explicandum igitur primum caput nostri articuli, quo negamus homines iustificari coram Deo ex proprijs uiribus, meritis & operibus, necesse est primum omnium explicari uocem iustificari, & ostendere, quo nos significatu hoc uerbo utamur.

Multiplici enim significatione in scripturis usurpat.

Doctiss. D. Maluenda duas eius significationes adduxit .unam, cum significat ex peccatore fieri iustum: alteram, cum significat iustum fieri iustiore. Verum plures huius significationes sunt: & eam, qua Apostolus uerbo isto usus est, quam & nos in Articulo Confessionis nostrae secuti sumus, D. Doctor praterijt.

Quam multiplex significatio uerbi iustificari.

Constat uerbum iustificari in scripturis fore se uerbum esse, & significare proprie secundum aliquem iudicari, causamque alicuius comprobari, ut Deut. 25. Cum inter litigantes iudicandum est, iustum iustificent, & impium condemnent. Et Prouerb. 17. Qui iustificat impium, aut qui condemnat iustum, uterque est abominatio Domino. Item Esaiæ 5. Qui iustificat impium propter munus. Ab isto autem forensi usu deductum est, ut iustificari significet in genere approbari aliquem, uel ut iustum agnosci, atque laudari. Hinc Lucas de populo & publicanis, qui ad praedicationem

Quid iustificare et iustificari significet in scripturis.

cationem Ioannis baptizati sunt, scribit, quòd iustificauerunt Deum: id est, iustum agnouerunt, & confesi sunt. Item Psal. 51. In te solum peccaui, ut iustificeris in uerbis tuis. Inde & illud Domini fuit ad Pharisæos, Vos iustificatis uos coram hominibus.

Sed in nostro articulo agitur de iustificatione hominis coram Deo, quam apostoli prædicant constare fide Domini nostri Iesu Christi.

Quid iustificari, cum dicitur, Fide sola iustificari hominem.

Apostolico igitur significato uerbum hoc iustificari coram Deo usurpamus: hoc est, pro eo quod est hominem à Deo propter mortem filij sui, Domini nostri Iesu Christi, condonatis peccatis, recipi in gratiam, adoptari, regenerariq; in filium, & hæredem uitæ æternæ. Hac enim significatione apostoli usi isto uerbo sunt, cum dicunt, Ex operibus legis non iustificabitur coram Deo omnis caro. Et nos in Christum Iesum credidimus, ut iustificemur ex fide Christi, & non ex operibus legis: Rom. 3. Gal. 2. Quos uocauit, hos & iustificauit. Quis accuset electos Dei? Deus est qui iustificat: Rō. 8. In hoc omnis credēs iustificat ab omnibus, à quib. iustificari in lege non poterat: Act. 13.

Quod autem hæc omnia insint, & adhæreant iustificationi, dum uerbum iustificari hoc apostolico intellectu usurpatur, cum cætera loca scriptorum apostolicorum, tum maxime 5. caput. Rom. clarè testatur, ubi Paulus scripsit: Iustificati igitur ex fide, pacem habeamus ad Deum, per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus, & gloriamur in spe gloriæ, filiorum Dei, & c.

Iustificari pro approbati bene agentem.

Est & alia significatio huius uocis, qua usus est D. Iacobus, cum ex eo, quod Deus laudauit Abraham propter obedientiam suam, quam immolatione filij sui exhibi-

exhibere paratus erat, promissionemq; ei iterum confirmavit, multiplicandæ posteritatis, & donandi seminis benedicti, Christi Domini, concludit, Abraham iustificatum esse etiã ex operibus, non ex fide solum. Hæc autem iustificatio aliud non fuit, quàm recte facientis collaudatio, & remuneratio, non personæ in gratiam receptio, & in sortem filiorum Dei adoptio. Negari enim non potest, Abraham fuisse iustificatum fide multo antè quàm filium esset immolare iussus, omnemq; etiã promissionem de propitio Deo, de Christo, & pia prole, eiusq; amplitudine, & felicitàte percepisse, ut 12. & 15. Gen., clare legitur, & Apostolus urget Rom. 4. & Gal. 3.

Quid iustificari ex operibus.

Nunc ad primam thesim nostri articuli de Iustificatione. Cum dicimus hominem non posse iustificari ex proprijs uiribus, meritis, aut operibus, intelligimus nullum hominem posse reconciliari Deo, accipere remissionem peccatorum, adoptionem atq; oblationem in filium Dei, & ius uitæ æternæ, ex suis uiribus, meritis, aut operibus.

COMPROBATIO PRIMI capitis.

Scripturæ autem testimonia, ex quibus docemur, ut ita credamus, & confiteamur, innumera sunt. Conclulit enim illa omnia sub peccato, ut promissio detur credentib. ex fide Iesu Christi, Gal. 3. Et est Christus huius totius legis & scripturæ finis; ad iustitiam omni credenti, Ro. 10. De paucis igitur locis admo-
nebo, Gratia salui facti estis per fidem, non ex uobis: donum Dei est, ne quis gloriatur, &c. Apparuit bonitas & humanitas saluatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiæ, quæ nos fecimus, &c. Qui nondum cre-
I dunt

Non iustificati sunt Christo impij sunt, & inimici Dei. Rom. 5. et iracundi hominis. Dei manet super eos. Io. 3. Filij iræ sunt, & mortui peccatis. Ephes. 2. Malæ arbores sunt. Matth. 7. Caro & nulla possunt, nisi cõdemnationis esse merita. mundus, & animales sunt, igitur non possunt spiritum Dei, & quæ Dei sunt capere. Stultitia illis sunt, & sensus eorum est inimicitia aduersus Deum. Io. 3. 14. 1. Cor. 2. Ro. 8. Non possunt igitur tales ad Christum uenire, non tracti à patre. Io. 6.

Conclusio.

Ex his facile intelligitur, nondum credentē Deo, & nondum iustificatum in Christo, non posse suis uiribus tam uitiatīs & peruerlis, suisq; operibus, quæ cum ex fide non fiant, peccata sunt, iustificari: hoc est, percipere remissionem peccatorum, spiritum adoptionis, communionem Christi, uitam æternam. Idem D. Augustinus, doctor sanè catholicus, in libris suis contra Pelagianos, multis scripturis euidentissimè euicit, meritis scilicet impij non nisi pœnam deberi, non gratiam.

SECUNDVM CAPVT ARTICVLI.

de Iustificatione, ex Augustana Confessione.

Homines iustificantur gratis propter Christum per fidem, cum credunt se in gratiam recipi, & peccata remitti propter Christum.

COMPROBATIO ET EXPLICATIO huius Capitis.

HOc caput articuli nostri ipsis Apostoli uerbis constat, quare probatione opus non habet. Sic enim legimus Ro. 3. Iustificantur gratis illius gratia per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in eius sanguine. Item Act. 26. memorat Paulus, Dominum sibi

bi dixisse: Mittam te ad gentes, ut aperias oculos eorum, ut conuertantur à tenebris ad lucē, & de potestate Satanae ad Deum, ut accipiant remissionem peccatorum, & sortem inter sanctos per fidē, quæ est in me.

DE NOMINE FIDEI, QUAM
varium sit.

DE nomine autem fidei est aliquid adiiciendum. *Quam multiplex fides.*
 Nouimus enim in scripturis memorari fidē temporariam, ut Matth. 13. & Luc. 8. ubi notantur, qui ad tempus credunt, & tempore tentationis recedunt. Et fidē eorum, quibus se Dominus non credit, Ioan. 2. Item fidem non audentium Christum propter cupiditatem gloriæ mundanæ confiteri, Ioan. 12. Fidem denicq; mortuam hominum, & tremefacientem demonum, Iac. 2. Nos autem in articulo nostro loquimur de ea fide, de qua & Apostolus, & Dominus ipse in locis iam adductis & similibus locuti sunt. Ut cum dicit Dominus: Qui credit in me, habet uitā æternam. et, Fides tua te saluam fecit.

QVID FIDES.

Quæ fides, ut docemur 2. Cor. 4. & alijs in locis, utq; Ecclesia semper credidit, donum est, & testimonium Spiritus S. quod largitur, & præbet spiritui nostro, ut certum & indubitatum præbeamus assensum Euāgelio, & firmiter credamus, Deū nobis peccata condonare, & habere nos filiorum loco, propter Christum filium suum: ita ut sine hæsitatione inuocemus eum patrem, & sciamus, quod quæ ab eo in nomine filij sui petimus, daturus sit nobis. Io. 6. 14. 15. 20. 1. Ioan. 3. Ro. 8. Gal. 4.

DE FIDEI CERTITVDINE.

Cum autem ob infirmitatem carnis nunquam factis firmi in hac fide simus, & graues saepe de pro- *De certitudine fidei.*
 missis

missis Domini dubitationes animos nostros fatigent, debemus semper orare Dominum, ut fidem nobis au-geat, & confirmet, & omnes nos dubitatione de salute nostra ex misericordia sua propter Christum nobis perficienda, prorsus liberet.

Eam enim fidem prædicare debemus, quam Apostolus nobis proposuit in patre, & primo creditū exemplo Abrahā: quæ prædicat, cum accepisset promissionem de filio, quando annos habebat centum, & Sarah ad concipiendum per ætatem iam inepta esset, nō considerasse naturæ impossibilitatem, uel in se, uel in uxore sua, neque de uerbo Dei dubitasse per incredulitatem (huius enim solius proprium est, de promissionibus Dei ambigere) sed confirmatum fide, dedisse hanc gloriam Deo, ut certò statueret, id est *ωλυροφορηθεις*, Deum posse, nec minus uelle ipsi præstare, quod promiserat. Rom. 4.

Vnde de salute trepidatio.

Nostram autem dū infirmitatem respicimus, imò dum summas, quas habere possumus, uirtutes consideramus, non solum dubitandum nobis est de salute nostra, uerum etiam planè desperandum, quod quidem attinet ad nostra in his merita. Non enim satisfaciunt ulla nostra officia legi Dei.

Cum autem scriptura ubiq; & omnes S. patres nos hortentur, ut misericordia Dei firmissime confidamus, & ut in orationibus nostris, in quibus uitam æternam in primis petimus, nihil dubitemus accepturos nos quod petimus: atque ubique illud inculcent, nō confundi, qui confidunt in Domino: magnopere sanè dolendum & deplorandum est, audere homines docere, nos non debere certò statuere, nobis esse peccata remissa, & donatam uitam æternam, cum hanc

hanc à Deo per filium eius uera fide, quæ nunquam sine pœnitentia est peccatorum, precamur. Neque enim uerbum unum ex omni scriptura potest proferri, neque etiam ex S. patribus, unde ista fidei defectio & euersio possit colorari. Illud enim quod ex Ecclesiastæ 9. adducit, Nescit homo an sit amore uel odio dignus: non habetur in Hebræo, quod & ex Hieronymi uersione cognoscere licet.

DE UOCE (SOLA) CVM DICITUR,
Nos sola fide iustificari.

Superest quod uoce (sola) utimur, ac dicimus homines sola fide iustificari. Id enim calumniantur quidam, ac si intelligeremus inanem quandam de Christiana religione opinionem ad salutem hominis sufficere, sine omni hominis ad placita Dei regeneratione, sine pœnitentia, & sine studio bonorum operum, & quasi per hanc uocem (sola) excluderemus à fide spem & charitatem. At nos cum prædicamus fidem iustificantem, simul quæ illa sit explicamus, & clare testamur, quòd ea fides in Christum uera non sit, cui desint pœnitentia peccatorum, spes & charitas, & studium bonorum operum. Cumq; dicimus cum S. patribus, nos sola fide iustificari: declaramus id idem pollere, atque Apostoli uerbis dicere, iustificari nos gratis et sine operibus. ut hæc uox (sola) excludat bona opera, & alias uirtutes, non ab homine iustificato, sed à uim merendi remissionem peccatorum, & uitam æternam. ut dicere nos iustificari sola fide, aliud non sit, quàm iustificari nos nullis nostris, sed solis Christi meritis, quæ donata nobis, fide apprehendimus. Et quia hic germanus usus est huius uocis, & uetus Ecclesia eadem uoce ad ædificationem fidei usata

I 3 est,

est, non est nostrum, eam cōcedere ijs qui gratiæ Dei per laudem humanorum operum detrahere conantur. Sicut nec S. patres olim cedere uoluerunt uocem *ἰουδαίου* Arrianis, cum uidebant id aliquam impietatis illorum commendationem, & ueritatis obscuracionem allaturum. Ecclesia enim Christi, ut rerum, ita & uerborū domina est, hæctenus, ut ad ædificatiōē fidei in Christum omnibus & uerbis & rebus utatur.

TERTIVM CAPVT ARTICVLI
de Iustificatiōe, ex Confessione
Augustana.

Christus morte sua pro peccatis nostris satisfecit.

EXPLICATIO ET COM-

probatio huius Capitis.

HOc caput, quo confitemur, Christū morte sua pro peccatis nostris satisfecisse, sic intelligimus, quod sola hac hostia expiari peccata nostra possint, & quæ ante, & quæ post iustificatiōem sui homines admittunt. Iuxta illud Ioannis: Si dixerimus quod peccata non habemus, ipsi nos seducimus, et ueritas in nobis non est: si confiteamur peccata nostra, fidelis est, & iustus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. Et 1. Ioan. 2. Filii mei, hæc scribo uobis ut nō peccetis. Sed & si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem, Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantum, & c. Esaiæ 53. Infirmi tates nostras ipse portauit, et dolores nostros ipse sustinuit, Omnes nos quasi oues errauimus, singuli in uiam propriam respeximus. Et, Dominus fecit concurrere in eo omnium nostrū iniquitates.

CAPVT

Fidem imputat Deus pro iustitia coram ipso.

COMPROBATIO ET EXPLICATIO
huius Capituli.

HOc caput non ita intelligimus, quod Deus fidem ipsam per se pro iustitia imputet, quæ coram ipso iusti sumus, & uitæ æternæ participes. Est enim & fides ipsa ex parte, & legi Dei non satisfacit. Sed quia hæc apprehendimus iustitiam perfectam Christi, ideo Apostolus dixit: Credenti in eum, qui iustificat impium, fidem eius reputari in iustitiam. fidem scilicet apprehendentem iustitiam Christi, id est ipsam Christi iustitiam, fide apprehensam. Miramur uero quæ fieri possit, ut hoc uerbum imputandi, tam displiceat quibusdam, cum Spiritus S. eo tam libenter sit usus. In uno enim cap. 4. ad Ro. usus est hac uoce undecies.

Hæc pro explicando & confirmando articulo de Iustificatione nostræ Confessionis, dicere nunc uisum est.

COLLATIO EORVM QVÆ MALUENDA de Iustificatione attulit, cum Confessione Augustana.

Et hæc quoq. non ad uerbum à nobis excepta sunt, sed tantum per capita annotata.

PRæcepto Imp. Maiestatis dispicere debebamus, quid in nostra confessione Augustana recipiendum esset, quid secus. Secundo itaque loco, quæ Maluenda de Iustificatione suo more ex Scholasticis confusa attulit, ad confessionem Augustanam contraximus, & cum ea, distributa in tria genera, contulimus. Nam quædam Maluendæ cum nostra confessione consentiunt, nonnulla ambiguum sensum habent, aliqua nostræ Confessionis contradicunt.

QVÆ

QVAE EX PROPOSITIS A MAL-
uenda de Iustificacione cum nostra confessione
consentanea sunt.

- 1 Deum esse primam efficientem causam iustificationis.
- 2 Christum Dominum, ut redemptorem & mediatorum.
- Ex propo- 3 In iustificatione peccatum remitti per Christum
sitione Mal. 1. mediatorum ex mera Dei gratia, nullis nostris meritis.
- Ex Mal. 2. 4 Liberum arbitrium non posse iustificationem accipere, nisi motum & adiutum gratia Dei.
- In Maluenda 5 Ad iustificationem necessariam esse fidem, qua
tertia. quod Deus misit nobis filium suum propitiatorem,
& quod per sanguinem huius peccata nobis remittuntur.
- Ex Mal. 5. 6 Actus nostros concurrentes ad iustificationem non mereri iustificationem.
- Ex Mal. 6. 7 Peccata omnia, quae ullo unquam tempore remittuntur, remitti per sanguinem propitiatoris.

De his, quod ad uerba attinet, nullam esse inter nos controuersiam, inter agendum confessi sumus. Ea autem quae ambigui sensus sunt, explicauimus.

AMBIGVA EX MALVENDICA doctrina.

- Ex Mal. di- 1 Fidem esse initium iustitiae.
sputatione
 - de causis iu- 2 Fidem solam ad iustificandum non sufficere, sed
stificationis. requiri etiam spem, charitatem, & actum primum cha-
Ex propo- ritate informatum.
sitione Mal. 4.
 - Ex propo- 3 Concurrere ad iustificationem in adultis actus li-
sitione Mal. 2. beri arbitrij.
 - Ex propo- 4 Gratiam infundi in iustificatione.
sitione Mal. 1. 5 Augeri iustitiam per bona opera.
- Ista igitur cum inter nos incerti sensus sint, excussimus ea, & quo sensu cum nostra Confessione consentiunt,

sentiant, quo dissentiant declarauimus.

Primum enim, cum dicunt, fidem esse initium iusticiae, quandoquidem sanctorum duplex sit iustitia, Christi perfecta, quae illis imputatur, & in illis per spiritum Christi inchoata, quae est imperfecta, diximus explicandum esse de utraque iustitia dictum hoc debeat intelligi. De iustitia quidem in credentibus inchoata, quae nimirum constat, fide, spe, & caritate, & comitibus harum caeteris uirtutibus, recte dici, fidem esse initium iusticiae: fidem enim esse inter uirtutes ordine primam, atque adeo iusticiae in nobis informatae principem partem.

Duplex iustitia, perfecta Christi, & inchoata in sanctis.

Quoniae autem haec inchoata in fidelibus, & nondum absoluta iustitia, non ea est qua iustificamur coram Deo, iustificatione uitae, qua peccata scilicet nobis condonantur, & uita aeterna addicitur: Legi enim Dei haec iustitia non satisfacit: necesse est, cum de iustificatione ista principe agitur, qua constat adoptio in filios Dei, & uitae aeternae haereditas, ut alteram illam Christi iusticiam non solum non taceamus, sed in primis praedicemus, qua sola nimirum iustificatio omnis nobis contingit, & perficitur: haec enim una legi Dei satisfacit.

Hanc uero iusticiam fides apprehendit, non est autem eius initium, aut pars. Illa enim initium suum habet ab aeterna Dei erga nos caritate, de qua Dominus: Sic dilexit Deus mundum, ut filium suum unigenitum daret, &c. Et a caritate Christi, cum erga patrem, cui uoluit in mortem usque obedire, tum erga nos, pro quibus mori sustinuit, ut per eum uiueremus. 1. Ioannis 3.

Secundum ambiguum est, fidem non requiri solam, sed quae habeat coniunctam spem, & caritatem,

K &c.

&c. De eo diximus, si intelligant de cōiunctione rei, non meriti, hoc est, sentiant fidem requiri ad iustificationē, quę nō sit destituta spe & charitate, hoc est, non sit mortua, sed uiua, eiusmodi scilicet motus spiritus sancti, cui necessario cohæreant ceteræ uirtutes omnes, eos sentire idem quod nos.

Nec enim alijs fidei nos iustificationem in secundo capite nostri de iustificatione articuli adscribere. At si de cōiunctione meriti hæc uerba intelligant, ut fides nō ex se, sed accedente merito spei, charitatis, & aliarū uirtutū, digna fiat, quæ nos coram Deo iustificet, diximus hoc ipsorū dictū dissentire cum primo nostri articuli capite, quo scilicet negamus hominē posse iustificari proprijs meritis, aut operibus. Etenim nec fides per se, nec cōiunctis ei, spe & charitate, nos iustificat, quia nec ipsa per se, neq; his comitibus spe & charitate freta, legi Dei satisfacit. Eo itaq; fide dicimus nos iustificari, & sola, quod misericordiam Dei, ex qua iustificamur, & meritū Christi, propter quod iustificamur, per solam fidem apprehendimus, & tenemus: nō spe, per quam expectamus, ut cœpta in nobis adoptio in filios Dei perficiatur: nec charitate, qua Deū, qui nos iam iustificauit, complectimur & colimus.

Tertiū ambigū, quod dicunt concurrere ad iustificationē actus liberi arbitrii, moti à gratia præueniente, similiter comitante, Ita diximus à nobis admitti, si illud intelligāt, de cōkursu rei, nō meriti. Nam Deum in nostri ad se cōuersione & iustificatione, spiritu suo & mentē & uoluntatē nostram permouere, ut oblatā in Euangelio salutē Christi scientes & cupientes amplectamur. Trahi quidem nos à patre ad filiū, sed uolentes, nō coactos, ut cupidē scilicet accuramus, nō ut inuiti perpellamur, Hanc autē Euangelij cōlibet uoluntariam

tariā & cupidissimā apprehensionē, Christiꝑ seruatō
ris nostri cōplexū, ex se, & quod ad nos attinet, nihil
habere meriti. Est enim hic cōplexus Christi, gratuitū
Dei donū, & motus spiritus sancti, qui à nobis semp
imfectus est, legisꝑ diuinæ præscriptū nō assequit̃.

Quartum ambigū, in iustificatione infundi gra-
tiam. De eo testati sumus, nos quidem agnoscere ab
Apostolo nomine (gratiæ) aliquando etiam gratuita
Dei dona significari. Itaq; nos dictū hoc libenter eo
sensu recipere, ut intelligat̃, in iustificatione infundi
spiritū sanctū cum donis suis, fide, spe, & charitate, to-
tūꝑ nouo homine. Sed Apostolū, cum dicit, nos iusti
ficari gratiā, quē nos in Confessione nostra imitati su-
mus, per gratiā intelligere, diuinā erga nos clementiā,
misericordiā, benevolentiam. Vnde si uelimus uerbo
hoc uti sensu Apostolico, debere nos dicere, ut noster
articulus habet: Nos, dum iustificamur, recipi à Deo
in gratiam potius, quā gratiā nobis infundi. Hęc e-
nim gratiæ, id est, gratuitorū donorū infusio consequi-
tur ad nostri in gratiam à Deo receptionē: nostriꝑ iu-
stificatio constat non infusa illa nobis gratiā, sed quæ
in Deo est, & qua Deus nobis peccata cōdonat, & in
filios atq; hæredes acceptat.

Et adiecimus, nos quidem non ignorare scholasti-
cos per gratiam intelligere habitum quendam homi-
ni diuinitus infusum, quo anima freta, eiusꝑ essen-
tia, uel substantia reparata, & ad uitā Dei restituta, al-
surgere facilius & suauius ualeat ad officia nouę uitę,
per uirtutes adhuc pronius & cōstantius præstanda.
Sed hoc scholæ cōmentū nos missum facere, gratiāꝑ
Dei, qua iustificamur, intelligere cū Apostolo, ipsam
gratuitā Dei erga nos dilectionē, et fauorē, non dona
ulla infusa, nec ipsum quidem totum nouū hominem

*Gratia. dis-
plex gratui-
ta Dei er-
ga nos be-
nevolentia:
& dona,
quæ nobis
ex hac be-
nevolentia
largiuntur.*

*Commentū
scholæ, de
gratia quæ
donū sic ha-
bituale.*

nouamq; ex regeneratione creaturam, quia omnis hæc nostri innovatio, dum hic à Domino peregrinamur, legi Dei adhuc non satisfacit, & instaurari necesse habet quotidie, iuxta illud: Et si homo externus corrumpitur, internus indies instauratur: quem locū D. Augustinus in hanc ipsam sententiam subinde citat.

Quomodo
per bona
opera auge-
atur iusti-
cia.

Quintum ambiguum est, quod dicunt collocutores alterius partis, iustitiam, adeoq; iustificationem in nobis augeri per bona opera: istud ad eum sensum diximus nos recipere, quod Deus pro sua omnino gratuita misericordia, propter filium suum donis & effectis suis in nobis, nostris bonis operibus sic uti dignatur, ut carne ipsi rebelli per ea magis magisque domitiam, studium piæ & sanctæ uitæ in nobis amplius incendat, & conseruet. Opera autem ipsa ex se nihil huius posse præstare, nec cui, nec merito suo. Meritum omne esse Christi, & uim, diuinæ dignationis, ac spiritus sancti.

Hæc de illis dictis attulimus, quæ ferè non eodem inter nos sensu accipi animaduertimus.

QVAE IN PROPOSITA A MAL-
uenda doctrina Confessione Augusta-
nae contradicunt.

Ex 9. Mal.
contra 1. et
2. Confess.
August.

PRæcedentia iustificationē bona opera hominem ad iustificationem preparare, multasq; esse hominis actiones ante iustificationem, quæ nō parum conducant, ut Deus oculos misericordiae suæ ad ignoscendum sæpe conuertat.

Hoc contradicere testati sumus primo & secundo capiti nostræ confessionis, in quibus ex uerbo Dei affirmamus hominem nullis suis meritis, aut operibus iustificari, sed gratis propter Christum. Constare enim, omnem hominem ante iustificationem esse fi-
lium

lum iræ, & uiuere secundum carnem, cuius sensus est inimicitia aduersus Deum. Ex hac igitur adhuc mala arbore nullos posse bonos fructus prouenire bonorum operum, quæ ad iustificationem præpararent, & oculos misericordiæ ad ignoscendum conuerterent.

Secundum contradictorium est, iustificationem perfici charitate. Et illud diximus cum nostra Confessione, & testimonio Apostoli pugnare, ex quo credimus, & confitemur, hominem iustificari gratis ex gratia Dei, propter meritum Christi. Si enim iustificatio nostri perficitur ex gratia Dei, & merito Christi, non posse id tribui merito nostræ charitatis. Cumque charitas ipsa in nobis sit, dum hic uiuimus, imperfecta, satis liquere, perfici iustificationem per illam non posse.

*Cōtra secū-
dum caput
Augustinæ
Cōfessionis.*

Tertium, quo doctrina Maluendæ nostræ Confessioni contradicit, est, quod affirmat, eum, qui firmiter, & certò statuit sibi remissa esse peccata, non habentem conditionis suæ, & infirmitatis rationem, iudicio duci magis temerario, quàm authoritate scripturæ.

Hoc diximus aduersari secundo & tertio capituli nostri articuli. Nam fidei in Christum ueræ, quæ testimonio afficitur spiritus sancti, quod nostro spiritui præbet, nos esse à Deo in gratiam receptos; uenia peccatorum data, proprium esse, ut omnem de salute dubitationē, quoad fieri possit, excludat. Cumq; Christus pro peccatis nostris satisfecit; peccata propter ipsum nobis remitti, firmiter & certò statuendum esse, ne meritum mortis Christi euacuemus.

Porro, quia illud (tamen non habens conditionis suæ, & infirmitatis rationem) potest bifariam ac-

Ratio no-
stre infir-
mitatis ha-
benda, ut e-
ius nos poe-
niteat, non
propterea
despere-
mus.

cipi, et hoc amphibolū explicuimus, atq; diximus, qui
ita rationē conditionis atq; infirmitatis suæ nullā du-
cat, ut eum illius nō pigeat, & poeniteat, eum certē nō
temerario modo, sed prorsus impio iudicio statuere
sibi peccata esse remissa. Sed talem nec statuere posse,
sibi propter Christum peccata remitti: cum quicunq;
eiusmodi sit, Christū omnino ignoret. Nos uerò affir-
mare neminē ita debere ducere rationē conditionis,
& infirmitatis suæ, q̄libet miseræ & afflictæ, quin cre-
dat Deum sibi poenitentī, & ueniam errorū suorum
uera fide petentī, peccata sua propter sanguinē filij sui
uelle remittere. Nec enim debere quenquam de mise-
ricordia Dei desperare, aut orare peccatorum ueniam
cum hæsitacione. iacobi 1.

Quarta Maluendæ sententiæ nostræ Confessione
cōtradicens est, quod is, cui remissa peccata sunt, pos-
sit auxilio gratiæ Dei sic implere præcepta Dei, ut Deo
& proximo reddat quod debet. Et istud diximus ad-
uersari secundo & tertio capiti nostræ Confessionis.
Nec enim hominem salutem gratis accipere, si reddat
ipse Deo & proximo quod debet. Nec opus esse ei,
qui hoc præstet, satisfactione Christi. Veruntamen
quia auxiliū gratiæ diuinæ infinitū est in se, diximus
nos non inficiari, Deum posse hominē etiā hic do-
nare iusticia omnino absoluta: sed loquendum nobis
in his rebus esse secundum eum ordinem gratiæ, & do-
norum Dei, quem scriptura tradit. Hanc uerò iubere
omnes sanctos remissionē peccatorū orare, dum hic
uiuunt. Concludi igitur, neminem sanctorum in hac
uita reddere Deo & proximo, quod debet.

Quintum, quod in Maluendæ doctrina nostræ
Confessione contradicit, est, quod affirmat homines
uerē iustos esse apud Deum, & legem eius implere,
quia

quia gratiā habent omnia omnino peccata delentē, & suggerentē vires ad implendam legē: non quia peccata, quę post iusticiā acceptā adhuc maneāt, illis nō imputētur, aut propterea tantū, quod iusticiā, quam non ipsi, sed Christus fecit, illis imputetur per Christum.

Et hæc igitur diximus contraria esse capiti secundo & tertio Confessionis nostræ. Nam si homines nō sunt iusti, quia eis peccata sua non imputantur, & iusticia Christi imputat, sed quia legē ipsi implent: Consequitur Christū non esse propitiationē pro peccatis eorū, nec iustificari eos gratis, id est, accipere remissionem peccatorū, quæ iam nō habent. Si enim legē implent, nō transgrediunt eam: Si legem uerò nō transgrediunt, nihil habent peccati, eoq; nec opus illis est ut purgent sanguine Christi. Cumq; nō Christi iusticia ipsis imputata iustificant, sua ipsorū saluent oportet. Quæ omnia Euangelio Christi aperte cōtradicūt.

Sextū dictū Maluendæ nostræ Cōfessionī cōtradicens est, quod cōtendit bonis nostris operib; iustificationē consummari. Quod itē pugnare diximus cum secundo & tertio capite nostræ Confessionis. Si enim operibus nostris iustificatio perficitur, nec gratis illam fieri, nec opus esse propitiatione mortis Christi.

Cū itaq; allata Maluendæ ita distribuissimus, et quæ cū nostra confessione consentiūt, indicassimus, quæ ambigui inter nos sensus sunt, explicassimus, & quę aperte et simpliciter nostrę Cōfessionī aduersant, exposuissimus, & notassimus: tertio loco ad scripturas respondimus, quib; ille cōmenta scholæ, & sua cōprobare conatus est, idq; huiusmodi oratione, qd ad sententiā attinet. Neq; enim hæc, ut excepta est ad uerbū, ad manū erat, cum ista digererē: habebā tamē eam plenius consignatam, quàm ea, quæ modo præmissi.

Col

COLLOCVTORVM CONFSSIONIS AVGV-
stanae de iustificationis articulo, ut est in ea Confessione pro-
ditus, actio secunda, habita 10. Febr.

D. Doctor Maluēda adductis scripturis, tria pbare
 voluit: Primū, opera precedētia iustificationē præpa-
 rare homines ad iustificationē, & ad id conducere, ut
 Deus oculos misericordię cōuertat ad ignoscēdū. Al-
 terū, charitatē esse iustificationis formā, id est, id quo
 primū & propriē cōstet iustificatio. Tertiū, operibus
 iusticatorū iustificationē augeri, & consummari. Ad
 reliqua, quæ nostræ Confessionī attulit contradicen-
 tia, nullas scripturas, uel probationes alias adduxit.

RESPONSIO AD SCRIPTVRAS, QVIBVS
 Maluēda uoluit probare opera hominū bona iustificationē præ-
 cedentia, præparare eos ad iustificationem: & non parum
 conducere ad id, ut Deus ad illos conuertat oculos
 misericordiæ suæ ignoscentes.

HAec igitur circa articulū iustificationis prima inter-
 priusquā iustificetur, hoc est, remissionē peccatorum
 per fidem in Christū Dominū accipiat, ac spiritu filio
 rum Dei donatus fuerit, & agat, agnoscimus (sequen-
 Rom. 5. tes in eo æternū Dei uerbū) esse peccatorē, impiū, pec-
 Gal. 3. cato mortuū, sub ira, & maledictio Dei, sine Deo, sine
 Ephes. 2. Christo, eoq; nō posse nisi peccare, impiē facere, iram
 Dei cōtra sese prouocare. Et si quis bonus motus mo-
 uens ad poenitentia in tali homine existat, eum dici-
 mus esse opus, nō ipsius hominis, qui adhuc à Deo, q
 solus bonus est, auersus est, sed Dei miserētis, et ad poe-
 nitentia uocātis agentisq;. Nam statim ut homo uo-
 cantē ad se Dominū audit, & sequit, iam credit ei, &
 fide est iustificatus, etiā si fides hæc sit adhuc obscura,
 simplicita, & imbecilla. Iam uideamus, si quid contra
 hæc

hæc doceant ea scripturarū loca, quæ adduxit D. Do-
ctor. Sunt autem hæc, Ierem. 18. Subitò loquar contra
gentem, & contra regnum, ut euellam, & eradicem,
& perdā. Et si reuersa gens illa fuerit à malo suo, quod
locutus fui contra eam, pœnitebo & ego super malo,
quod cogitauī, ut facerem ei.

Item Ezech. 18. Quod si impius auersus fuerit ab om-
nibus peccatis suis quæ fecit, & custodierit omnia statu-
ta mea, feceritq; iudiciū, & iusticiam, uiuēdo uiuet, &
non morietur. Omnes iniquitates eius, quas fecit, non
uenient in recordationē eius. Sed in iusticia sua, quam
fecit, uiuet.

Item Act. 2. His autē auditis compuncti sunt cor-
de, & dixerunt ad Petrum, & ad reliquos apostolos:
Quid faciemus uiri fratres? Petrus autem ad illos: Pœ-
nitentiam, inquit, agite, & baptizetur unusquisq; ue-
strū in nomine Iesu Christi, in remissionē peccato-
rum uestrorum, & accipietis donum spiritus sancti.

Item Act. 8. Quod D. Petrus dixit Simoni Mago:
Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, & roga
Deum, si fortē remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.

Item 1. Reg. 21. Nunquid uidisti quod humilis fa-
ctus sit Achab coram me? ob id quod humilis factus
est coram me, non inducam malū in diebus eius: sed in
diebus filij eius adducam malum super domum eius.

In his autem omnibus dictis, nos quidem nihil ui-
demus aliud commemorari, quam promissionem ue-
niæ peccatorum oblatam pœnitētibus, & exhortatio-
nem ad pœnitentiam: nihil sanè quod doceat, uel ho-
minem adhuc impium, uel gentem in impietate per-
seuerantem, posse boni aliquid efficere, quo sese præ-
paret ad iustificationem, uel oculos diuinæ clementiæ
ad ignoscendum sibi conuertat. Cū enim qui erat

Impius, auertit se ab impietate sua, & cōpungitur propter peccata sua, ueniamq̄ peccatorum à Deo petit & accipit: hic iam non est impius, sed pius.

Proinde Ierosolymitani illi, quibus Petrus prædicauerat Christum, & impietate, ac crudelitatem ipsorum contra Christum exprobauerat: ubi hinc Petro & reliquis apostolis dicebant, Quid faciemus fratres: credebant iam uerbo Domini, & esse impij desierant.

Quod uerò hi docentem Petrum reuerenter audierunt, nec ut alij, qui unà aderant, irriserunt, dictisq̄ Petri adeò fuerunt commoti, & corde compuncti, hoc totum opus fuit, & motus patris trahentis eos ad filium suum, & iustificationem in ipsis iam inchoantis, non ipforum, qui nondū statuere planè apud se poterant, quid sibi ea in re esset factò opus. Nisi enim docti diuinitus agnouissent Christum esse filium Dei, & Seruatorem mundi, nec dolere de eo potuissent, quod illum crucifixierant, nec subiicere se doctrinæ eius, quam trahebant apostoli. Quocirca simul ac compuncti corde sunt, eo quod Christum Dominum repudiauerant, & ad crucē postulauerant, atq̄ doctrinæ eius sese subiicerunt, & ab Apostolo, quid deberēt facere, requisierunt, erant iam fide ad Deum cōuersi, & ueniam ab eo consecuti. Quoniam autem in hac poenitentia debebant proficere, & fidem suam palàm confiteri, peccatisq̄ etiã ecclesiæ ministerio per baptisma ablui, ideo respondebat eis Petrus: Poenitentiam agite, & baptizetur quisq̄ in nomine Christi Iesu. Quid uerò populus Iudeorum ad prædicationē poenitentiaë Ieremie & Ezechielis, quid ue Simon ad consilium Petri fecerit, scripturæ nō cōmemorant: quocirca nec ex his locis cōcludi potest, quid ualeant opera nondū iustificatum, Adduxit præterea D. Doctor & illud, quod Do-

mī

Quem peccati uerè poenitet, ut Euangelio sese subiiciat, is iam non est impius.

minus ad Eliam dixisse legitur de Ahab 1. Reg. 21. Sed quid hoc loco aliud habetur, quam testimoniū de pœnitentia Ahab? Quæ si uera fuit, iam iustificatus erat: sin temporaria quædam fuit consternatio & humiliatio, quam tamen Dominus dignatus sit sic remunerare (ut etiam ciuiles uirtutes, & probè facta Deus temporarijs donis solet remunerare) tamen inde non efficitur, opera ante iustificationem præparare ad iustificationem, aut ad id conducere, ut oculi Dei ad ignoscendum cōuertantur: neq; enim legitur cōsecutam in Ahab ueram & salutarem pœnitentiā, quæ ex fide illa existit, qua & iustificatio, id est, remissio peccatorum, recipitur. Verum itaque est, hominem, donec perueniat ab impietate ad pietatē, manere sub ira Dei: cunq; peccatum sit, quod non sit ex fide, homo nondum iustificatus potest se operibus suis præparare ad Dei iram, non ad gratiam, & auertere à se oculos misericordie diuinæ, non ad se cōuertere. Pendet enim conuersio nostri tota à Domino, qui sua nos dilectione præueniat oportet, iuxta illud Ierem. 31. Conuerte me Domine, & cōuertar, quoniā tu es Dominus Deus meus. Quocirca piè D. Amb. lib. 2. in Lucā, negat hominem quicquam boni posse incipere sine Domino: & uoluntatem hominis necesse habere præparari à Deo. Quæ omnia nituntur illo uerbo Domini: Nemo potest ad me uenire, nisi pater meus traxerit eum, Ioan. 6.

RESPONSIO AD SCRIPTURAS, QVIBVS

*Maluenda conatus est probare charitatem esse
iustificationis formam.*

A Did uerò probandum, quod charitas sit forma iustificationis, id est, id quo iustificatio propriè & primū constet, cum nos dicimus eam propriè & primū constare misericordia gratuita Dei & Christi obedientia, Rom. 5, D, Doctor adduxit hæc loca: Im-

*Hæc inter
dicendum
primo loco
proposita
sunt.*

pletio legis est dilectio ex corde puro, conscientia bona, fide non ficta, 1. Tim. 1. Item 1. Ioan. 3. Nos scimus quod transuimus de morte ad uitam, quia diligimus fratres. Eadem 4. Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet.

*Loca per
Maluēdam
adducta, lo
quuntur de
charitate
proximi.*

Ad hæc loca respondemus. Primùm, his locis agi de dilectione proximi, qua perficiuntur opera secundæ tabulæ, ut Paulus Ro. 13. ipse explicat. Scribit enim, Qui diligit alterum, legē impleuit. Nam, non adulterabis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces: et si quod est aliud mandatum, id in hoc uerbo consummatur, Diliges proximū tuum sicut teipsum. Dilectio malum non operatur. Plenitudo ergo legis, est dilectio. Et Gal. 5. Dilectione seruite uobis inuicem. Tota enim lex impletur in uno dicto, in hoc scilicet: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Quicquid enim Dominus nobis præcepit, in hoc nobis præcepit, ut ad imaginem suam nos restituat, hoc est, ut in filio eius habentes uitam æternam, & satiati bonis omnibus, in eodem, & per eundem, bonos & beneficos nos præstemus proximis nostris, simusque filij ipsius patris nostri cœlestis, perfecti in bonitate & benignitate, ut ipse est, qui solem suum oriri facit super malos & bonos, & pluit super iustos & iniustos, Hæc uerò bonitas, benignitas, & beneficentia, charitate maximè constat. Quare maior & amplior prædicatur dilectio ab Apostolo, quam sit fides & spes 1. Cor. 13. Et tribuitur ei, sicut legis impletio, ita iustitiæ in nobis informata absolutio. D. Doctor autem, cum dicit formam fidei esse charitatem, non loquitur de hac nostra in proximos dilectione, sed de ea, qua Deum amamus, charitate. ideo loca ista non faciunt pro ipsius sententiâ, primùm & propriè.

Sedi

Sed uerum est, hanc proximi dilectionem neminem habere, qui non & Deum amet. Qui enim diligit Deum, *Ex charitate in Deum promanat charitas in proximum.* is mandata eius seruat, Ioan. 14. iam proprium & nouum mandatum Domini est, ut diligamus nos inuicem: Ioan. 13. & 15. Ergo eodem spiritu Christi, charitas & Dei & proximi in nobis accenditur: & sicut Deus charitas est, ita manet in Deo, amans, qui in charitate manet, & Dei & proximi, 1. Ioan. 4.

Deinde uerò & hoc considerandum est, quod siue de Dei, siue de proximi charitate scripturę encomia adducimus, neutram tamen dilectionem in nobis satisfacere duobus primis capitibus legis diuinę, a quibus lex tota pender. Diliges Deum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex omnibus uiribus tuis, & proximum tuum sicut teipsum. Quantamcumque igitur charitatem habeamus in hac quidem uita, & Dei, & proximi, dicendum tamē semper nobis est, Domine ne intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur coram te omnis uiuens. Et, Remitte nobis debita nostra. Non igitur potest iustificatio ea, qua reconciliati Deo, uitę eternę participes constituimur, constare charitate, quę scilicet dum hic uiuimus, semper est mutila, & legi Dei nunquam satisfacit. Solā igitur misericordia Dei nobis omnia peccata & delicta propter filium suum gratuito condonantis, & perfectia huius propiciatoris nostri obedientia, fide Euangelij apprehensa & percepta, illud est, quo nobis primum, & proprie constat, nostri apud Deum iustificatio ea, qua coram Deo iusti, & hæredes regni cęlestis reputamur, quę Apostolo iustificatio uitę dicta est.

Locus ex Epistola D. Ioannis: Nos scimus quod transiuimus ex morte in uitam, quia diligimus fratres: nihil aliud concludit, quam ex effectu, & tanto diuinę

benevolentiae dono, dilectione proximi, nos certò cognoscere, quod transiimus à morte in uitam. sed cuius id factum est merito & charitatis nostrae? Absit, idem enim Ioannes praedicat, in hoc esse dilectionem, non quòd nos dilexerimus Deum, sed quòd ipse dilexerit nos, & miserit filium suum propitiatorem pro peccatis nostris. Ioan. 4. Legi enim Dei, ut dictum est, charitas nostra, siue in Deum, siue in proximum, in hoc seculo nunquam satisfacit, Neminè igitur iustificat, ita, ut peccatorum remissionem mereatur, & in filium Dei adoptetur, haeresq; uitae aeternae constituitur.

Superest, quod D. Ioannes in eadem epistola scripsit, Deus est charitas, & qui in charitate manet, in Deo manet. Sed ne hoc dictum quicq; amplius habet, q̄ eum qui diligit manere in Deo: qd de omni uera uirtute, & uero bono opere dici potest, ut idem apostolus docet cap. 3. Et, Qui seruat madata eius, in illo manet, & ipse in eo. Qui enim nò manet in Domino, & non habet dominum manentem in se, ille nihil potest, uel habere uirtutis, uel operari boni operis. Proinde quacumq; uirtutem quis uerè habeat, & quodcumq; opus uerè bonum, gratumq; Deo operetur, certò id documento est, eum manere in Domino, & habere Dominum manentem in se, iuxta illud Domini: Qui manet in me, & ego in illo, iste fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere, Ioan. 15.

Hic uerò inquirendum nobis est, non quid sit quò probemur esse in Deo, sed per quid Domino primum inferimur, ut in eo permaneamus, manentemq; ipsum in nobis habeamus. Hoc sanè testatur scriptura ubiq; nihil aliud esse, quam gratuitam nostri à Deo uocationem, & assumptionem, tum fidem nostram, qua ad uocantem Dominum uenimus, & assumendos nos offerimus, unde dixit Dominus, Qui edit carnem meam, & bi-

bit sanguinē meū, is manet in me, & ego in illo. Et, omnis qui audiuit à patre, & didicit, uenit ad me. Item qui credit in me, habet uitam eternam. Et Apostolus dicit, Christum habitare in cordibus nostris per fidē, Eph. 3.

Ex his satis intelligitur, quod ex omnib. illis scripturæ locis, quæ D. Doct̃or adduxit ad comprobandum, quod iusticiā, qua coram Deo iusti sumus, cōstet primū, & perficiatur charitate, nihil aliud posse concludi, quàm inchoatā in nobis iusticiā constare maxime charitate, certoq; hāc esse argumēto donatæ nobis iusticiæ Christi, & adoptionis nostræ in filios Dei, nō autē charitatē esse huius formā, aut perfectionē. Dum autē nec ex adductis per D. Doct̃orē, nec ullis alijs testimonijs scripturæ queat cōprobari, charitatem in hac uita satisfacere legi diuinę, & tollere à nobis omne peccatū, necesse est, ut omnes sancti, quantacūq; in hac uita charitate polleāt, dicāt cum Apost. Phil. 3. Veruntamē existimo omnia detrimentū esse propter eminentē cognitionem Iesu Christi Dñi mei, ppter quē omnia detrimentū feci, & arbitror ut stercora, ut Christum lucrificā. & ut inueniar in illo, nō habēs meā iusticiā, quę ex lege est, sed illā quę ex fide est Christi Iesu, quę ex Deo est, iusticiā in fide, ad cognoscendū illum. Et hac sola nobis iusticiā Christi nitendum est, & confidendum.

RESPONSIO AD SCRIPTURAS, QUIBUS

Maluenda probare uoluit, iustificationem nostris bonis operibus perfici & consummari.

Tertium, qd D. Doct̃or conatus est p̃bare scripturis, est de ui, & merito bonorū operū in iustificatione: quare ad articulū Confes. nostræ 6. id pertinet, & est propterea rectē in Imperatoria scheda in propriū caput seiunctū. Sed quia D. Doct̃or & hoc ad articulū de iustificatione p̃traxit, affirmās eā cōsummari bonis operib. p̃pterea qd illa sint uite aternę meritoria, & scri-
pturas

pturas, quibus hoc putat posse probari, adduxit, etiā ad has scripturas paucis nobis respondendum est.

Loca uerò quæ adduxit, hæc sunt. Apocal. 22. Qui iustus est, iustificetur adhuc. 2. Tim. 4. Bonum certamen certavi, cursum cōsummaui, fidē seruaui, in reliquo reposita est mihi corona iusticiæ, quam reddet mihi Dominus in illo die, iustus iudex, non autem solum mihi, sed & omnibus qui diligūt aduentū ipsius. Et Matth. 19. Si uis perfectus esse, uade & uēde omnia quæ habes. Et 2. Cor. 5. Omnes etenim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum siue malum. Gen. 22. Quia fecisti hanc rem, & non percisti filio tuo unigenito, benedicam tibi, & multiplicabo semē tuum sicut stellas cœli, & uelut arenam, quæ est in littore maris: possidebit semen tuum portas inimicorum suorum, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti uoci meæ. Et Iacob. 2. Abraham pater noster non ne ex operibus iustificatus est, offerens Isaac filium suum super altare? 2. Pet. 1. Quapropter fratres, magis satagite, ut per bona opera certam uestram uocationem & electionem faciatis. Et ad Heb. 13. Beneficentiæ autē & cōmunicatiōis nolite obliuisci, talibus enim hostijs promeretur Deus.

Primum testimonium ex Apocal. de augmento iusticiæ loquitur. id uerò, quomodo per bona opera fiat, Domino illis sua gratia, & propter filium suum eo uolente, antea confessi sumus. Quod autem iustificatiōnem bona opera consumment, & uitam aeternā mereantur, de eo liquet hoc testimonio nihil contineri. Eodem pertinet locus Petri, hortātis nos ut studeamus firmam facere nostram uocationē & electionem. Quamquam hoc (per bona opera) in græcis exemplaribus non

Quomodo
bona ope-
ra nostram
uocationē
certam fa-
ciant.

non habetur: uerum id non moramur. Etenim neque in hoc loco aliud docetur, quam nos debere proficere in pietate. & id eò nobis ualere, ut inde certiores redamur de nostra uocatione, & electione, iuxta illud 1. Ioan. 3. Si cor nostrum non cõdemnet nos, fiduciam habemus erga Deũ, ut quicquid petierimus, accipiemus ab eo: quoniam præcepta eius custodimus, & ea quæ sunt placita coram eo facimus. Et hoc est præceptum eius, ut credamus nomini filij eius Iesu Christi, & diligamus nos mutuò, sicut dedit præceptum. Et qui seruat præcepta eius, in illo manet, & ipse in eo. Et per hoc scimus, quod manet in nobis, de spiritu, quem nobis dedit.

Hic clarè docemur, quomodo bona opera nos de uocatione & electione nostra certiores faciunt. Cùm enim illa non nisi à spiritu regeneratore nostro in nobis efficiantur (quo qui agunt, hi filij Dei sunt, Rom. 8.) argumento sunt, eum nobis spiritum esse donatũ, & esse in nobis non ociosum, sed efficacem. Hoc autem quia non potest esse summum salutis nostræ argumentum, necesse est, ut ipse quoq; spiritus sanctus, per se nostro spiritui testificetur, quod filij Dei simus, Rom. 8. Gal. 4. Quem locum D. Bernardus præclare admodum tractauit sermone primo in Annũciatione beatæ uirginis Marię. Huius uerò spiritus testimoniũ eo nititur, quod Deus donauit nobis filiũ suũ, & cum eo omnia, Rom. 8. Vnde in eodem cap. 3. scripsit Ioannes, In hoc cognouimus dilectionẽ, quod ille pro nobis animã suam posuit. Et cap. 4. In hoc manifestata est dilectio Dei in nobis, quia filiũ suum unigenitum misit Deus in mundum, ut uiuamus per ipsum. Id ergo ex diuinis literis abundè contestatum est, Deum bonis operibus, quę ipse scilicet suo in nos spiritu effi

cit, uti ad id, ut inchoatam in nobis iusticiam in dies magis perficiat, & ut de dilectione Dei erga nos, & efficacia spiritus adoptionis in nobis, certiores reddamur. At quod bona opera iusticiam plane consumment, & uitam aeternam mereantur, id nec ex his, nec alijs scripturae locis potest effici.

Iam ad loca illa de remuneratione bonorum operum, ut est ille pauli: Bonum certamen certavi, &c. in reliquo reposita est mihi corona iusticiae, quam reddet mihi Dominus. 2. Tim. 4. Item postre. ad Cor. 5. Omnes manifestari oportet ante tribunal iusticiae, ut referat unusquisque ea quae fiunt per corpus, iuxta id quod fecit, siue bonum siue malum. Item de remuneratione promissa Abrahæ, Quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas coeli, &c. Genesi uigesimo secundo, & Iacobi secundo: quod sicut Abraham, ita & alij quoque ex operibus iustificentur.

His sane omnibus locis nihil amplius docemur, quam duo: Deum nos secundum opera iudicare, & laudare, & bona opera remunerare. Ex neutro autem horum efficitur, iustificationem nostri bonis operibus perfici & consummari. Non igitur confirmant haec loca propositum Maluendae. Etenim cum nos Deus secundum bona opera iudicat, laudat, & amplam nobis mercedem rependit, non adiudicat eam nobis, rependitque propter dignitatem operum, quae nimirum semper imperfecta sunt, & legi Dei non respondent, dum hic uiuimus, ut iam saepe diximus: sed ex mere gratuita sua in nos benignitate, & propter absolutam iusticiam Christi, qua imminuta nostra sarcitur, & completur.

Vnde

Vnde scriptura dicere solet, nos iudicandos, & reddendum nobis esse, non propter opera, sed secundum opera. Qui enim Christo Domino uerè credunt, hi non possunt non bona opera operari: nequit siquidem bona arbor non bonos fructus ferre. secundum illa itaque suorum bona opera facit clemens & indulgens Dominus de illis iudicium, sed iudicium misericordiae & paternae beneuolentiae, non seueritatis, non exactum pro meritis. Nam licet hi secundum internum hominem condelectentur legi Dei, & non peccent, inhabitans tamen adhuc in eis peccatum, multa simul operatur, quae internus homo odit. Et hoc inhabitatore sancti impediti, multa bona praetermittunt, quae facere debent.

Iudicamur, et redditur nobis secundum opera, non ex merito & dignitate operum.

*Rom. 8.
1 Ioan. 3.*

Haec uerò & peccata & delicta, tum illud etiam, quod nec ipsa sua bona opera faciunt eo studio, eaque religione, quam lex requirit, misericors pater ex immensa sua charitate, qua eos diligit in filio suo, condonat ipsis propter eundem filium suum: & bona illorum opera, quanquam ea sint ad eò imperfecta, & habeant tam multa sibi in hac uita adiuncta, cum peccata, tum delicta, nihilominus tamen tam liberaliter remunerat. Perfecta enim Domini nostri Iesu Christi pontificis nostri & propitiatoris iusticia, & abolentur in iudicio Dei sanctorum malefacta, & sarcitur eis cum inopia, tum imperfectio benefactorum.

Iusticia Dei sarcitur quod sanctis deficit in bonis operibus, & condonantur mala.
Quomodo bona opera cause beneficentiae diuinae.

Veruntamen cum Dominus nos ita ipse finxit, ut propositis praemijs ad bene agendum excitemur & alliciamur, quò studium bonorum operum in nobis accendat, solet nonnunquam etiam ipse suorum bonorum opera, ut causas commendare suorum in illos beneficiorum: uti ad Abraham dixit, Per memetipsum iuravi, Quia fecisti hanc rem, & non pe-

percisti filio tuo, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum, etc. Hic prædicat Deus ipse obedientiam, quam sibi Abraham præstitit, causam beneficiorum suorum, quæ illi in posteris suis uolebat conferre. Et tamen ei hæc omnia pridem, ut promiserat, ita etiam addixerat, antequam de ullo præclaro opere, quod fecisset, laudatum legamus. Quomodo igitur causa erat Deo hæc Abrahamæ obedientia, ut ista illi beneficia rursus promitteret & præstaret, quæ ei adeo multo antea ex sua omnino gratuita beneuolentia promiserat, ac ideo etiam addixerat, illeque fide percepisse prædicatur?

Gen. 12. Indubiè Deus propter seipsum, & propter nomen suum, ut non summam tantum, sed etiam totam causam, benefacit hominibus, quæcumque illis benefacit, ut passim de se ipse prædicat in scripturis suis. Tamen quia electos suos gratos sibi facit in dilecto filio suo, quem, & cum quo, illis donat omnia, id est, largitur benignitate gratuita: hæc eius in sanctos suos gratia & charitas, propter eundem filium suum, eò se producit, ut dignetur etiam eorum bona opera, quæ tamen ipsius in illis effecta sunt, & per omnia gratuita dona (ipse enim efficit in eis, & uelle & operari, pro suo beneplacito) causas suorum beneficiorum & facere & prædicare, quo nimirum, ut dixi, eos maiore honorum operum studio accedat: atque hac etiam dignitate ipsos & gloria afficiat, & ornet, ut renouationem, & salutem eorum ipse quidem sua solius bonitate & uirtute propter meritum filij perficiat. utatur tamen etiam ad id studio ipsorum, quod in eis excitat, faciatque ita illos sibi in perficienda regeneratione ipsorum, pro ipsorum modulo cooperari, donec planè renouatis largiatur tandem plenam uitæ æternæ perfruitionem, ad quam eos ex sua merè gratuita dignatione elegit ante conditum mundum; uocauitque
& san-

& sanctificavit per sanguinem filij sui, cum impios iustificaret: atq; ut ea plenè tandem perfruatur, etiam absoluit & perficit, hoc est, perfectè iustificatos glorificat, Rom. 8.

Ex his itaq; intelligitur causam salutis nostræ primam & totam, qua illa & incipitur, & perducitur, atq; absoluitur, esse ipsam Dei ultroneam misericordiam & charitatem, meritoriã causam, gratiam & meritum Christi. Hac verò Dei infinita in suos benignitate, & perfecta Christi iusticia, primùm electos ipsos gratos, charosq; Deo fieri: deinde etiã eorum, quanq; pauca & modica rectè facta acceptari, grataq; haberi adeò, ut dignè illa etiã pro sua portiuncula causas facere & prædicare suæ benignitatis erga illos prosequendæ, & regenerationis eorum prouehendæ. At quoniam sanctorum benefacta tam longè infra eam perfectionem, quã lex Dei requirit, subsidunt, iustificatio illorum, id est, à peccatis liberatio, & sortis diuinæ additio, perfici nõ potest, aut consummari, his tam imminentis & infirmis bonis operibus, quæ sancti in hac uita operantur, cum illa adhuc necesse habeant ipsa perfici & consummari. Perficitur autem & consummatur infinita illa Dei misericordia & charitate, qua illa etiã primùm oblata, coepta, sustentata, & prouecta est, perfecta iusticia Christi, quem pater ad hoc misit in hunc mundum, & mori uoluit, ut multos filios in gloriam adduceret, & unica sua oblatione cõsummaret in sempiternum sanctificatos. Heb. 2. & 10.

Vnde consummatio iustificationis.

Hæc ratio, & hic ordo diuinæ beneficentiæ in electos suos, & eorum restitutionis in uitam æternã, est à Domino ipso, in descriptione iudicij sui, Matth. 25. pulchrè explicatus: Ibi enim prædicit dicturum se sanctis ad dexteram suam collocatis: Venite benedicti patris mei.

Explicatur locus Mat. 25. Venite benedicti patris mei.

tris mei, possidete paratum uobis regnum à constitutione mūdi. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare, &c. Benedictos uocat patris, non ex seipsis, aut ullare alia. Hæc uerò benedictio, quid aliud sit, quam gratuita eorum per Christum ipsū, semen illud benedictionis iustificatio, & in filios & hæredes Dei adoptio: Paratum illis dicit regnū à constitutione mundi: non est igitur obtentum illorum meritis. Subijcit κληρονομήσατε, id est, tanquam hæreditatem uestrā percipite, iam plenè scilicet fruendā. Addit quidem cum causali nota & bona opera: Esuriui enim, inquit, & dedistis mihi quod ederē, &c. Sed qui uerba & ordinem uerborū Domini ritè pensitauerit, ei satis liquebit Dominum bona opera causam quidem facere, sed non benedictionis paternæ, id est, remissionis peccatorum, & in filios Dei adoptionis, non etiā iuris in regnum Dei. Hoc enim testatur ipsis paratum esse à condito mundo.

Ioan. 14.

Alibi testatur se ideo ex hoc mundo transire uoluisse ad patrem per mortē suam, ut illis in hoc suo regno locum pararet, & eos eodem trāsferret. Testatus etiā est, hoc regnum iam illis donatū esse, cum ipsi crediderunt, dixit enim: Qui credit in me, habet uitā æternam. Cuius igitur rei dicit Dominus hoc loco causam esse sanctorū bona opera: Cum causali enim coniunctione subijciuntur: Esuriui enim, & dedistis mihi cibum. Plenæ perceptionis, & fruitionis huius regni, non iuris, ut dixi, in hoc regnum, quod illis ut filiis regni, tum donatū & collatū est, cum in Christo filij Dei facti sunt & hæredes. Dicit enim κληρονομήσατε, hoc est, ut uestrā hæreditatē percipite, & plenè nunc ea perfruiamini, Nam sequitur, lusti uerò abibunt in uitam æternā, Deus itaq; bona suorum opera causas facit

facit & augenda, in diesque perficienda salutis, tandemque plenè etiam perfructuosa: sed id non nisi ex gratuita sua benignitate, & propter meritum filij sui perfecti, propter quod ipse & opera sanctorum suorum, & sanctos ipsos illa operantes, perficit & consummat. Nam, ut dictum est, opera illorum, quilibet bona, suo nec merito, nec ui, eò ualere possunt, ut uita aeterna eis debeat.

Restat locus Matthæi 19. Si uis perfectus esse, uade, & uende omnia quæ possides, & da pauperibus, & ueni huc, sequere me. His uerbis uidetur Dominus perfectionem hominis constituere in istis operibus, quæ huic iuueni proposuit, id est, si quis curam secularium rerum à se abiciat, facultates suas in pauperes distribuatur, & dedat se Euangelio prædicando.

Sed nemo hæc opera, sicut nec alia, ita potest perfecte præstare, quin orandum ei adhuc sit: Remitte nobis debita nostra: Et, Ne intres Domine in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Est itaque eorum quidem, qui ista opera ex fide faciunt, aliqua perfectio, sed cui id quoque, ut Diuus Augustinus pie scripsit, deputetur, agnoscere se esse adhuc imperfectum. Cõtra duas Epist. Pela. ad Bonif. lib. 3. cap. 5 Diuus Paulus certè ad hanc ipsam, quam Dominus huic iuueni perfectionem proposuit, si quisquam alius, admodum perfecte uenit: tamen confessus est se nondum apprehendisse, nondum esse perfectum, sed persequi adhuc ueram perfectionem, ut eam comprehenderet in Christo, ad Philippenses tertio.

Et hoc ipsum facit ibidem esse perfectorum, quales nimirum fert ista uita, proprium, se scilicet agnoscere nondum esse perfectos, cum ait: Quotquot igitur perfecti, hoc sentiamus, ut scilicet non existimemus nos adhuc ad propolitam perfectionis metam

per-

peruenisse, sed obliti priorū, tendamus ad ea, quæ ad-
huc ante nos sunt, donec apprehendamus eam uitæ
perfectionem, in qua apprehensi sumus in Christo le-
su, & consequamur brabeum supernæ uocationis.

Nec igitur ex hoc, nec ex ullis alijs locis scriptu-
ræ potest effici, cuiusquam posse iustificationem perfici
& consummari bonis operibus, quæ hic sancti faci-
unt. Nec enim unquam faciunt sancti, ut dictum,
quæcunq; bona debent facere, & interim etiam multa
mala opera faciunt: & bona quæ faciunt, nõ eo stu-
dio & amore Dei faciunt, qui exigitur lege Dei, præci-
piente Deum diligere toto corde, tota anima, & omni-
bus uiribus. Proinde necesse habent omnes sancti, ut
iporum iustificatio perficiatur misericordia, & gratui-
ta beneuolentiâ Dei, Christi q; iusticia solidè perfecta,
quæ sola nimirum legi satisfacit.

Hæc est catholica ecclesiæ doctrina, pro qua con-
tra Pelagianos & Augustinus fortissimè dimicauit,
& clarissimis scripturarū testimonijs eueicit, in hac uita
eò sanctimonix, & in iusticia perfectionis peruenire
neminem, ut non necesse habeat fateri peccata sua, &
orare, ne Deus secum in iudicium ingrediatur (quod
suis meritis non iustificetur ullus hic uiuentiū) adeo q;
Deo reconciliari, & peccatorum ueniã, uitamq; æter-
nam accipere, per unam gratiam misericordissimi sal-
uatoris, per unam uictimam uerissimi sacerdotis.
Quam unicã salutis uiam & Diuus Bernardus præcla-
re prædicat, cum aliàs, tum in Cantica, sermone. 61.
Meum, inquit, proinde meritum, miseratio Domini.
Non planè sum meriti inops, quandiu ille miseratio-
num non fuerit. Quod si misericordiæ Domini mul-
tæ, multus nihilominus ego in meritis sum. Quid em̄
si multorum sim mihi conscius delictorum? Et si mise-
ricor

De pecca-
torū meri-
tis, & re.
lib. 1. ca. 7.

cordiæ Domini ab æterno, & usq; in æternum, ego quoque misericordias Domini in æternum cantabo.

Nunquid iustitias meas? Domine memorabor iustitiæ tuæ solius. Ipsa est enim & mea: nempe factus es mihi tu iustitia à Deo. Et serm. 68. Sufficit meritū, scire quod non sufficiūt merita. Item, Merita habere curas: habita, donata noueris: fructū speraueris Dei misericordia, & omne periculum eualisti, paupertatis, ingratiitudinis, præsumptionis.

Hæc uerò nos in opera dicimus, nullo profectò contemptu bonorū operū, quæ agnoscimus & prædicamus esse dona Dei, & sanctorum ornamenta inæstimabilia: nulla etiã contendendi cupiditate, quæ ab omni tractatione doctrinæ Christi debet abesse longissimè: sed ob duas tantum causas. Vna est, ut misericordiæ Dei, & merito filij eius, suam gloriã adseramus. Hic enim unus est, qui est nobis factus à Deo, sapiētia, iustitia, sanctificatio, & redemptio: ut, quem admodū scriptū est, Qui gloriatur, in Domino gloriatur. hic est solus propitiatio pro peccatis nostris, est uita, & resurrectio nostra.

Altera causa, ut consulatur afflictis & trepidantibus conscientijs, confirmata ipsis pura Euangelij doctrina, quæ docet fiduciam salutis in uero Christo seruatore esse figendam, & id firmissimè. nisi enim homines spem omnē salutis habeant in Christo solidè constitutam, nec cognosci potest ab illis, nec amari Deus, nec ullum bonum opus institui, nedum perfici.

De bonis operibus confitemur nihilominus quicquid scriptura de illis tradit, & efferimus ea quantum per gloriã Christi omnino licet, & ad ea facienda cum nos ipsos, tum alios, quanto possumus studio inhortamur: quã enim eo opus habemus, & nos ipsi, &

Si non sufficiunt merita, quomodo iustificationem consequuntur?

Si misericordia, non meritis.

nostri agnoscimus. Dum autem scriptura bonis ope-
 ribus, præter illa quatuor, quæ de eis confessi iam su-
 mus, nihil prorsus tribuat, neq; nobis phas est, ut plu-
 ra eis tribuamus. Ea uerò quatuor attributa hæc sunt
 Primum, quod ad salutem sint necessaria, quia à Deo
 præcepta sunt, & ex fide Christi necessariò promanât.
 Secundum, quod Deus dignatur illa, sed sua ultronea
 benignitate, ad augendam & prouehendam in nobis
 regenerationẽ, & inchoatam iusticiam. Tertiũ, quod
 ualent nobis ad declarandum & testificandum, tam
 nostris ipsorũ conscientijs, ad confirmandam fidem
 gratiæ Dei, quàm alijs ad ædificationem pietatis, nos
 esse receptos in gratiam Dei, & esse filios Dei. Quar-
 tum, nos secundum opera nostra iudicari, & propter
 bona opera nos à Deo laudari, atq; amplã mercedem
 nobis rependi.

Hæc quatuor scriptura de bonis operibus tra-
 dit, eadem & nos de eis pleno ore prædicamus, & ad
 facienda illa, ut dixi, quantum possumus inuitamus,
 atq; urgemus.

Ex his facillè intelligi potest, quàm non consistant
 cum doctrina Euangelij duo prima capita, & ultimũ
 caput Maluendæ, ex ijs quæ dixi cum nostra confes-
 sione pugnare. Pro cæteris confirmandis Maluenda
 nullas adduxit scripturas. his tamen, quanquã & po-
 stea erit dicendũ de illis locus, nunc pauca scriptu-
 ras obijciam. Primum illorum est, temerarium iu-
 dicitum esse, cum quis certò statuit peccata sibi remis-
 sa propter Christum. Huic oppono doctrinam Apo-
 stoli de fide, qua ille docet ad Romanos 4. in exem-
 plo Abrabæ, debere fidem esse absq; omni dubitatio-
 ne. Id quoq; quod docet Dominus & Iacobus, ut in
 oratione non hæsitemus, accepturos enim certò nos,
 quæ

quæ oramus. Iam evangelica prædicatio, cui Christiana fides nititur, tota consistit in prædicatione poenitentiae, & remissionis peccatorum in nomine Christi. Et pro uenia peccatorum orant omnes sancti, Psalmo 32. Debet igitur omnis Christianus credere firmiter, & non dubitare, sibi (sed ut supra diximus, uere poenitenti & credenti) peccata esse remissa, propter Christum in quem credidit.

Alterum caput pugnans cum nostra Cōfessione, pro quo Maluenda nullas adhuc scripturas adduxit, est, quod affirmat eum, cui remissa peccata sunt, posse implere legem. Huic oppono scripturas, quæ omnibus sanctis peccata in hac uita tribuunt, & mendaces pronunciant, quicūq; dicunt se nō habere peccatum. At qui nunquā est sine peccato, id est, legis transgressione, is legem nunquam implet, id est, ei satisfacit.

Tertium caput pugnās cum nostra Confessione, pro quo Maluenda nulla protulit scripturarum testimonia, est, quod negat homines eo iustos esse, quod eis peccata non imputantur: imputatur autem iusticia Christi. Huic oppono quod Diuus Paulus scripsit ad Romanos 4. Non operanti, credenti autem in eum qui iustificat impiū: imputatur fides eius ad iusticiam: quemadmodū & Dauid beatificationem dicit eius esse hominis, cui Deus imputat iusticiam sine operibus: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus uir, cui non imputauit Dominus peccatū. His uerbis clarè admodum testificatur spiritus sanctus per Apostolū, & Dauidem, homines nulla alia ratione iustos coram Deo fieri, aut esse posse, q̄ cum eis Dominus peccata nō imputat: imputat autem iusticiam, & iusticiam utriusque Christi filij sui, qui nobis ab ipso factus est iusticia,

finisq; legis est ad iusticiam omni credenti. Dixi.

Hæc oratio his ipsis, quibus est hic conscripta sententijs habita est, & magna ex parte eisdem etiã uerbis: sed quia nõ fuit mihi ad manum tota, ut est ad uerbum excepta, non potui ubiq; eadem uerba reponere. Quædam tamen de mercede bonorũ operum, & quomodo Deus bona opera causas esse dicat suæ in credentes sibi beneficentiæ, adieci, quæ tum in aliud tempus reijciebam. Illud autem, Quia datum non est postea, uolui ea hic ponere, quò sententiã nostrã de bonis operibus, ac omnibus secum laudibus, quæ eis tribuuntur in scripturis, hic plenior perspiceretur.

Hæc dicta sunt 10. Febr.

ACTIO TERTIA COLLOCVTORVM

Confessionis Augustanæ de iustificatione, habita X. Februarij.

HOc die primũ recitauimus, & ad acta exhibitũmus sequentiã axiomata, quibus nostrã de iustificatione doctrinã sumus breuiter complexi: & quæ in maluendicis propositionibus aliena à doctrinã pura Euangelij posita sunt, reprehendimus, Dein de uera & utili ratione conferendi admonuimus. Postremò, summã doctrinẽ de iustificatione germanicẽ exposuimus.

AXIOMATA COLLOCVTORVM CONFES-

sionis Augustanæ maluendicis propositis opposita.

1. Iustificatio uitæ, de qua Apostolus in omnibus quidem epistolis suis, fusius autem ad Romanos & ad Galatas, docet, est hominis in gratiam Dei, & consequentium uitæ æternæ receptio, peccatis propter Christum, ex omnino gratuita misericordia Dei condonatis

Rom. 3.

Gal. 3.

Ephes. 2.

tis

tis, nullis hominis ipsius uiribus, meritis, aut operibus aliquid huc conferentibus, aut ad hanc gratiam preparantibus.

2 Hanc iustificationem suscipimus & amplectimur libera quidem & uoluntaria fide, qua scilicet Euangelio Christi firmiter assentimur, sed quam Dominus tractis ad filium suum, suo spiritu solus inspirat & sustentat.

3 Cui quidem fidei nunquam desunt peccatorum 1. Ioan. 3. pœnitentia, spes, & charitas: attamen nec per se illa, nec per has comites suas iustificat hominem (omnia enim hæc dona Dei ex parte sunt, peccatumq; non omne submouent) sed eo solo iustificat, & saluos facit fides, quod misericordiã Dei peccata credentibus grauitò propter filium suum remittentis, apprehendit in eodem Christo seruatore nostro, & tenet firmiter. Vt Rom. 3. enim per unius hominis delictum, condemnatio per Gal. 3. uenit in omnes homines, ita etiã ex unius iusticia ue. Rom. 5. nit in omnes homines iustificatio uitæ.

4 Quia ergo per fidem iustificamur gratis, & nullo omninò nostrorum operũ merito, rectè dicimus, *Sola fide iustificari credentes: per hanc uocem (sola) non remouentes à fide spem & charitatem, sed à uiribus & merito iustificandi excludentes nostra opera.* Cumq; ea uoce sancti patres omnes ferè usi sunt, nemo potest nobis uicio uertere, quòd eadem utimur, dum scilicet eius uerum sensum abundè explicamus.

5 Qui docent hanc fidem in Christum, qua credimus esse per eum peccata nobis remissa, & hæredes nos factos uitæ æternæ, habere propter nostram infirmitatem dubiam, ij iubent nos Deo adimere gloriam ueritatis, & non agnoscere eum ueracem in promissis Rom. 4. suis, hoc est, negare Deum. Iacob. 1.

6 Deo quidem omnia possibilisunt, tamen quia necesse est, & illud uerum esse: Neminem hic uiuentem iustificari coram Deo, suo merito, sanctos dum hic uiuunt omnes fateri oportet, se habere peccata, hoc est, legis diuinæ transgressionem, & orare, ut ipsis hæc implendæ legis debita remittantur.

7 Gratia Dei delet in hac uita peccata in credentibus ne imputentur, & suppeditat uires ad obediendum legi Dei. Verum ut peccata omnino non sint in credentibus, nec admittantur ab eis, legi scilicet iam satisfaciuntibus, hoc donum est futuræ uitæ, & perfectæ iam conformitatis cum Christo. Et qui secus docent, ij negant sanguinem Christi peccata sanctorum quotidie purgare, ipsumq; Dominum datum nobis propitiatorem pro peccatis nostris: quæ quandoq; nos non habere dicimus, & offendere nos in multis negamus, mendaces sumus, & ueritas Dei in nobis non est.

8 Proinde, qui alia, quam Christi iusticia sibi donata confidit in hac uita, is suam quærit iusticiam statuere, & Dei iusticiam repudiat.

9 Bona opera à Deo scilicet mandata, & in nomine Domini facta, ex fide necessariò promanant, & sunt grata Deo, atq; remunerantur ab eo presentibus & futuris bonis, ipsius etiam uitæ æternæ fruitione: (ius enim hæreditarium huius fide nobis constat) uerum hæc Dei tam benigna remuneratio, nõ ipso operum merito, sed gratia nobis cõtingit filij Dei, in quo dilecto suo Deus nos adeo sibi gratos fecit, ut & opera nostra sic dignè liberaliter in nobis remunerare.

His axiomatis recitatis, & ad acta oblati, rogauimus Collocutores alterius partis, ut uellent, omissa illa sua uaga & confusa de iustificatione disputatione, sequi ordinem, quæ Imperatoria Maiestas præscripsisset,

set, & articulos nostrę Confessionis ordine desumere
excutiendos. Ac quę putarēt in his reprehendenda,
in theses q̄ possent simplicissimas resolvere, contraq̄
eas, quę existimarent se habere argumenta propone-
re, & nostras ad ea respōsiones, quas & breues & sim-
plices daturi essemus, uicissim expendere. Eam esse ue-
rę dialecticā rationem, qua posset & breuiter, & per-
spicue explicari, quicquid in unaquaq̄ controuersia
hæreret implicatum, ac sententiam utrorumq̄ Impe-
ratorię Maieſtatis, & ordinū Imperij, omniumq̄ pio-
rum iudicio commodē d̄judicanda deferri. Testati
quoq̄ sumus, nos posthac ab hoc, ab Imperatoria Ma-
ieſtate præſcripto ordine non esse discessuros.

Admonuimus deniq̄ eos, nobis uideri tres modò
quæſtiones inter nos in articulo iustificationis reipsa
controuerti. Vnam, de operibus iustificationem præ-
cedentibus, cuius ea sint ad percipiendam iustificatio-
nem momenti, aut meriti. Alterā, de natura fidei, quę
ſcilicet ſit fides uera & Chriſtiana, & quā hanc de ſa-
lute certā esse oporteat. Tertiam, quid ualeant & me-
reantur opera bona iusticatorū ad perficiendam iu-
stificationē, & merendū uitā æternā. Atq̄ rogauimus
eos, ut & ipsi suam diſputationē redigerent in cōpen-
diū, quo reddere d̄judicatu facilior: neq̄ tam multos
articulos cōmiserēt. Multa eos iā attulisse de bonis o-
perib, quę pertinerent ad articulū nostrę Cōfessionis
sexti. Postremò cū alter præſidū queſtus eſſet, se Lati-
nam orationē nō plenē ſemp percipere, primū hoc ca-
put doctrine Chriſtiane de iustificatiōe, etiā germani-
ca lingua, ſed ſummatim explicauimus, atq̄ ostendi-
mus, qualē nā fidē nos doceamus. Talē ſcilicet quę ſi-
ne peccatorū pœnitētiā, & studio bonorū opū esse nō
poſſit: nīſi aut non ſuo, ſed Chriſti merito, q̄re firmā
illā & certā esse oporteat. Testatiq̄ sumus, nos ad uera
bona

*Ratio iu-
ſte colla-
tionis obla-
ta à Collo-
cutoribus
Cōfeſſ. Au-
guſt.*

*Tres cōtro-
uerſie præ-
cipue cir-
ca articulū
de iustifica-
tione.*

bona opera, quæ scilicet Dominus mandauit, populum diligenter inhortari, atq; illi assidue confirmare, bona opera esse ad salutem omnino necessaria, & per spiritum Christi, cum ad augendam in nobis iusticiam, tum ad fiduciam gratiæ Dei suo modo nobis confirmandam efficaciam, eaq; Deum cumulatiuè remunerare. Sed propter adserendam gloriã Christi, & firmandam miseris conscientijs salutis fiduciam, necesse esse, ut id quoq; sedulo moneamus, nulla nostra in hac uita bona opera legi Dei satisfacere: & sanctissimis quibusq; superesse, ut cotidie & omni momento remissionem orent debitorum, & condonationem peccatorum, & id propter unum mediatorem nostrum Christum, cuius unius merito spem salutis sibi cõstabilire oporteat. Offendere enim in multis omnes, & Christum unum esse omnibus, & propitiationem pro peccatis, & uiam atq; ostium ad uitam beatam. His actionem nostram conclusimus.

Hoc ipso die poterant Collocutores alterius partis suas rursus obiectiones incipere, perparũ enim temporis nos insumperamus. Verũ uisum illis fuit suam actionem differre in diem posterum.

ACTIO ALTERA COLLOCUTORVM ALTERIUS partis de iustificatione, cœpta XII. Febr. per Maluendam, qui sequentia præfatus: deinde scripto ad quædam nostræ præfationis respondit. Præfatus autem est in hunc modum.

12. Febr.
Maluenda.

CUm primo die in nomine domini auspicati sumus, testati egregiam nostram uoluntatẽ, & ad Republicæ conciliationem, non tantum uerbis, sed reliqua etiam actione, quæ animorum index esse solet, satis notam & perspectam: & cum postridiẽ audiremus, quæ à doctissimis alterius partis Collocutoribus

bus partim dicta, partim recitata sunt, magno animi dolore affecti sumus, quod ex illo principio uideremus, præcipua Dei immortalis beneuolentia, & singulari præsidio nobis opus esse, ut sine animorū perturbatione, in grauissimo religionis negotio, toto hoc colloquiū tēpore uersaremur. Occurritq; nobis tam humanæ fragilitatis misera conditio, quæ cū se ad opus aliquod præclarum erexit, leuissimis nonnuncq; rebus aut impeditur, aut retardatur. Nos tamen patrē coelestem Deum pacis præcari non desistemus, ut sic nostra omnium pectora igne suæ charitatis accendat, ut nec astu satanæ, nec humana imbecillitate, sancta et Catholica concordia impediri possit. Atq; ita pristinæ nostræ uoluntatis & modestiæ memores, ad ea, quæ proposita sunt, ordine respondebimus.

Primò ad id quod scripto recitatum est, idq; etiam ex scripto. Ad reliquas petitiones doctissimus uir D. provincialis Carmelitarū inferioris Germaniæ, sacre Theologiæ professor eximius, pro modestia & eruditione, quibus est præditus, respondit.

SCRIPTVM MALVENDAE, IN QVO RESPONDET AD QUÆDAM, QUÆ ILLUM IN NOSTRA PRÆFATIONE OFFENDERANT.

Reuerendissime Princeps, generose Comes, Præsides clarissimi: in eo scripto quod protestationis nomine à doctissimis uiris, alterius partis Collocutoribus recitatum est, quædam esse animaduertimus, ad quæ amicè & familiariter (ne colloquiū limites transgrediamur) respondendum esse putauimus. Quod fiet à nobis breuiter, & sine ullius hominis (quantum res ipsa pati poterit) offensione, atq; ut in eam partem doctissimi

O simi

Tamen negatur peccatū in re-natis mane-re reliquū.

simi viri, & animum nostrum, & uerba interpretentur, per Iesum Christum petimus, ac rogamus.

2. Primum omnium quod ad exemplum regis Davidis attinet, nos quidem legimus sanctissimum illum regem munere suo sic esse perfunctum, ut neque in conseruatione coelestis doctrinae, neque in regni administratione iure possit reprehendi. Videmus & hodie Carolum Caesarem semper augustum, Dominum nostrum clementissimum, cum in alijs Reipublicis rebus, tum in tuenda fide Catholica, & pacificandis religionis conuersionibus, nihil eorum praetermississe, quae ad se pertinere existimabat. Quare quae sequitur petitio, ne scilicet Caesar inuictissimus (quod Arcadium hortante Diuo Chrysostomo fecisse referunt) patiatur se calumnijs, & quorundam hominum iniquis iudicijs incendi aduersus innoxios homines, ueram doctrinam profitentes, commodè praetermitti potuit. Cum neque calumnijs, aut iniquis iudicijs Caesaris aures patere soleant, quae semper optimorum & piientissimorum hominum consilijs assueuerunt. Neque possit quisquam sacrum Caesareae Maiestatis pectus aduersus professores coelestis & catholicae doctrinae inflammare, quam Caesar ipse, testante etiam orbe terrarum, sanctissime profitetur.

3. Porro quod monent, diligenter esse Caesareae Maiestati animaduertendum, unde debeant diuinae causae cognosci & diiudicari, id quae fieri ex solo uerbo Dei. Sic intelligant, satis perspectum esse religiosissimo Imperatori, unde petenda sit earum rerum cognitio, & ubi quaerenda diiudicatio.

Illud autem quod paulo post subiicitur, hunc conuentum institutum esse ad pacificandam doctrinam eccle.

Vitam uero existimaret etiam ad se pertinere, quae Constantinus, quae Theodosius, et alii sanctissimi a pietate principes, legere de libris, audire ex illis de religione disputantes synodos conuocare, eis interesse, de religione tractare, statuere Canonum auctoritate, i quo scilicet Episcopos restituere, &c.

ecclesijs, & toti orbi salutarem ac necessariam. Nos quidem sic intelligimus, hunc, & superiores conuentus causa religionis indictos, huc potissimum spectare, ut ortis in religione controuersijs, amicè & sanctè compositis, discordiæ locus esse non possit. Nam doctrinam cœlestem & salutarem certum est longo ante hos conuentus tempore ecclesiæ Catholicæ innotuisse.

a Per apostolos quidem sed postea quibusilla est oppressa hominum communis.

4 Caterum totum illum locum, quo doctissimi Domini Collocutores respondere se profitentur ijs criminationibus, quas sibi dicunt, tum concionibus, tum scriptis uoluminibus, intendi, non putamus ad hunc locum pertinere, quod etiam ipsi inutile nunc, & incommodum esse, disertis uerbis testantur. Quod si quicquam aduersum se dictum aut scriptum, responsione uel quærimonia dignum esse putant, cum ipsis criminationum authoribus, loco alio causam agere, non hic nobiscum debuissent, qui ad amicum, & familiare Colloquium adhibiti, nihil aliud, quàm sanctam in Christo Iesu Domino nostro concordiam modis omnibus optamus, & quærimus.

Sophisticum hoc. Nam in aliis ad istas criminationes, sed omnibus omnium aduersariorum criminibus respondere, neque utile, neque hoc tempore commodum dixerimus.

5 Reliqua uerò quæ de ecclesiæ Catholicæ fundamento, & de certissima regula recipiendi doctrinam aliquam, aut cultum Dei, paulo inferius commemorantur, & si satis intelligamus, quid de illis omnibus catholicè intelligendum sit, suo tamen loco discutienda, & commodè tractanda esse censemus, iuxta seriem articulorum à Casarea Maiestate propositam.

6 Ad eundem modum quod de libris Canonicis, de symbolis, & concilijs recipiendis dicitur, & postea de ta

xatis abusibus, & quorundam hominū uocatione ad prædicationē Euangelij, arbitramur ad eos articulos referendum, ubi loco & ordine de ijs omnibus colloqui possimus. quod ut amicè fiat, & familiariter, sepositis huiusmodi protestationibus, quæ neq; ad amicā Colloquij rationē pertinēt, neq; à nobis, ad colloquiū tantum designatis, recipi ullo modo possunt, Dominos alterius partis Collocutores uehemēter rogamus. et Amplitudinē uestram Reuerēdissime præsul, generosè Comes, ne quicquam tale in amica Colloquij tractatione pati uelit, reuerenter admonemus, atq; obsecramus.

ACTIO BILLICKII.

Nō nostra, sed Christi. 1. Quatriduum iam uiri disertissimi, Collocutores diuersæ partis, causam de fide, & religione † uestra egistis. Et quidem primo die ad ea, quæ excellentissimus sacre theologiæ professor, doctor Petrus Maluenda, S. Cæsareæ Maiestatis sacellanus piissimus præfatus est: indicastisq; quæ uos in præfatione illa non admodum bene haberent, uidebanturq; uobis huic colloquio posse nō nihil officere. Ad hæc & cōtra eos, quos aduersarios uestros appellatis, grauius admodum expostulare uidebamini. Petiistis quoq; à nobis nulla ad probam Colloquij istius actionem instituentem pertinentia, in processu obseruari, quædam etiam uitari.

Nec uos nostrum admitteratis. Sed multa paucis uerbis consulistis.

2. Altero colloquij die responsō nostro, ad ea quæ uos dixeratis, nō admissō, in ipsam iustificationis materiam ingressi estis: & quemadmodū nos prius, sed breuibus^b & paucis, ita uos doctrinæ uestre summam proluxo scripto exhibuistis. Ac statim in propositiones nostras, quas ad explicandum iustificationis partes.

tes constitueramus, uestram dixistis cenfuram, indicatisque quid recipiendum, quid ambiguum, & quid aduersari uobis uideretur.

Tertio, ad scripturas, quas breues & pauca quidem ille Dominus, breuitatis studio, pro assertione dogmatis nostri de iustificatione citauerat, respondistis. Opposuistis quoque eis, quae aduersari uobis uiderentur argumenta quaedam. Ac heri propositiones uestras, ceu dogmatis uestri dignitates, constituistis.

Nunc partium nostrarum est, ad 4. dierum actiones ordine uobis respondere. Ac primo omnium, data ratione uobis satisfacere ad ea, quae die primo commemorata sunt: ac mox iustificationis materiam, quam nunc triduo tractastis, intrare, ad discutiendum, & expediendum quae haecenus utrinque dicta sunt & proposita, quod ueritas ipsa tandem aliquando, praestate Domino, in uolucris omnibus remotis, appareat, redeatque diu sperata nobis in fide, & religione sanctissima cordia. Et quidem poteramus ea omnia, quae die primo a uobis in nos dicta uidebantur, dissimulare ac preterire: atque quod omnium gratissimum nobis erat, immittere nos statim in ipsam materiam, quam simul ingressi sumus, nisi illa iam conscripta, & in acta digesta coram Caesarea Maestate, omnibusque Imperij Principibus referenda, ut poscant, nisi culpam uelimus agnoscere, responsionem aliquam. Atque utinam cum ad rem non admodum pertineant, non fuissent actis istis inserta, ne inuitis adeo nobis ista respondendi necessitas imponeretur. Sed paucis rem, & sine cuiusque offensione, expediemus.

Observata sunt per uos in praefatione illa, quam nos omnium modestissimam, & nihil in se offensio-

Actiōni nostrae, cui uos per quinque dies respondistis, & tres solidos, unus nobis solidus dies impensus est. ex duobus enim, multum nobis temporis subtraxistis uestra contentione, de loco respondendi: quarti diei maiorem partem uobis reliquimus.

nis continere iudicaueramus, tria, quæ absque læsione existimationis Illustrissimorum & Illustrium Principum uestrorum, ac Rerumpublicarum Confessionis Augustanæ affirmabatis uos non posse præterire. Rogastis quoque eadem illa tollere non grauaremur, quò colloquium ipsum animis infensis possit utrinque iniri.

*Hec habes
suprà pag.
36.*

Ac primùm displicuit uobis, quod catholicos nos appellauerimus, quod uideretur ita uobis dictum, quasi uellemus uos, uestrosque Principes, ac populum Confessionis illi adhærentem, grauissima hæreseos, aut sanè schismatis ignominia notare. A quibus essetis quàm remotissimi, ut qui nihil unquam receperitis, uel in dogmatis, uel in institutis ecclesiasticis, quod non sit proditum à prophetis, ab apostolis, & sanctis patribus, ac non etiam totius Ecclesiæ consensui Catholico consentaneum.

Nihil etiam remoueritis unquam eorum, quæ sunt in sacris literis prodita, & olim in meliori illa ecclesia tradita & obseruata.

*De nomine
Catholico.* Eamque ob rem petebatis, ut nobis uellemus sumere titulos, quoscunque liberet, modò ne eos nobis proprios facere, ac ita tacitè eos uobis adimere uellemus. Eos nimirum titulos, quos sacra Cæsarea Maiestas, & Ordines Imperij Principibus uestris, & uobis adhuc communes reliquissent, quosque coram Deo uerè sustineretis. Ita uos. Cui suspicioni uestræ paucis respondemus.

Ipsi nostis uiri disertissimi, nos appellationem hanc, non nunc primum, aut à controuersia istius tempore, nobis usurpasse: res uetus est, & his
con

controversijs longè antiquior, ut uel in præiudicium, uel fraudem cuiuspiam assumpta uideri nequeat. Nati sumus & instituti in Catholica illa, quæ tot iam seculis nomen illud obtinet, nec ab ea nos patimur abstrahi. Sed neque uos appellationem illam adimere nobis uidebatis, ideo que etiam libenter eam retinemus. Fallimini autem, si putatis ita dictum, quasi uelimus hoc nomen solis nobis facere proprium, imò cupimus cunctis gentibus illud esse commune. Nihil enim conuenit tam commune esse omnibus, quàm quod est, & esse debet catholicum, id est, uniuersale.

Vide sophisma.

Nec aliud habet sibi proprium ecclesia, quàm ut amore prosequamur etiam inimicos, ac oret Deum optimum maximum, ut omnes homines fidei huius & unitatis uelit congregare.

Nos ergo inimici ecclesia.

Utrum autem recipiatis, doceatis, & seruetis, quæ uetus ecclesia habuit, an secus opinamur nondum Reuerendissimo præfuli & illustri Comiti, Cæsareæ Maiestatis præsidibus, aut utriusque partis auditoribus ex hoc colloquio constare: fiet autem quicquid eius est, collatione dogmatum, propitio Deo, perspicuum in progressu, ut præposterum & superuacaneum sit, nunc de hoc uelle præiudicium facere.

Oramus itaq; Dominum nostrum Iesum Christum, qui pro ecclesia illa sua Catholica pretiosum sanguinem suum fudit, quo illam ab errore omni liberaret, ut det omnibus nobis in ipso idem sapere, & dicere.

Iam quod à nobis postulatis, ne uelimus appellationem illam uobis detrahere, nos uicissim Deum patrem

trem, cuius solus occulto, sed nō iniusto iudicio, fides
Catholica, uel deficit in hominibus, uel incrementū fu-
mit, oramus, ne sit illa appellatio nobis propria: ac
uos per eundem obtestamur, ut ne uelitis ipsi eam re-
linquere. Nemo enim ab ecclesia illa Catholica segre-
gat, nisi qui seipsum segregare uoluerit. Et quisquis
Catholicā exit, sua id uoluntate, & uicio facit, nō præ-
iudicio uel inuidia aliena.

Cur non sim-
pliciter, Non
agnoscimus
uos Catholi-
cos, ideo nec
ita nominan-
dos censemus?
Cum nos a-
pud uestros
homines nul-
lo alio, quam
sectariorum
& hereticorū
nomine ap-
pelletis?

Hinc beatus Apostolus Paulus testatur hæreticū
hominē, qui iam sit subuersus, suo ipsius iudicio con-
demnari. Quod uobis accidere, auertat Deus.

In quæ hæc
dicuntur, ha-
bes supra 39.

Secundō, cum per eundem præstantissimum D.
Maluendam exponimus, quo animi affectu negociū
hoc susceperimus procurandum, ac nos restituendæ
per Germaniam concordie desiderio teneri, uos inte-
rim sine causa, aliud dicti, & aliud agi significantes, cor-
da, dicta, factaq; nostra omnia inspectori mentium
Deo iudicanda censuistis offerri. Cui simile est, quod
ante hoc triduum uidebamini nos accusatores facere,
& agi uos hoc loco reos: qua etiam de causa poseba-
tis uobis plus temporis, nimirum tanquam reis, ad de-
fensionem, quam nobis à Reuerendiss. & Illustriss.
præsidibus Cæsareæ Maiestatis concedi. Quæ uox
non poterat, nisi de falsa imaginatione, aut perturba-
to pectore proficisci: cum uenerimus huc, ad concili-
andum, si fieri possit, uobiscum per Dei gratiam con-
trouersias & lites omnes, idq; amico & tranquillo col-
loquio. Quod quia fieri nō potest, ubi tales resideant
imaginationes, ad eximendam uobis hanc falsam de-
studio nostro opinionē, sumus hac in re eiusdem uo-
biscum uoti. Nimirum ut corda, dicta, factaq; omnia
nostra, hac in re Deo iudicanda referatur. Faxit Deus,
quod

Non ita. Sed
corda Deo,
dicta, et facta,
Ecclesie iudi-
canda detuli-
mus.

Ut scilicet ue-
stra pbeamus,
quæ Christi
sunt reuicia-
mus.

quod utriusque uerum petitur, & iudicet omnis æquitas
 fons ille, quem nihil fallere potest. Nō sumus enim *Professio*
 alterius nobis conscij, quam nos fide, & cōscientia bo- *sinceritatis*
 na hanc rem uobiscum tractandam suscepisse, p̄. e. ser-
 tim oblata nobis concordia spe, ad quam nunc pleno
 corde adspiramus. Dicimusque ex animo, quod Apo-
 stolus ille in 2. ad Corinth. 4. Habentes hanc admini-
 strationem, iuxta quod misericordiā consecuti sumus,
 non deficimus, sed abdicamus occulta dedecoris, non
 ambulantes in astutia, neque adulterantes uerbum Dei,
 sed in manifestatione ueritatis, cōmendantes nos me-
 ipsos ad omnem conscientiam hominum coram Deo,
 neque hoc in suggillationem uestram dixisse uolumus,
 sed in nostri tantum purgationem. Cōuenit enim ad
 res Colloquij huius amicē tractandas, omnem falsam
 imaginationem exemptam: & scire uos nulla fictione,
 sed ex animo & sinceriter hoc nos uelle, quod loqui-
 mur, & hoc nos loqui, quod uolumus. Proinde cupi-
 mus per Dominum Iesum Christum pacis datorem,
 ut uobiscum missa faciatis præiudicia omnia, causas
 quoque & criminationes ad Colloquium hoc nostrum
 non pertinentes: quales sunt expostulationes illæ ue-
 stræ, de grauissimis condemnationibus, horrendis e-
 dictis, ac cōsequentijs pœnis aduersus eos, quos ue-
 stros aduersarios appellatis.

Quales item odiosa illa, de schismatis huius, sicut
 recte dicitis, perniciosissimi, authoribus, inquisitio.
 Quos contenditis uestros nō fuisse principes, sed neque
 nos eos in præfatione nostra istius insinulauimus, ut
 opus fuerit hac purgatione. Neminem enim perstrin-
 ximus: interim tamen non putamus uos tam iniquos
 iudices futuros, ut in Cæsareā Maiestatem, dominum
 omnium nostrum clementissimum, religiosissimumque

P à quo

*a Cōferan-
 tur hæc cū
 Epistola
 tua scripta
 Coloniam.
 Hæc habes
 supra pag.
 37. & 38.*

*Si nec illi,
 nec uos,
 qui igitur?*

â quo nos, quibus ista commemoratis, sumus ordinati.
Collocutores: aut in Principes Catholicos, communi
religione nobis iunctos, culpam hanc uelitis deriuare.

*hæc et Chri-
sto Domi-
no, aposto-
lis, & mar-
tyribus e-
ius obijcie-
bantur.*

Constat etiam, uobis ante has exortas tragædiis re-
ligionis, quam illi profitentur, nõdum ita concussa pa-
ce, & tranquillitate iucunda, omnia in Germania flo-
ruisse. Sed mittimus res istas, quæ nec temporis, nec lo-
ci, neque istius sunt tractationis, ne Colloquij indicti
metas prætergrediamur. Alioqui poteramus & nos nõ
paulo grauius expostulare, & queri. Nunc autem spe-
ctamus ad concordiam, quæ si nobis propitio nobis
Deo (quod futurum speramus) contingat. non admo-
dum de authoribus, hi fuerint, an illi, multum erimus
sollliciti. Sed ceu ab infauſto, & ciuili bello uindicati,
præteritis omnibus obliuione deletis, gratias agemus
communi omnium liberatori Deo, qui solet nonnun-
quam Ecclesiam suam talibus exercere modis, & quasi
flagellis quibusdam castigare, atq; ad melioris discipli-
næ obseruationem reducere.

De forma Iam ubi significauimus eam rationem Colloquij
Colloquij. nobis magis placere, qua familiariter de rebus utrinq;
ageremus, non conscriberentur autem alia, quàm illa,
quæ uel conciliari per Dei gratiam contingeret, uel re-
linquerentur in controuerso, cum præcipuis utriusq;
partis rationibus, secundum quas Cæsarea Maiestas
Ad quæ ista cum Statibus Imperij possent deliberare, atq; de agen-
dicuntur, dis ijs, quæ in decreto habentur, constituere. Vobis a-
habentur liter ut sum fuit, & contenditis causam ipsam, & offi-
suprà pag. cium uestrum postulare, ut etiam argumenta & rationes
22. 13. 14. omnes, quibus utrinq; inniteremur, superfluis tantum
reiectis, & quæ causa conscribi omnino non postu-
laret, conscribantur, ut sine quibus causa hæc iudici-
cari non possit.

Quamquam autem res ista laboris sit immensi futura, ac plurimi quoque temporis prodiga. & ne formam quidem habeat Colloquij, tamen ne desimus necessitati uestrae, ac quiescere uobis non detrectabimus. Praefertim cum ad eodē decretū illud V Vormatiense urgeatis, nisi aliud Caesarea Maiestas Clementissimus Dominus noster interim constituat. Ita tamen etiam, ut quando uolētibus uobis, dicta in hoc Colloquio sunt scribenda, cōscribantur omnia, argumēta cum responsionibus, & eorū examinationibus, ne noua inter nos contentio oriatur de eo, quid causa scribi, aut nō scribi postulet. Dabimus propitiō Deo, quod in nobis est, operam, ne afferamus, quae ad rem non pertinebunt.

Quod autem putatis ad ueritatis inquisitionem, eam esse optimam, & uerē dialecticam formam, qua singulis argumentis sua subiiciatur responsio, concedaturque, quemadmodum & heri denuo commemoratis, responsionem illam examinare, donec appareat, utri potiori nitantur ratione. Id ipsum & nos fatemur, & hoc scilicet est, quod initio uolebamus. Eoque petebamus Colloquium familiare & amicum, quod Colloquij uerim formam haberet, quo per scripturas sacras, argumenta & rationes quae primū cuique occurrissent, liberē, & ex tempore utrinque ageretur: agitatūque ad hunc modum articulus, atque ad unguem scripturis sacris, argumentis & rationibus expensus, ita demum uel conciliatus consignaretur, notarijs inscribendus: aut si peccatis nostris exigentibus, neuter neutri cederet, nō cōciliatus, cum potissimis utriusque partis rationibus ac fundamentis, referretur in acta, a Caesarea Maiestate, & Imperij Ordinibus expendendus.

At uerō reluctantes uobis, uolentibusque argumenta omnia conscribi inter colloquendum, non potuit

a Quid ita? An propterea quia quae colloquimur excipiuntur, nō habebit nostrum Colloquium formam Colloquij.

Quo minus hanc rationē seruatis, quid obstat exceptio notariorū.

Quid ita?

a Nullo calore, sed animo sedato, & uocem Christi tranquille exaudiente opus est.

b Acta igitur utriusque rei n. quenda erant & habenda in manib. quod nos petimus.

c Consignentur igitur omnia argumenta, dentur Actorum exemplaria utriusque parti, habeatur omnia in manibus & in oculis.

a Si exempla Actorum habeantur in manibus.

Sit religio Christi in agendo, & detur facultas corrigendi si quis excidit præter rem. u. tab. uentur illa incommoda.

tuit^d hæc ratio propter incommoda multa seruari. Si debeant enim omnia, quæ dicuntur, conscribi, tarda, multisq; modis interrupta pronuntiatione erit opus: unde fiet plerumq; ut refrigescat calor ille ad rem gerendam^a necessarius, atq; etiam, ut neq; hæc, quæ proponuntur, neq; e regione, quæ contrà dicuntur, satis quis assequi possit, posterioraq; prioribus apte^b coniungere. Quoti enim sunt mortalium, propositi sui tam tenaces, quibus inter agendum & cogitandum, per tot labentis temporis interualla, non uel aliquid ad rem pertinens excidat, uel obrepat etiam aliquid à re alienum, quo distrahatur. De nobis certè non tam superbe sentimus, ut confidamus omnia posse memoria retinere. Si autem pergat quis ad hunc modum siue argumentari, siue respondere, siue etiam responsionem datam examinare, & excutere, monstrofa prorsus nascentur, & incompolitæ (quod ad nos attinet) argumentationes,^c quas nec facile retinere quis possit, uel assumere. Quomodo autè ad tam male coherentem, peiusq; retentam, ac iam propè memoria elapsam argumentationem, quis ilico respòdeat: quomodo responsionem ipsam examinare, & secum còstituere queat. in re præsertim tam magna, ad animarum salutem, non nostrarum modò, sed omnium hominũ pertinente? Et quis ita^a respòdeat, causamq; agat, ut uelit dicta sua omnia conscribi. Ca sarièq; Maieitati & prudentissimis Sacri Imperij Còcilij, atq; adeo toti orbi dijudicanda & expendèda proponit: Aut etiã quomodo omnino expendi ac dijudicari res tam incòpositæ à quoq; poterunt? Ut taceã interim, quod inter agendũ, ad libros sapius ac necessariò recurrentum nobis erit. Ut si quando citentur scripturæ, uel patres, de quorum sententia non conueniat, nõ arbitror enim alterum alteri de sententia

tia scripturarum tam statim & facile concessurum : & disputatio nō de scripturis, sed de sensu futura est, cum de scripturis cōuenit. Quod ipsum si incidat, iam non poterunt norarij, progredi, & Colloquium deferretur in diem alterum. Aut si nōn differetur, & nos de alijs interea colloquemur, quæ & illi scribent, quis erit ordo rerum? quis tantam confusionem expendat? Proinde quod res est, & initio diximus, & repetimus adhuc, nullū probari nobis Colloquij genus, nisi per uices, & familiariter absq; scripto res suscipiatur agenda, discutianturq; & expendantur exacte omnia, priusquam scribantur, alijs expendenda. Quando autem uobis istiusmodi genus Colloquij detrectantibus, in aliam formam pertrahimur: et erunt dicta omnia conscribenda, constitutum nobis est, non nisi rebus expendis causam agere, nec immediatē semper dicere, nec statim subijcere responsiones, uel examinationes. Et sic minus committetur ineptiarum, minus etiam temporis expendetur: quia heredit nemo cogitabundus, nec repetitionem dictorum quis postulabit.

Quod genus Colloquij petant.

¶ Nam ut præteream, quod cum uos tam proluxi fueritis in explicatione sententiæ uestræ de Iustificacione, nobis obijcitis, & esse putatis à ratione Colloquij alienum, quod Iustificacionis materiam, summā quidem quamuis breui fuerimus initio complexi, idq; uerbis quam simplicissimis, & eandē illam in propositiones, seu certa quædam capita distribuimus.

¶ Hoc certe nec pietatis nostræ, nec officij fuerit præterire, quod non modo contemptum, sed aliquantum atrociter uidebamini in totum ordinem Theologorum, quos Scholasticos appellatis, pronunciare. Agitis Deo gratias, quod eius beneficio pridem liberati sitis à spinosis illis Scholasticorum quæstionibus. Ab

2 Quod contra ordinem ab Imperatore præscriptum, non articulum nostræ Confessionis examinandum desumpsistis, & quod tam multos articulos confundistis, quamlibet breui uersa summa, id reprehendimus. Laus Scholasticorum.

Alexandro, Thoma, Scoto, Durando, Bricot, & eorum similibus. Bona uerba quæso uiri eruditissimi; ergo ne tam impia sunt illorum scripta, ut singulari Dei beneficio deputandum sit, quod uos ea non probatis, ac forsitan etiam reiicitis. Hactenus autem eorum plerique uitæ sanctimonia, omnes uerò profunda rerum diuinarum & admirabili cognitione celebres in Ecclesia Dei fuerunt, ac utiliter de sacris scripturis, omniumque patrum consensu docuerunt. Is est enim præcipuus exercitii theologicæ fructus. uerum & germanum, tam patrum, quam scripturarum sacrarum consensum, argumento, rû uî, & doctorum collatione quærere, docere, ac tradere.

Ingratitudo
in Scholasticos.

Non huc nos
rapimus, sed
Imperatoria
Maiestas
uocat.

De articulo
Conciliato.

Quidam etiam uestrum, nisi pergant esse ingrati, certè sancto Thomæ & Scholasticis non nihil debent, Non libet autem contendere modò de Theologiæ, quam uos scholasticam appellatis, utilitate, simul ac necessitate. Sed quando uobis usque inuisa est, & uultis ut ea prætermissa, disputationem omnem rectam ad Confessionem & Apologiam conuertamus, recipimus nos etiam illud facturos, & quò rapitis sequemur. ita tamè ut ordo à Cæsarea Maiestate præscriptus, quod & uos ipsi fieri uoluistis, primo omnium seruetur.

Est autem de Iustificacione omnium primo à Cæsarea Maiestate ad excutiendum præscriptus, què uos contenditis ante hoc quinquennium hic Ratisbonæ conciliatum, & ratum habitum per Cæsaream Maiestatem, ita etiam approbatum per Concilium Electorum, & Rerum publicarum, sicut per Principes uestròs & Ordines protestantes. Eaque de causa, ne existimemini uelle actum agere, & infrugiferis colloquijs tempus extrahere, ordinesque Imperij inutilibus laboribus & impendijs onerare potius, quam piam aliquando de religione consensionem constitui, rogatis iterum atque iterum

rum Reuerendissimum & Generosissimos Dominos
 Præsides, ut actis Colloquij inferi articulū illum iube-
 ant, ut in Colloquio in proximis Comitibus hic celebra-
 tis habito, conciliatum: Ecclesiarum Christi, & ipsius
 Cæsareæ Maiestatis, existimatiōisq; tot Ordinū Impe-
 rij interesse, ne hoc tantū Christi beneficiū, à quo tam
 multa aliā pendeant, intercidere patiamini. Qua in re
 miramur uestrā, ne quid acerbius dicā, cōfidentiam,
 cum palām, & in aperto sit, neq; Cæs. Maiestatem arti-
 culum illum ita cōprobasse, ac ratū habuisse, neq; Re-
 uerendissimū D. Contarenū sedis Apostolicę Lega-
 tum, neq; Principes Electores, neq; Ordines Catholi-
 corum Principū, neq; item Protestantium Ordines, &
 quod his amplius est, nec ipsos quidē Collocutores o-
 mnes. De Eccia cōstat, quem uos appellatis calumnia-
 torem, uirum tam præclarum, qui usq; ad extremū spi-
 ritum pro religione desudauit. Quod, qua fiat ciuilita-
 te, uobis expendendū relinquimus, præsertim in hoc
 Colloquio, quod de restituenda cōcordia orsi sumus.

De Reuerendo D. Iulio Pflug, nunc Nunburgie-
 lecto & confirmato Episcopo, ac Imperij Principe, &
 incomporabili uiro Ioanne Groppero, constat simili-
 ter, qui inter Colloquendum * protestati sunt, arti-
 culum illum de Iustificatione maiori explicatione in-
 digere, non certē qualem uos eratis daturi, sed Con-
 cilium generale, aut sedes Apostolica. Quod ipsum
 & Principes Electores fecisse cōstat, ut ipse Martinus
 Bucerus tradidit. Nota est Catholicorum Principum
 sententia, qui ne eò quidem adduci potuerunt, ut con-
 sentirent in articuli illius suspensionem, usque ad fu-
 turum concilium. Sed & Illustrissimi & Illustres
 Principes protestantium Ordines nō tam planē arti-
 culum illum receperunt, Quorum hæc sunt uerba,
 In scri-

a Cur non si
 here dicit ua-
 nitatem, ut
 sentis.

Ad Ecciam
 ergo nos reli-
 gionem uoca-
 tis? Hæc ue-
 stra concor-
 dia.

Vbi prote-
 stati.

In scripto illo suo quod exhibuerunt, & optaremus doctrinam sinceram de gratia Christi, & de iustitia fidei propagari in Ecclesijs, quam cum articulis in libro breuiter complexus est: si hoc agatur, ut saluti & concordia cōsulatur, erit explicatio addenda, ne breuitas, aut ambiguitas pariat noua certamina. Nam nos quidem articulos illos sic intelligimus, ut res eadem in nostra Cōfessione & Apologia traduntur. Et paulo pōst: Iterum testamur nos amplecti Confessionem Augustae exhibitam Maieitati uestrae. Et Apologia quoque addita est. Nec dubitamus hanc doctrinam uere esse consensum Catholicæ Ecclesiæ Christi, &c.

In hoc igitur
sensu Impie-
tatis

Hæc Princi-
pes petierūt.

Quæ est autem concordia, quod adhuc in sensu Confessionis & Apologiæ hærent: Ipsi nostis, Ordines Catholicorum Principum Confessionis & Apologiæ nunquam subscribere uoluisse. Sed nec ipse Philippus satis planè consentit, qui exigit ut uocabulum (efficax) accipiatur iuxta sensum, quem iubet ipse, aut eximatur.

Quid attinet referre hic uel de Legato Apostolico, qui prorsus ad Concilium, & sedem Apostolicam articulum illum reiecit, Et hic legit responsum Legati, quod ita habet.

RESPONSVM LEGATI DE ACTIS

Colloquij.

Nos Caspar, &c. Requisiti à Cæsarea Maiestate suo, ac Romanorum & Illustrissimorum Principum sacri Romani Imperij nomine, quid nobis uideatur de his, quæ in negotio Religionis tractata sunt inter Collocutores Catholicorū & Protestantium à Cæsarea sua Maiestate deputatorū, & scriptis mandata in quodam libro, exhibito eius à præfata Maiestate, cum quibusdam apostillis utriusq; partis, nec non in quibusdam

busdam quinternionibus Protestantū dicimus, quod omnibus bene discussis & consideratis, nobis uideatur. Cum Protestantes in nōnullis articulis discedant à communi consensu Ecclesiæ Catholicæ, in quibus tamen non desperamus aliquando ipsos quoque Deo bene iuuante, nobiscum cōsensuros, nihil amplius de reliquis omnibus statuendū, sed remittenda esse summo Pontifici, & Apostolicę sedi, qui uel in Cōcilio generali, cuius celebratio non multo pōst fiet, uel modo alio, magis opportuno, si res ita exegerit, ea poterit iuxta Catholicam ueritatem diffinire: nec non habita rerum & temporum ratione, statuere, quæ uidebuntur fore expedientia Reipublicæ Christianæ, & huic inclytæ nationi Germanicæ.

Vide cur cōciliatos reijciat ad Pōtificem, nō quia hi non recte conciliati, sed quia alij nondum conciliati.

Casparus, Cardinalis Contarenus, Legatus Apostolicę sedis.

Vel de Cæsarea Maiestate, quæ non obscure significat colloquio illo nihil propemodum actū fuisse, licet plurimum temporis & laboris sua Cæsarea Maiestas ad hanc rem impenderit. Recitauit uerba Cæsareę Maiestatis, quæ ita habent.

VERBA SCRIPTI, QVO IMPERATOR

Ordinibus Imperij proposuit deliberandos articulos conciliatos.

Postquam autē sua Maiestas, in hac causa religionis, quantā omnino potuit diligentiam adhibuit, nec tamen existimare potest, ut hisce comitijs quicquā amplius agi & effici queat, præsertim cum Legatus Pontificius ea, quæ scriptis eius continentur, responderit: deinde quia in hac causa multum iam temporis insumptum est, quanquam nihil sit effectum, utcumque sua Maiestas plurimum & laboris & molestiæ insumpserit: uisum est ei, Statibus sententiam suam, & scilicet.

a Hoc est, omnia ad Pontificem reiecit.
b Adhuc scilicet.

Q de

deliberationem, quæ ad recessum, & summarium decretum horum Comitiorum cōferre possit, exponere.

Omnia itaque suspensa fuerunt, nihil definitum, nihil approbatum. Atq; ut euidentius demonstraretur Cæsareæ Maiestati, Domino nostro Clementissimo, in colloquio illo minime fuisse in eo, quod ad hunc articulum attinet, satisfactum: iubet nunc sua Maiestas, hunc ipsum articulum, rursus de integro, secundum omnes suas partes tractare. Quorsum igitur attinet poscere, ut articulus iste tanquam conciliatus, & ratus per Cæsaream Maiestatem habitus, nunc actis Colloquij huius inseratur? Vtinam fuisset tempore illo ^a catholicè & Orthodoxè conciliatus, & nos hoc negotio leuati. Nō sumus enim tam cupidī altercationis uel rixarum, ut semel cōciliatum articulū rursus in dubium uocare delectet. Quando uerò tanta sententiarū discrepantia in summo illo articulo restat, non possumus non testari, quod res est. Et conscientia nouit, tam uestra, quam nostra, articulum illum ^b nondum conciliatum esse, sicut oporteat. Adeoq; ex Cæsareæ Maiestatis præscripto, primum omnium discutendum: quod & fieri iam diebus aliquot cœptum est.

Retractatio huius articuli.

a Non igitur egit Catholicæ tuus Gropperus

b Verum uobis, & si milibus uestrum.

ACTIO DIEI XIII. D. MALVENDAE.

AD petitiones & expostulationes, ad ea deniq; operta sunt, copiosissimè respōsum est à doctissimo uiro S. Theologiæ professore, & ordinis Carmelitarum in inferiori Germania prouinciali dignissimo, ut rebus illis quicquam adijcere, non inutile modò, sed & superfluum uideatur. Superest nunc ad ea respondere, quæ doctissimus D. Bucerus, & scripto tradidit, & dictauit. Quæ ego profectò alia ratione cum ipso familiariter

riter perpendere maluiffem, fatis intelligens ea, quæ in ullo doctrinæ genere cōtrouertuntur, non ad feuerum fatis examen per fcripta reuocari, cum utraq; pars fic op̄inionis fuæ capita proferat, fic in illis explicandis excurret, ut raro² utrinque concurratur: atq; ita ueritas, Collocutoribus in diuerfa tendentibus, neque excuti, neq; pro dignitate expendi poffit.

Ego tamen futurū fpero ut hæc perpetua fcribendi ratio, non folum ipfos utriufq; partis Collocutores, fed clariffimum etiã hunc confeffum ita faftidiat, ut ipfa neceffitas in id prorfus inducat, quod ratio prius perfuadere non potuit.

*De ratione
cōferendi.
a Quid
ta? Siquidẽ
uelint Col-
loquentes
inter fe cõ-
currere.*

Sed ad rem. Video doctiffimum D. Bucerum omnia, quæ ad dicendū cõceperat, quatuor partib; diftingiffe. Prima, Articulum Auguftanæ cõfessionis de iuftificatione, & eius explicationem eft complexus. Altera, ea quæ à nobis de iuftificatione breuiter & in fummam fuerant allata, cum fuis contulit, atq; adnotauit quæ conuenirent, & quæ ambigua, & quæ etiã aduerfa uiderentur. Tertiã parte dedit operam, ut locis fcripturarum ad doctrinam noftram adductis, refponderet. Quarta, aliquot pronuntiata, quæ ipfe doctrine fuæ axiomata, ceu dignitates appellabat, collocauit. Ad quæ omnia cum refpondebimus, neceffe nobis erit, ipfius domini Collocutoris ordinem feruare, ac uelut uestigijs inliftere: ut fi ratio refpondendĩ commoda, aut contraria uideatur, nobis, qui D. Collocutorum fequimur, nec laudi, nec fraudi effe poffit.

Articulus ipfius Confessionis, quo melius explicaretur, in quatuor capita eft diuifus. D. Bucerus etiã thefes appellauit. Primum caput: Homine non poffe iuftificari proprijs uiribus, meritjs, aut operibus.

In huius loci explicatione, cū de iuftificationis uocabulo

bulo differeret, duobus locis meminisse me à D. Bucero Doctissimo viro reprehendi. Altero, quod eius uocis significationes omnes, cum de eodem argumento & doctrina nostra dicerem, non attulissem. Verba autem mea sic habent: Iustificationis uocabulum (quod ad hanc quidem rem attinet) duobus modis in scriptura accipi animaduertimus: ubi particulæ illius moderatio (quod ad hanc quidem rem attinet) admone- re satis debuisset, hominem in primis circumspectum, me studio breuitatis, & quod ad argumentum propo- situm nõ faceret, alias significationes me prætermis- sisse. Alterum erat, quod in explicacione nostra acceptionem uocis iustificari, qua ipsi in doctrina sua uterentur, & qua Paulum apostolum usum frequentissimè conten- derent, me quoque dixit prætermis- sisse. Ad hanc, quæ plus momenti habet, reprehensionem, pluribus etiam mihi est, uel satisfaciendum, uel certè respondendum. Primum omnium, qua domini Collocutores significa- tione, uoce illa utatur, ipsi uideant: nos certè uerbum iustificari in scriptura, cum de priori illa iustificatione agitur, intelligimus hominem ex peccatore iustum fieri, idq; per cõmunicationem, & infusionem gratiæ Dei. Ut scriptum est apud apostolum Paulum, Iustifi- cati gratis per gratiam ipsius, ubi planè Apostolus per gratiam, donum^b infusum intelligit: ut ipse alio loco in eadem epistola docet, Charitas Dei diffusa est in cordi- bus nostris per spiritum sanctum. Quam quoq; gratiam, donum appellat, & intelligit eadem Epistola, cum dicit: Non sicut delictum, sic & donum. Quo loco & sequenti- bus, quæ breuitatis gratia nõ recito, aperte per^a donum, gratia intelligitur. Quod uerò hæc explicatio uocis iustificari, & Paulo fuerit familiaris, & ab Orthodoxis usurpata, non inuentum nostrum, hæc loca satis indi- cant.

Ad primum
de uoce iusti-
ficari.

At de no-
stra confessio-
ne agendum e-
rat.

a De gratia
Christi loqui-
tur, qua &
nos gratos si-
bi facit pater
propter gra-
tum sibi filium.

b Hæc chari-
tas est, qua
Deus nos di-
ligit.

c De dono lo-
quitur resti-
tutionis no-
stri per Chri-
stum.

d. Cur ergo
distinxit in-
ter gratiam &
donum scri-
bens, Multo
magis gratia
Dei, & donum
in gratia. Et,
Qui abundan-
tiam percepe-
runt gratiæ
& domini iusti-
ficati.

cant. Augustin. epistola 105. ad Sixtū: Gratia de cuius cōmendatione Apost. ad Ro. loquit, ea est, qua^e iusti-

ficatur impius, id est, fit iustus, qui prius erat iniustus. Idem eadem epistola, Sed neq; ab eo, quo originali- ter cōtrahitur, neq; ab ijs, quæ unusquisq; in uita propria mala congregat, quisquam liberatur & iustificatur, nisi gratia^f Dei per Iesum Christum Dominū nostrum, nō solum remissione peccatorum, sed prius ipsius inspiratione fidei, & timoris impartito salubriter orationis affectu, & effectu. Et idem author: Quid enim est aliud iustificari, quā^m iusti facti ab illo, qui iustificat impium? ut ex impio fiat iustus.

Idem De gratia Christi contra Pelagium & Cælestium. Istam gratiam, qua iustificamur, id estⁱ qua charitas Dei diffunditur in cordibus per Spiritū sanctum, nondum audiui confiteri.

Idem De peccatorum meritis & remissione: Nempe legimus iustificari in Christo, qui credunt in eum, propter occultam cōmunicationem^k & inspirationē gratiæ spiritualis, qua quisquis heret Domino, unius Spiritus est cum eo.

Idem super Ioan: Iustificare impium, est ex impio^l facere pium. Quæ profectō doctissimi, & sanctissimi uiri dicta manifeste explicant, quod^m nos de iustificatiōis articulo dixeramus.

Nam forensis illa uocis significatio, non eundem in ijs scripturæ locis sensum, quæ de priore iustificatione loquuntur, habere potest, quem in foro, ubi homines iudicant & iudicantur. Nam iudices frequenterⁿ sceleratum & flagitiosum hominē, pro iusto pronuntiant. hoc de Deo cogitare nefarium est, qui neminem habeat pro iusto, nisi quē ipse gratia sua per Iesum Christum^o iustum fecerit.

^e Hæc uero est beneuolētia gratuita paris.

^f id est, misericordia Dei.

^g qua scilicet remissio peccatorum recipiatur.

^h Spectauit enim in uerbo iustificari collationē iustitiæ.

ⁱ Hæc uero gratia qua charitas infunditur, nam

quid est ultronea beneuolētia Dei?

^k Hæc autem cōmunicatio nūquid ex ea gratia Dei,

quæ est eius gratuita misericordia nobis cōtingit.

^l Id autē primū fit peccatorū remissione.

^m Nec istud omne, et quædam secus, & plura docēt.

ⁿ Cur nō forensis significatio.

^o Ergo nulla actio attributa Deo quā homines frequenter deprauant.

^p Ut iustum quēquā facit, ita habet iustum, perfecte iustum in se

lio suo, in ipso homine imperfecte.

2. Itane? Car-
 tus igitur rei
 que in iustifi-
 cato sit esse-
 diū facies re-
 ceptionem e-
 ius in gratiā
 Dei, & rege-
 nerationē e-
 ius, & adopti-
 onē qua sola
 iustificatus
 est, quicumq;
 iustificatus
 est, & sine qua
 iustificari ne-
 mo potest.
 b De eo iudi-
 cēt lectores.
 Alter us sig-
 nificationis
 locus.

c Si intellige-
 bas hoc, qua-
 re paulo post
 ausus es scri-
 bere, me con-
 sentire tibi
 de sensu hu-
 ius loci.

Videtur
 hic exceptor
 uerba Maluē
 de nō omnia
 percepisse. Sē-
 ius tamē eius
 cōitare uide-
 tur. Si quid
 prætermis-
 sum sit sarcia-
 tur ex Actis
 publicis cum
 fuerint adira-
 nos quæ ha-
 buimus bona
 fide reposui-
 mus.

d Iacobus
 pbat hic A-
 brahā & A-
 chab iustifica-
 tos ex operi-
 bus, idque ex
 Gen. 22. & le-
 hoc. 2. & ult.
 His autē locis

nihil haberet de augmento iustitię eius uel collato propter eorum bona opera, uel
 per opera ipsorum ab eis parte. legitur autem eos fuisse propter sua benefacta a Deo
 laudatos & celebratos, promissiq; & donis remuneratos & ornatos.

Cæterum illa, quæ à domino D. Collocutore ex-
 plicatio scripta est his uerbis: Apostolico igitur signi-
 ficatu uerbum hoc (iustificari coram Deo) usurpamus
 ut idem sit, quod homines propter mortem filij Domi-
 ni nostri Iesu Christi condonatis peccatis recipi in gra-
 tiam, adoptari, regenerariq; in filium & hæredem uitæ
 æternæ: hæc, inquam, explicatio, etiam si receptionem
 in gratiam, regenerationē, & adoptionem ponat, qui
 effectus² sunt in homine iustificato. Nō enim, ut mihi
 quidem uidetur, satis explicat, quid in homine iustifi-
 cato ponatur, per quod sit iustus. Et loca omnia scri-
 pturarum ad explicationem uocis illius adducta, sen-
 tentiam nostram^b magis quàm aduersam cōfirmant,
 ut ex Augustini interpretatione innotuit.

Inter alias uocis eius significationes attulit D. Buc-
 cerus illā, scilicet iustificari est laudari, seu remunerari,
 citauitq; locum D. Iacobi, à me prius adductū: Abra-
 ham pater noster nō ne iustificatus est, &c. Vbi quan-
 quam ego^c intelligā eo id cōsilio factum esse, ut auto-
 ritatem loci, incrementū iustitię nostræ probantis D.
 Collocutor eluderet: tamē nec eam significationē esse
 apud Apostolum, & rectē à me citatū locum conabor
 ostendere. Præcipua parte huius epistolæ Apostolus
 docet, non fidē solū, sed etiā opera ad salutē esse neces-
 saria. Atq; cū ad probandū hoc, induceret iustificatio-
 nem Abrahę, docuit illius in iustificatione profectum,
 eadē ratione, qua dicebat, fidē ad salutē necessariā esse:
 igitur non solum laudē. Ita & Abrahā docuit non so-
 lum laudatū ob præclarum factum, sed iustificatū^a e-
 tiam. Cuius loci sensum & ipse D. Bucerus agnoscit:
 nam cum responderet hisce diebus ad ea loca scriptu-
 rarum, quibus ego augmentū iustitię nostræ confir-

matem,

marē, & in illis locis verba Iacobi collocassem, ut in primis facientia ad sententiā nostrā probationē, his verbis respondit. Ad hæc iam omnia loca respondemus, quod docent quidē per bona opera augeri inchoatam in nobis iusticiam.^a Hæc ad explanationē uocis, quam cum Dominus Collocutor præmississet, ad primi capituli explanationē accessit, atq; id ita explicauit. Cum dicimus hominē non posse iustificari ex proprijs uiribus, meritis, aut operibus, intelligimus nullum hominem posse reconciliari Deo, accipere remissionē peccatorū, adoptionem, atq; oblationem in filium Dei, & uitæ æternæ ex suis uiribus, meritis, aut operibus.

Quo loco, si intelligatur hominē iustificari ex mera Dei gratia, nullis meritis nostris, hoc iam nos antea dixeramus.^b Neq; iustificari quidem ullis operibus iustificationem ipsam omnino præcedentibus. In ea autem descriptione, quid per uocem iustificari intelligat, exponit. Voces autem illas,^c suis uiribus, meritis, aut operibus, intactas prorsus reliquit, ubi præcipua explicatio desiderabatur.

Et loca, quæ ad capituli huius confirmationem adducuntur, id probant quod omnes fatemur, nos gratis^d iustificari. Ibi tum obiter sub finem, cum de uiribus nostris loquitur, duo dicit. Alterum, omnia hominis non iustificati opera, peccata esse: Alterū, quod innuit Apostolum Paulum id uoluisse, cum scribit: Quicquid non est ex fide, peccatum est. Nos antea satis ex scripturæ testimonijs docuimus, aliqua opera iustificationē præcedentia, ad ipsam quodammodo conducere. At cum ea de re familiariter agemus, confirmare conabimur. Et profectò res in primis dura uidet̃, ut si christianus alicui peccato ex infirmitate hærens, offenderet

a Loci huius ueram interpretationem ante promissam, & tuam, ut ipsam iam agnouisti interpretationem de augmento iusticie exclusi. quare non potest hoc meum generale responsum, hæc quoque Iacobi locum comprehendere. Explicatio primæ thesibus Sed non est gratia ullo modo, nisi sit gratia omnimodo, eoque nullis nostris operibus prouocata, hæc dicit D. Augustinus. Opera iustificationem omnino præcedentia, intelligit quæ omnem in homine bonum motum præcedunt.

b Sed non est gratia ullo modo, nisi sit gratia omnimodo, eoque nullis nostris operibus prouocata, hæc dicit D. Augustinus. Opera iustificationem omnino præcedentia, intelligit quæ omnem in homine bonum motum præcedunt.

c Explicatio uocem hanc præterita est, qua per se partem uidebatur, dabit autem in nostra responsione.

d At non gratis iustificamur, nisi nullo respectu operum nostrorum iustificemur, id quod D. Augustinus, ex Apostolo

^a Solo euidenter concludit. ^e Id si uerū est, non iustificamur gratis, ut & D. Augustinus, ex Apostolo euincit. ^f Nullus Christianus inhærebit peccato contra conscientiam.

a Factum in se peccatum non esset, sed quod factum hoc non faceret uero studio Dei, id quod nemo sine uia fide habere potest.

b Hanc tuam D. August. refutat contra Iulianū lib. 4. cap. 4. Vt enim Apostolus probaret peccare eū qui uersitur contra conscientiam, generalē hanc sententiā ex tulit. peccatū esse, non hoc tantum, sed quicquid nō ex fide fiat. Nisi enim ueris universalis hęc sententiā esset, nihil per eam Apostolus probasset.

c Si non ulla, ergo nec merita congrui, quę preparēt hominem ad iustificationē. Non tantum nihil debent, sed debentur nā affirmat.

e Lege igitur quę scripsit ad dixtum epist. & 109. cōtra Iulianum cap. 4.

f Si omnino nullis, ergo nulla opera præcedentia iustificationē ad iustificationem præparant.

offenderet in uia pauperē etiam Christianum, prostratum humi, & fame penē cōfectum. Si ille, inquam, homo memor Christi mandati, quo pauperes nobis diligentissimē cōmendauit, iacentem erigeret, & pro lato cibo iuuaret, num ille peccare eo facto diceretur?

Porrò Pauli locus: Quicquid non est ex fide, longē aliam interpretationem habet. Ibi enim Paulus dicit, eum hominem, qui in cibo aut potu putaret se Deum offendere, & uesceretur, peccare illum, qui aduersus conscientiam suam id est, illam animi persuasionem faceret, qua se malē facere existimabat.

Subiungitur Augustini locus aduersus Pelagianos, quo testatur impī meritis non gratiā, sed pœnam deberi. Habet hic locus consentientem cum sententiā nostra sensum. Negat enim Augustinus, quod & Catholicī omnes ulla esse hominis merita: negat et illud, quicquam eius operibus deberi. Sed esse peccata omnia peccatoris opera, neq; Augustinus, quanquam in hoc argumento aduersus Pelagianos acer & uehementes fuerit, neq; ullus Orthodoxorum Patrum asserit.

Subiicitur deinde alterum articuli caput his uerbis: In tractatione capituli huius post uaria scripturę loca, quę docēt iustificationē gratis dari, adduntur uarię fidei acceptiōes. Nos neq; dubitamus iustificationē gratis dari, hoc est, nullis meritis nostris, quod nostra propositio & prius fatebat. Et quod ad fidei acceptiōes attinet, scripturam & patres secuti, intelligimus fidem mortuā, siue ociosam, quę sit charitate destituta, tamē ueram fidem esse, etiam si uiua non sit. Nam fides quę ab Apostolo describitur, 1. Corinth. 13. Certē uera fides est: Si habuero, inquit, fidem omnem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero. Et Matth. 7. Nunquid in nomine tuo prophetauimus. Si mortua fides, uera fides, & mortuus homo, erit uerus homo. h Nos autem hic nō de fide effectrice miraculorū, sed de iustificante fide loquimur. Item

Item eodem capite: Non omnes qui dicunt mihi Domine, Domine. Quibus locis^d uera profectò fides in illis ostendit, utpote quæ montes transferat, dæmonia eiiciat, & prophetet, & uirtutes multas faciat: in alijs tamē ociosa, quia uita charitatis destituta, quam cum accipit, uiua est & efficax: ut scribit Apostolus Gal. 5. Neq; circumcisio est aliquid, &c.

^d Ad hæc opera uera est, sed non ad iustificacionē.

Porro descriptionē, quā D. Bucerus suæ fidei attulit, & quam dicit apud Paulū esse, & eam ecclesiam semper credidisse, quæ sic habet: Donum est & testimonium spiritus sancti, quod largitur & præbet spiritui nostro. ut certum & indubitatum præbeamus assensum Euangelio, & firmiter credamus Deum peccata nobis cōdonare, etc. Eam, inquam, fidei descriptionē nos, neq; in literis sacris, neq; in Catholicis scriptoribus hætenus legimus. Et multò minus eam, quæ in huius Confessionis apologia depingit. Quod si hæc definitiones exactè perpenderent, facile intelligerent earum autores, quā sit difficilè tradere^e nouas definitiones, omnibus suis partibus absolutas.

Definitiones fidei reprehenduntur.

^a Videantur igitur quæ habentur de fide ipsa. Rom. 4. & 5. de testimonio spiritus persuadētis spiritui nostro, quod filii Dei sumus. Rom. 8. & Gal. 4. Itē quæ Apostolus tradit de spiritu sancto per quem scimus quæ donata sunt nobis. 1. Cor. 2. Et de spiritu fidei, quo credimus. 2. Cor. 4.

Statim post definitionē, de certitudine illa firmissima mentio fiebat. Subiungitur: Cū autē ob infirmitatē carnis, nunq; satis firmi in hac fide sumus: & graues dubitationes de promissis Dei animos nostros fatigent. Hæc quo pacto cohæreāt, nō intelligo. Nunq; satis firmi in hac fide sumus, dum hic uiuimus, & firmissimā tamen semper certitudinē habere^d debemus.

Paulo post plenius, & seuerius de hac re disputat, & rem planè deplorandam esse affirmat, quod de illa certitudine per multi audeant dicere & sentire, nos nō debere certò statuere, peccata nobis esse remissa, &c. Qui locus & explicatione indiget, & refutatione.

^b De hac diffensione iudicetur accepto nostro respōso.

^c In nostris definitionibus nihil noui. De certitudine fidei.

^d Etiam per fidem charitatem habere debemus, nec tamen habemus.

Nos cum sexta propositione diceremus, temerario

R iudicio

a Nemo nescit an se peccatorū suorū pœnitat, & an veniam a Deo petat, credatue se eā percepturū.

Modus certus huius pœnitentiæ, uoti, & fidei non præscribitur. Imo debet credere oia in se, quo minus promissa Dei accipiat, ob stare, scilicet per Christum tolli hæc impedimenta.

Alioqui si nō sit firmiter credendū promissōib. Dei, donec certus quis sit, nihil in se superesse impedimēti, ad accipiendū quod est pmissum, nulla unquam a nobis poterit certa fides pmissōib. Dei accōm odari.

e Hic locus sic habet in greco. De pœnitiatione, ne sis absq̄ metu, ut appōas peccata peccatis, & ne sis eas, misericordia eius
 >> multa, misericordie
 >> ritudini peccatorū erit
 >> pœnitias.
 d Hic timor & tremor esse de-

iudicio duci, qui firmiter & certō statuatur sibi remissa esse peccata, non habens conditionis suæ & infirmitatis rationem, satis indicauimus, quid de promissionibus Dei, quid deinde de infirmitate nostra, quid deinde de tota re sentiendum esset. Nos omnibus promissionibus Dei, credendum esse indubitato, certō, & firmiter diximus, & docuimus. Sed cū hæc promissiones non dentur, nisi pœnitentibus, credentibus, sperantibus, atq̄ amantibus: & homo non certus sit fidei certitudine, de qua loquimur, a quando hæc dona Dei accipiat, & intelligat occultissimum superbix uicium, inter summas etiam uirtutes delitescere: profectō non debet tam certō credere b nihil esse in se impedimentū ut promissionem nō accipiat, quā certō credit Christum esse filium Dei, quæ est fidei certitudo. Hæc est explicatio.

Confutatio componitur, cū simul respondetur ad id, quod D. Bucerus assererat, nullū posse ne uerbum quidem ex omni scriptura proferri, neq̄ etiā ex S. patribus, quod eam sententiā nostram cōfirmaret, cū tamen satis intelligeret, scriptum esse Eccles. 5. de pœnitiatione peccatorū: Noli esse sine metu. Phil. 2. Cum timore & tremore uestram ipsorū salutē operamini. Et locus ille, siue apud Hebræos aliter legatur, siue ut nos legimus ante multos annos: Nescit homo an sit amore uel odio dignus. Certē, teste Hieronymo, sententiā nostram confirmat, a quo sic enarratur. Etiam in hoc dedi cor meum, & scire uolui, quos Deus diligeret, quos odisset: & inueni iustorū quidem opera in manu Dei esse, & tamen utrū amentur a Deo, an nō, nunc

bet, nō de misericordia Dei, quasi nolit peccata nobis remittere, sed de nostra imbecillitate, ne quid peccemus.

e Sententia Hieronymi

a Non igitur hic de salute eterna, sed de causa presentis salutis loquitur D. Hieronymus.

b Hic sermo est de peccato contra conscientiam, cum quo nec fides ipsa consistit.

c Ne scilicet deliquit, non se abiciat Deus.

Tractatu 33.

d Vide hunc locum, nam explicat seipsum. Loquitur enim contra spem quae securum facit & negligentem in obseruatione praeceptorum Dei.

Sola fides: e Haec autem offensio posthabenda est, ei offensionem fidei, quae obicitur ex eo, quod iustificatio uitae ex parte aliqua attribuitur etiam nostris operibus.

f Bona sinistra intellectum habent sibi ipsi sinxerunt, non acciperunt a nobis. Quam uero offendiculum peperit id in ecclesia, quod tradit, homines non sola fide Christi, id est sola gratia & merito Christi iustitiam

nunc eos scire non posse, & ambiguo fluctuare, utrum ad probationem sustineant quae sustinent, an ad simplicium. In futuro igitur scient, & in uultu eorum sunt omnia: id est, antecedit eos, cum de uita hac decesserint, notitia istius rei, quia tunc est iudicium, nunc certamen. Et quicumque aduersa sustinent, utrum per amorem Dei sustineant, ut Iob: an per odium, ut plurimi peccatores, nunc habetur incertum.

Et apud Ioannem, Si cor nostrum non reprehenderit nos.

Prouerb. 28. Beatus homo, qui semper est pauidus.

Augustinus in Euang. Ioan. Inter spem & desperationem fluctuat animus, metuendum est ne te occidat spes, ut cum multum speras de misericordia, incidas in iudicium. Metuendum est rursus, ne te occidat desperatio, ut cum putas tibi non ignosci quae graua commisisti, non agas poenitentiam, & incurras in iudicium. Quod si haec non sufficiunt, ut D. Doctiss. Collocutor huic sententiae nostrae subscribat: & placet ut clariss. praesides, & generosi & magnifici auditores noua ratione colloquendi recreent, hanc controuersiam nunc citra scriptum expendere, ac mihi sic persuaso satisfacere, ego id faciam lubentissimè.

Sequitur de fide sola explicatio, quam antequam expendam, uellem doctissimos Collocutores in memoriam reducere, quam multi sint pii homines illa particula offensi, quam multi etiam alij ex sinistro eius intellectu, in grauissima uicia prolapsi, quod etiam plerique inter eos magni nominis profitentur: & rogare eos, ut ad tollenda ea omnia incommoda, suam huic rei operam accommodare uelint.

Et cum sensum huius uocis explicat his uerbis: Cum dicimus nos cum patribus sola fide iustificari, per uocem, solam, excludimus spem & charitatem, non a iustificato,

R 2 sed

e Vide An
 dabaram a iu
 stificato nos
 diximus, non
 a iustificatio-
 ne. A iustifi-
 catione enim
 ipsa, id est no-
 stri cum Deo
 reconciliatio
 ne excludi-
 mus quod at-
 tinet cum ad
 efficientiam
 huius, tum ad
 meritum, &
 fidem ipsam
 & charitatē
 & uirtutes
 omnes. Hanc
 enim nostri
 cum Deo re-
 conciliatiōē
 sola iusticia
 Christi me-
 retur, & sola
 gratia patris
 omnimodo
 gratuita effi-
 cit, seruat, &
 perficit: fide
 uero sola per
 cipit, id est, so-
 la illa accepta-
 tione, qua
 oblatam per
 Euangelium
 gratiam hanc
 patris, et Chri-
 sti iustitiam
 credendo ac-
 ceptamus, ex-
 clusa omni ui
 & merito tam
 fidei q̄ chari-
 tatis, & uirtu-
 tum aliarum
 omnium.
 d Videntur
 & hæc non
 omnia recte
 excepta esse,
 repositum
 quod habui-
 mus, idq̄ sin-
 cepter.

sed à uī merendi, hoc ego prorsus nō assequor. * Cum
 sola fides dicitur iustificare, non excludit alias uirtutes
 à iustificatione, quod aliæ non mereantur remissionē
 peccatorū, fides autem sola mereatur. At fides nō me-
 retur, non solum nostro, ^d sed etiam ipsius Buceri testi-
 monio, & tamen sola exclusis alijs à merito, in eodem
 illo sensu merendi iustificat. Aut si non iustificat illa
 ui, quare sola dicitur in illa merendi ratione, alias ex-
 cludere, se non excludere? Et ut me colligam. Si fides
 non excludit spem, charitatem à ^f iustificatione, nō in-
 tellecta ui merendi, non ^e sola hoc modo iustificat. Si
 intelligatur uis merēdi, quæ alias excludit, quomodo
 ipsa illa ^h ratione iustificat?

Quod autem S. patres ea uoce uos esse contendit, sa-
 tis scio hac S. patres uos esse, ut per fidē intelligerent
 fidem, quæ dilectionem operatur: & ut per, sola, ex-
 cluderent ⁱ opera legis, uel opera iustificationem om-
 nino ^k præcedentia.

Quod uerò subiungit D. Collocutor, non posse
 se uocem illam nobis ^l concedere, nos quidem neque
 petimus eam, neque, ut ipsi ea utantur, eam accipe-
 remus.

Exemplum uerò de uoce *ἁποστόλων*, de Catholicis &
 Arrianis adductū, quā recte huic disceptationi con-
 ueniat, ^m ipse poterit iudicare.

Tertium caput excussione non indiget.

Quartum de imputatione iusticiæ propriū locum
 habet; ubi de iusticia nostra differetur.

Actio

e Et se hac ratione excludit, non autem in apprehendendo merito Christi
 f Excludit: A iustificato uero homine nō excludit, imo illi includit hæc Dei do-
 na, & regenerationis effecta. g Sola iustificat, quia sola apprehendit iusti-
 ficationem, nullo uel suo, uel aliarum uirtutum merito adiuta. h Ratio
 ne meriti non iustificat. i Opera legis sunt quæ lex præcipit, quare
 & credere & diligere opera legis sunt, k Ergo ne quæ opera iustificatio-
 nem sequuntur, & ex ea gignuntur, efficiunt & gignunt iustificationem, effectus
 suam causant? l Laurū in uerbo concedere. m Iudicent omnes piū

137
ACTIO XV. FEBRVARII HABITA
per Billickium.

NE quid elabatur nobis temporis absq; fructu,
& ne uidear actum iam agere, non repetā quæ
superiori colloquio excellentiss. sacræ Theologiæ pro
fessor, atque Cæsareæ Maiestatis sacellanus, doctor
Petrus à Maluenda, ut Catholicè, ita disertè, nostro
omniū nomine dixit in capita quædam scripti illius,
quod pro explicatione quarta, articulorum Confessio
nis Augustanæ doctissimus uir D. Martinus Bucerus
ex diuersa parte exhibuit. Nec ea modò tractabo, quæ
D. Maluenda consultò præterijt, reiecitq; in alium lo
cum, & tempus aliud, expendenda. Quale est dogma
illud de singulari fide iustificationem apprehenden
te, atq; ita iustificante. Item de impletione legis. Et de
imputatione iusticiæ Christi. Et alijs quibusdam non
temerè prætermittendis ad ueræ doctrinæ cōsensum
constituendum.

Necq; enim leuis uidetur nobis error esse, quo pu
tant aduersæ partis D. Collocutores, Deum impūta
re homini, quod homo non habeat. Peccatum uerò
quod habeat non imputari. Cum scriptura diuina te
stetur nobis, iudiciū Dei esse secundum ueritatem
ad Rom. 2. Et in Psal. Iustus es Domine, & omnes uie
ueritas. Sed hoc non ago, nec agendum in præsens
suscepi, donec erit res illa plenis, uelis agenda. Pergā
autē expendere collationem, qua idē Martinus Buce
rus totam doctrinā nostram de iustificatione cum do
gmate suæ partis contulit, ac quædam conciliauit, alia
examinauit, cætera reiecit.

Distribuit em̄ omnia nostra in tres ordines, prio
re complexus est ea, quæ utrinq; confitemur, & in qui
bus nulla est controuersia. Proximo ambigua, & in
certa,

R 3

a Et tamen
tam multa re
periisti.
De fide locus
Singularis fi
des iustifica
tionē appre
hendens.
Reiecit in a
liud tempus.
Impletio le
gis.
Imputatio iu
sticiæ.

Cui Deus fi
lii sui iusticiā
imputat, is tū
hac impūta
tionē habet,
& Christum,
et iustitiam
eius, fide.

b Hoc Da
uid & Paul.
clare testan
tur, Psal. 32. et
Rom. 4.
Excellit autē
misericordia,
iudiciū.
c Hæc uel
quis uetus in
stabit?

certa, ut ipse ait, sententiæ dicta congeffit, librauit, discussit. Et quod uideret ad cōcordiam non^a abhorrere, uiam^b aperuit, qua possent ambigua illa conciliari.

Explicuit enim ipsa duplici sensu, Vno, quo illa nobiscū reciperent; altero, quē non agnoscant. Loco postremo numerauit, quæ palam cum eorū dogmate pugnarent, ne uiderentur facile posse cōponi. Sunt autem quę pro conciliatis habet, numero septē capita:

- 1 Deum esse autorem iustificationis.
- 2 Christum mediatorem esse ac propitiatorem.
- 3 In iustificatione peccatum remitti per Christum mediatorē ex mera Dei gratia, nullis nostris meritis.
- 4 Liberum arbitrium non posse iustificationem recipere, nisi motum & adiutum à gratia Dei.
- 5 Ad iustificationem necessariam esse illam fidem, qua credimus historiæ Euangelicæ, & quod Deus mihi sit nobis filium suū propitiatorem, & quod nobis propter sanguinem huius peccata remittantur.
- 6 Actus nostros, qui cōcurrunt ad iustificationem, ipsam iustificationem non mereri.
- 7 Peccata omnia quæ remittuntur, uel ullo unquam tempore remissa sunt, remitti per sanguinem mediatoris.

Quæ nos iterum expensa libenter agnosimus totius ecclesiæ Catholicę dogmata: tamen capita quedā non eisdem uerbis, quibus nos usi sumus, exponant.

Cæterū dolemus, quod in unico illo tam graui, atque ad cōmunem omnium nostrum salutē pertinente articulo, reliquerint D. Collocutores adhuc^b tam magnas, & difficiles cōtrouersias. Speramus tamen Deū in Christiano hoc & amico colloquio, in nomine Domini Iesu suscepto, daturū nobis spiritū suū, ut quomodo in his patuit cōsensus, ita & in cæteris sine con-

^a A uera in
in Christo
Domino con-
cordia respici
non abhor-
reo.
^b Aculeus.

^b Non certe
credentibus
euangelio.

rentione, & pertinacia conueniat: quod ut sua misericordia concedat, totis ipsium animis precamur. Maior est enim in plerisque uerborum, quam rerum pugna, uti in sequentibus fiet manifestum.

Porro quinque sunt articuli, quos secundo loco dicit ambiguos, & sententiæ incertæ, quamuis eos clarissimis & euidentissimis uerbis posuerimus: ac ita, ut simplicem, nec contrariis opinionibus occupatum animum adferentibus, nullum scrupulum gignere merito debeant: sic dabimus etiam operam, ut à nobis quam fidelissimè explicentur.

REPREHENSIO, QVOD, QVAE A COLLOCUTORIBUS diuersæ partis disertè, & simpliciter dicta sunt, fecerimus nos ambigua.

Primus ambiguoꝝ articuloꝝ nostrorum est: Initium iustitiæ fidem esse. Nihil minus expectabamus, quam hoc dictum in dubitatione à quoquam rapiendum, tam clara habet, & minimè obscura in scripturis, & S. patribus testimonia. Ait enim Apostolus Rom. 5. Nos habere per fidem accessum in gratiam hanc, qua stamus. Hebr. 11. Sine fide impossibile est placere Deo. Statimque subiicit ostendens fidem esse principium bonorum. Oportet enim, inquit, accedentem credere, quod Deus est. Heb. 3. Participes Christi facti sumus, si initium substantiæ usque ad finem firmum retinuerimus. Vbi Apostolus non obscure dixit, fidem initium esse iustitiæ. Vt Chrysostomus, Theophylactus, & quotquot ferè in hanc epistolam scripserunt, testantur. Et nisi quis uelit proteruire, idem patet ex definitione fidei, quæ apud eundem Apost. est.

Definit enim Apostolus fidem esse substantiam rerum sperandarum, basim ac fundamentum. Sic patres semper de fide locuti sunt, Augustinus ad Simplicia,

a Non igitur sunt hæc magna & difficiles controuersie pnis.

b Nullum sane pi s, qui student scripturæ Dei ferè qui, & non minus Christo domino ipsi quam deis eius, quod suum est tribuunt.

c Cum sit duplex iustitia, in Christo domino perfecto, & in nobis inchoata, quod ipse fatetur, & utraque ad iustificationem pertinet, illa uel causa, hæc ut necessarius effectus. Cuiusmodi nos hac consistere iustificationem contendit, nos illa, utique erat dictum uestrum inter nos ambiguum, igitur & distinguendum & explicandum.

d Ad quid uero has scripturas, hos patres adducere uoluiti, cum ut maxime infra ipse te prodixit, intellexeris nos agnoscere fidem inchoatam in nobis iustitiæ esse initium.

Nugatio pro hanc enim quæ nemo negat.

a **Et** igitur
quædã in no-
bis inchoata
iusticia.

b Ergo si fi-
dẽ non habet
qui iusticiam
nõ habet, nõ
potest pecca-
tum cõtra cõ-
scientiam co-
herere cũ fi-
de: nec esse fi-
des uera, quę
mortua est,
quod utrũq;
uos affirma-
tis.

c Hoc iã a-
liud est. Dicitũ
uestũ erat, si-
dẽ esse initiũ
iusticię, nõ iu-
stificationis.

Nam etiamsi
per iustificati-
onẽ, nõ nostri
cũ Deo recon-
ciliationẽ, sed
iusticię in hæ-
rẽtis collatio-
nẽ intelligas,
tũ nec huius
iustificationis
initiũ erit fi-
des, sed Dei
misericordia
nos ulro uo-
lẽtis iustifica-
re, id est, nos
& sibi recõci-
liare & iusti-
cia ornare. Iu-
sticię autẽ in-
choatę initiũ
fides est.

d Quia du-
plex est iusti-
cia, quę ad no-
strã pertinet
iustificationẽ
ut ipse fateris
infra.

plicianum libro 1. quæst. 2. Sed in quibusdam, inquit,
tanta est fidei gratia, quanta non sufficit ad cõsequen-
dum regnũ cœlorum. Sicut incatechumenis, sicut in
Cornelio, antequã sacramentorũ participatione in-
corporaretur ecclesię. In quibusdam uerò tanta est, ut
sãm corpori Christi, & sancto templo Dei deputentur.
Et ipse Dominus: Nisi quis renatus fuerit ex aqua &
spiritu sancto, non intrabit in regnũ cœlorum. Fiunt
ergo inchoationes quædam fidei, cõceptioni similes:
non tamen solum concipi, sed etiam nasci opus est, ut
ad uitam perueniatur æternam.

Sic idem ille Augustin. in Psal. 110. Homo, inquit,
credens in eum, qui iustificat impiũ, à fide incipit.

Sic serm. 16. de uerbis Apostoli: Quid ergo, inquit, Ni-
hil enim habemus de iusticia, an habemus, ^a sed non
totum habemus. Hoc ergo quæramus. Si aliquid ha-
bemus, restat quod habemus, & implebitur quod nõ
habemus. Et post pauca: Si dixerimus, quia iusticię
nihil habemus, aduersus dona Dei mēt̄mur. Si enim
iusticię nihil habemus, ^b fidẽ non habemus, nec Chri-
stiani sumus. Ita fieri patres testantur fidem initiũ esse,
etiã si imperfecta sit, ^c accipiendę iustificationis. Vn-
de est ergo ista ^d ambiguitas?

Sed dicunt Domini Collocutores: Si dicamus de
iustitia inchoata, nihil esse ambigui, & fides erit initiũ
etiã inchoatę iusticię. Si loquamur autẽ de ^e iusticia
uitę, tunc non erit fides initiũ iusticię, sed donum
quoddam hanc iusticiã accipiens.

Quod ut probabile fiat, ita colorant. ^f Dicunt iusti-
ciam illam inchoatam constare fide, spe, & charitate,
& cæteris uirtutibus, quę his continentur, inter quas

pri-

e Nos Paulum Rom. 5. imitati iustificationem uitę, non iusticiã uitę diximus.
f Cum hæc meminisses nos fateri, quid opus erat tot autoritatibus probare fi-
dem esse initiũ iusticię?

prima sit fides: cum necq̄ amare Deum, nec bene de eo sperare possimus, nisi quatenus eum fide cognouerimus. At non esse hanc illam iusticiam, quæ^a reddat nos iustos, dicunt: sed esse adhuc aliam Dei in nobis iusticiam, qua confidendum sit, & fiducia salutis confirmanda, eamq̄ nos recipere fide, atq̄ ut nostram amplecti: fidem autem huius iusticiæ initium non esse.

Hac distinctione iusticiæ intra hos dies domini Collocutores partis diuersæ tribus locis usi sunt. Hic primùm, ubi contendunt fidem non esse initium^b iustificationis. Deinde in responsione ad ea loca scripturarum, quibus D. Maluenda adstruxit charitatem esse formam qua iustificatio constaret: ubi de charitate, sicut hic de fide dixerunt, charitatē esse formam iusticiæ inchoatæ, non autem iustificationis uitæ. Similiter & ad scripturas, quibus D. Maluenda probauit iustificationē per bona opera augeri & mereri uitā æternā: ubi inchoatam iusticiam cōcedunt augeri, sed nō cōsummari eam operibus charitatis, sed hoc propriū esse^c iusticiæ uitæ.

Vt nos responsionē eorum intelligimus, tandem etiam iustificationem uitæ definire uidentur thesi prima suorum axiomatum, quæ ita habet. Iustificatio uitæ, de qua Apostolus in omnibus quidem epistolis suis, fusius autem ad Rom. & ad Gal. docet, est hominis in gratiam Dei, & consortium uitæ æternæ receptio, peccatis propter Christū ex omnino gratuita misericordia Dei condonatis, nullis hominis ipsius uiribus, meritis, aut operibus aliquid huc conferentibus, aut ad hanc gratiam preparantibus.

Quæ omnia oportet hic repetere, & ad examē reuocare, quod^d noua sit ista distinctio, & ante hac, quod securus sum affirmare, nunquā apud Catholicos au-

^a Hæc nostra non sunt id tamen uerum agnoscimus, iustos coram Deo, hoc est, peccati omnino puros, et uita eterna dignos nō esse, quos non talesefferit iustitia Christi:
^b Non iustificationis, sed iustitiæ.

^c Iustitiæ Christi discimus. Primum axioma.

^d Vide ut friuole oppugnet, quod diximus, duplicem esse iustitiam: nam & ipse hac distinctione utitur.

a Vide iustificationem iterum pro iustitia reponit b En ut ferocit Hinc nero uide quā isti homines con cordiam in d. Grina Christi querāt Hāc enim distinctio nē, quā adeo excogitant, ip sinef quoq; ponunt.

c Hoc quis ita simpliciter dixit? etia inchoata iustitia iusti sumus, scilicet ichoare non perfecte: non ut adire possimus hereditatem uitae aeternae, nisi succurrat perfecta iustitia Christi.

d Vide quale argumētum. Donū Dei est eximium iusticia inchoata, ergo nos dignos facit uita aeterna.

e Cui queso erant ista probanda?

dita: nec consentanea scripturis, neq; a patribus, qui tam diligēter omnia excusserunt, prodita. Quis enim unquam dixit, iustificationē inchoatā, fide, spe, & charitate constantē, non esse etiā iustificationem uitae. Videtur autē, quod pace D. Collocutorū dictū uelim, reperta nō ad doctrinā, sed^b ad elusionē, & ad euitandam argumentorū uim perquā callidē. Idcirco uenit hoc nobis loco discutienda & expēdenda, quo expensam, tot postea locis repetere nō sit opus. Cæterū priusquā hoc faciamus, recipimus quod in explicacione huius ambigui dicitur, de iustitia inchoata: illam consistare fide, spe, & charitate, cæterisq; uirtutibus, quæ his continent: & esse donum Dei, & nouā in Christo creaturam. Et hæcenus dictū hoc putamus ad numerandum conciliatis illis articulis.

Quod autē subditur, hanc non esse eam, qua iustumus, planē non agnoscimus. Cum sit^d eximium illud donum, quo spiritus sanctus purificat nos, & sanctificat Deo. Neq; enim fidem, spem, & charitatem aliunde, quā ex Deo habemus. De fide scriptum est: Donum est Dei, ne quis gloriatur. De spe: Spe salui facti sumus. De charitate: Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, &c. Reliquæ etiam uirtutes, quotquot hæc Dei dona consequuntur, numerantur inter fructus spiritus, ad Galatas 5. Sed ad rē. Beatus Augustinus de iustificatione fidei acutissimē disputauit, multis modis distinguit iusticiam, qua Deus nos iustificat, & ne apicem quidem prætermisit in scripturis, quem non excusserit. Est inuenire apud eum iusticiam inchoatam eorum, qui primum iustificationis, Deum acceperunt. Est & perficientium & currentium inuenire iusticiam, eorum, qui post iustificationem perseverant in bonis operibus. Est & quædam perfecta

fecta secundum huius uitæ modum, sed nulla tam perfecta, quæ non² possit augeri in iam peregrinantibus, & ad patriam properantibus, ubi perfectissimam illam iusticiam dicit nos consecuturos. Et quoniam tot formas & gradus^b iustificationis describat, nulli eorum iustificationem uitæ detrahât: uerùm secundum hos gradus dicit uerè iustificari, quod est illi iustū fieri, atque ad eò iustificationē uitæ habere.

Sed ipsum audiamus Augustinū, qui contra duas epistolas Pelag. ad Bonifacium, lib. 3. capite 7. sic ait: Iusticia uerò secundum quam iustus ex fide uiuít, quoniam per spírítum graciæ homini ex Deo est, uera iusticia est. Item in Psal. 93. Non est alia iusticia hominum in hac uita, nisi ex fide^c uiuere, quæ per dilectionem operatur. Sic in lib. de spírítu & litera, cap. 29. Fide Iesu Christi impetramus salutem, & quantū in nobis inchoatur in re, & quantum perficienda expectatur in spe. Idem in libro de perfectione iusticiæ ratiocinatione 17. Quam diu ergo peregrinantes a Domino^d per fidem ambulamus, non per speciem. Vnde dicitur: iustus ex fide uiuet. Hæc est nostra in ipsa peregrinatione iusticia, ut ad illam perfectionem plenitudinēq; iusticiæ, ubi in specie decoris eius iam plena & perfecta charitas erit, nunc ipsius cursus rectitudine & perfectione^e tendamus. Et infra, In doctrina sana, qua ædificatur fides recta, spes firma, charitas pura: hæc est nunc nostra iusticia, qua currimus esurientes & sitientes, ad perfectionem plenitudinemq; iusticiæ, ut ea postea saturemur.

Itē contra Pelag. dicit: Gratia perfectè nouū facit, quemadmodū ad corporū immortalitatē, plenāq; scelericitatē perducit. Nunc etiā perfectè innouat hominē quantū attinet ad liberationē oim omnino peccatorū

a Et necesse
etiam habeas
augeri.

b Vt iusticiæ
& iustificatio-
nis nomina
confundit.

c Id est, fidu-
cia iusticiæ
Christi. en iu-
sticiam, qua
iustificamur,
d Si ex fide,
& non ex spe-
cie, ergo id
nondum ha-
berit, quo
perfecte iusti-
simus.

e Ergo, in-
choata est hic
nostra iusti-
cia.

f Vbi ad-
huc iusticiæ
esuries & sit-
tis, ubi non est
perfecta iusti-
cia.

Contra Iulian-
num li. 6. ca. 5

g Verum ut
hic cõdonen-
tur, & in futu-
ro etiam abo-
leantur.

In hunc modum hic uir Dei plus centum locis scribit de hac re. Et quorsum attinet enumerare omnia, cum & scriptura testetur iusticiam inchoatā esse iustificationē uitæ. Rom. 1. Gal. 3. Iustus ex fide uiuit. **Volo autem scire, quomodo nunc^a uiuat ex fide, si iusticia fidei non est iustificatio uitæ. Gal. 2. Quod nunc uiuo, in fide uiuo filij Dei, qui dilexit me, & tradidit se pro me. Non abhincio gratiā Dei. Vbi apostolus suam uitā, qua ipse uiuit in Christo, & Christus in eo, fidei deputat & gratiæ, quam ait se non proijcere. Quem admodum & alter ille Apostolus, uitā quæ est in Christo, charitati deputat. i. Ioan. 4. Deus charitas est, qui in charitate manet, in Deo manet. Itē, In hoc scimus quod trāslati sumus de morte, quia diligimus fratres.**

a Vide andabaras. Viuitur fide, quia illa excipit uitam Dei, non quia ipsa eam affert.

b Sed imperfecta. Christus est nobis uita perfecta.

c Nescit quæ sit fidei iusticia.

d Et sic, sed multo magis, imo penitus, quia facit fide nos amplecti Christum uitam nostrā.

e Reprehensio nostræ distinctionis, quæ duplicem facimus iusticiā.

f Et tu ipse tamen ea ponis infra in responsione tua ad axioma nostrum octauum.

g Vide, non uis facit predicare Christi iusticiā perfectam, & non stram imperfectam.

Dilectio ergo uita est. Non loquitur autem ibi Apostolus de uita alia, quam qua iustificati uiuunt Deo. Et hoc differt iusticia legis à iusticia fidei, quod lex nō potuit nos iustificare corā Deo, ubi fidei^c iusticia per Apostolū iustificat: Gal. 3. Si enim data esset lex, quæ posset uiuificare, uerè ex lege esset iusticia. 2. Corin. 3. Litera occidit, spiritus autem uiuificat. At quomodo uiuificat spiritus, nisi sicut Apostolus ad Roma. ait, Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris.

Hæc tam manifesta sunt in scripturis & patribus, ut obscurari non possint. Propterea nos pro affectu, quem ad concordiam gerimus, uos precamur^c ne uellitis talibus inuentis oblatam concordie spem amputare. Si enim cōponitis tales distinctiones, nunquam in ecclesia auditas, nec scripturis itē nec patribus consentaneas, non uidemini certè uos uelle acquiescere ueritati nobis per patres traditæ, sed rem^g nouis ac nouis inuentis agere. Cernite autem hic & aliam incommoditatem, Si datis iusticiam inchoatā, qua nō sumus iusti,

iusti: detisq; deinde iusticiam aliam, quam fides accipiat, & qua iustificemur: danda erit adhuc tertia illa

Christi iusticia, qua iustum est, quicquid iustum est.

Imperfecta dona esse, fidem, spem, & charitatē nō negamus: sed quanquam ex parte sunt, uiuūt tamen, sicut tota nobis scriptura testatur, quę idcirco iubet, ut quotidie crescamus, donec euadamus in uirum perfectum ætatis plenæ adultæ, Ephes. 4. Habet enim homo Dei similitudinē cum homine naturali, qui licet sit infans, uiuit tamen, & crescit. Sic faciunt & illi de quibus scriptum, Tanquā paruulis in Christo lac dedi uobis. Quomodo autem & paruuli illi erant, & in Christo erant, si in fide, spe, & charitate paruuli, hoc est, in illa inchoata iusticia nō^b uiuebat? Frustra adducitur argumentū, non esse eis innitendum, quod sint ex parte, atq; adeò hinc non iustificare. Quis enim iubet aliq, quam Deo inniti? Quantumcunq; enim quis habeat iusticiam, siue inchoatam, siue quā uultis aliā, an illi uos fiditis, & non potius Deo? Affertis illud Apostoli, Rom. 5. Sicut per transgressionē unius hominis peccatores multi constituuntur: sic & per obedientiam unius, multi iusti constituētur. Non opinor uos, quos ego uiros eruditissimos libenter confiteor, uelle dicere, ita transfundi obedientiam Christi, sicut inobedientiam Adæ contraximus: & iusticiā Christi sic nobis^d inhærere, quomodo peccatum nascentibus inhæret. Quia hoc non dicitis, loca illa sunt interpretanda commodè, quæ nos cum patribus ita intelligimus, quod Christus sua obedientia, suaq; iusticia meruit nobis liberationem ab hoc inobedienciæ peccato: quam^e percipimus, quando fide, spe, & charitate per ipsum iustificati, ei coniungimur, ut simus unum cum ipso corpus.

a Hæc est illa altera, qua sola scilicet iustificamur.

b uiuebant, sed ui & merito non huius in ipsis inchoatę, sed in Christo perfectę iustitię. c Probe hoc, solo Deo nitendum, ergo hic sua gratia solus iustificat.

d Imputatur nobis iusticia Christi, & inherenti in nobis gignit. e Hoc ipsum percipere, est Paulo nos iustificari.

Quod uerò citatis locū Philipp. 3. Vbi optat Apostolus inueniri se in Christo non habentē suam iusticiam. Locus ita habet: Vt Christū lucrifaciam, & inueniar in illo, non habens meam iusticiam, quæ ex lege est, sed illam, quæ ex fide est Iesu Christi, quæ ex Deo est iusticia, &c. Quid hoc ad confirmationem nouæ distinctionis. Illic de iusticia fidei loquitur, quam uos inchoatam uocatis. Quod si sublata distinctione fateri uolueritis nobiscum, iusticiā quæ fide, spe, & charitate constat, esse etiam iusticiam uitæ, non uideamus quid remoretur nos in conciliatione Articuli, quem ambiguum dicitis. facile etiam conueniemus in assertionem illa, qua doctor Maluenda asseruit, charitatem esse formam huius iustificationis. Et in eo quoque ubi dicitur, Iusticiam hanc augeri. Qua de causa hac in re petimus clariorem dicti uestri explanationem.

Alterum ambiguum est, fidem qua iustificamur, habere coniunctam poenitentiam, spem, & charitatē. poterat articulus iste conciliatis adnumerari. Sed dicitis sensum dicti simplicissimi duplicem. Et si acutè expendatur, triplicem. Dicitis si loquamur de coniunctione rei, ita uos fateri, quod in iustificatione simul iungantur, fides, spes, charitas, libenter id ex uobis audiuius. Et cupimus pro conciliato articulo in hac sententia haberi. Pergitis autem: Si coniunctio meriti, aut perfectionis intelligatur, reijcitis. Hic duo sensus connectuntur: alia enim perfectionis, alia meriti ratio. Miramur autem uos statuere, fidem, spem, & charitatem in ratione meriti non

coniungi.

Actio

¶ Atqui ex lege est & fides & charitas, lege enim precipiuntur. sunt quidem etiam iusticia ex Deo, sed non perfecta qua saluamur. Non: sed Christi perfectam. Est iusticia uitæ, sed imperfecta.

¶ Non in iustificatione, sed re ipsa coniungi hæc dicimus. In ratione meriti propriæ hæc uirtutes coniunguntur, non autem eius quo iustificamur. id enim apprehendit fides, & non merito, uel suo, uel charitatis sed dono Dei.

Hesterno die cum totus huc incumberem, ut manifesta ratione demonstrarem ex scripturis diuinis, certissimisq; sanctorū patrum orthodoxorum testimonijs, iusticiam inchoatā, quæ fide, spe, & charitate constaret, uerè hominem uiuificare, ac iustificare iustificatione illa, quam Apostolus uitæ iustificationē appellat: contrariā uerò sententiam oppugnare, interpellatum est colloquium meum à doctissimis uiris, Collocutoribus partis diuersæ, qui negabant suam esse sententiam, quam susceperam impugnandam. Quod cum audire, ne frustra tot uerba profunderē, in medio orationis cursu, ab rei huius tractatione restiti. Alioqui erant mihi nō pauca in eam causam parata ad dicendum, non ex mei ipsius solius arbitrio, sed etiā doctissimis Collegis meis faciendū censentibus. Ideo quod nō uideretur ferenda sententiā, fidem, spem, & charitatē, præciosissima ac inestimabilia Dei dona, quæ Christus ipse nobis suo merito parauit, nō reddere hominē^b iustū: cum nulla sint Dei dona, præter gloriam beatitudinis, ijs uel maiora, uel Deo magis accepta: utpote per quæ spiritus sanctus nos inhabitet, ipsiq; Deo mirabili conglutinet unione sicut euangelia, epistolæ apostolicæ, ac patres omnes nobis attestant. Atqui Collocutores diuersæ partis disertis atq; expressis uerbis dixerāt, cōstare quidē fide, spe, & charitate, iusticiā illā inchoatā, sed hanc non esse eam, qua essemus^c iusti. Separauerantq; hanc^a iusticiam, à iustificatione uitæ, non hoc tantū loco, quem susceperam expendendū, sed & multis alijs sequentibus. Si autē non hæc eorū est sententiā, certè erant^e uerba. Et nos etiā sententiā eorū, quæ nō aliundē, q̄ uerbis poterat cōstare, esse rati, nobis totis uirib, oppugnandā eam.

a Quod scilicet iusticia cōstans fide, spe, & charitate, non sit iusticia, & uerus iusticia. id enim nos nunq̄ dicimus, sed diximus non esse eam iusticiam qua nobis uitæ æterna contingat, aut consistet.

b Reddit iustum, sed non perfecte, ut dignus esset homo uitæ æternæ propter hanc iusticiam.

c Perfekte scilicet licet esse, sine peccato, et digni uitæ æternæ.

d Non separauimus, sed non nisi ex iustificatione dicimus.

e Vbi, aut quando prolata? Vide quæ dicimus supra pag. 75. & 76.

f Scilicet totis uiribus oppugnanda uobis erat tam manifesta ueritas.

eam cenfebamus. Non possumus enim non tueri Orthodoxæ fidei nostræ, quæ tot scripturarū, & sanctorū patrum testimonijs nititur, ueritatem. Cæterum audito, quod nollent hanc impugnare, digressus sum ad ambiguum alterum.

2. Art.

a Separauimus fidem cum spe & charitate a merito Christi.

b Quia fides apprehendit meritum Christi, quod meritum non adiuuat merito spei & charitatis, sed nec fidei ipsius.

c Verum, sed ab hac & fide excludimus, & fide nos iustificari dicimus, quia meritum non asfert suum, sed apprehendit Christi.

Art. 2.

d Hoc est, meritum nostrum non coniungi merito Christi in obtinenda iustificatione, quasi hec merito Christi non tota constet.

Fides sola.

l. sola gratia.

Tribuitur illi

dei, ut apprehendat illud,

nō ut mereri.

e Sed meritum

duplex, Christi,

& nostrum.

f Praue intellecta,

lecta,

^a Separauerant enim domini Collocutores fidem in ratione ^b meriti, à spe & charitate. Idem fecerant in suo scripto, faciunt & in propositionibus, uti paulo post audietur, & attigerat hanc rem ante me, docuimus uir, collega noster D. Maluenda, licet paucis, neruo se tamen, cum in scriptū illud diceret. Iam autē uix coeperam de re eadē loqui, cū rursus domini Collocutores interpellarent me, negarentq; se fidei meritū ul- lum tribuere. Atqui hæc erant eorum diserta uerba in exhibito illo scripto, cum dicunt, sola fide nos iustificari, se non excludere spem, & charitatem à iustificato, sed à ui ^c merendi iustificationem. Sed & loco, quem tractabant, negabant in meriti ratione cum fide ^d coniungi. Vbi cum audiremus meritū, quid poteramus aliud, quam meritum ^e intelligere? Atq; hinc ad eò arbitratī sumus, ipsos iustificationis meritum tribuere fidei. Verū cum intelligimus eos nec hoc uelle, quod uerba præ se ferre ^f uidebantur, nolimus de uerbis, quibus aut formam aliam, aut commodam explicationem dabunt, præter amici colloquij rationem contendere. Digredimurq; ad ambigua reliqua tractanda.

Tertium ambiguum, In iustificatione adulti, concurrere actus liberi arbitrij, moti à gratia, &c. Atque hoc nihil uidetur nobis habere offensionis. De sensu, quem primo loco explicat, constat. Quod uerò ad alterum attinet, sic dicimus: Quod liberum arbitrium ex se, & absq; omni Dei gratia nihil conferat homini iustificando ad iustificationem. Præparatio enim qua se di-

se disponere potest ad iustificationē accipiendam, nō est absq̄^a omni Dei gratia, quæ operatur in nobis, & uelle & perficere. Iustificatus autem cum agitur spiritu Dei, secundū illud Apostoli: Qui spiritu Dei aguntur, s̄ sunt filij Dei. Rom. 8. Actus spiritu non minus, sed^b liberius operatur, quàm si spiritu careat: nimirum iam liberatus à peccato, & gratia Dei adiutus. Ac ita concurrat liberum arbitriū sua operatione, simul cum gratia preueniente, atq; concomitante, deniq; & cooperante ad iustificationis incrementū. Si uolumus autem in hoc opere cōsiderare, quid alterutri debeat adscribi ad iustificationē, quæ re ipsa una est, ratione tamen, seu consideratione secernitur in partes, dicimus opus ipsum esse hominis: operis uerò bonitatem ac sanctitatem, esse ipsius gratiæ, & spiritus cooperantis. Deū siquidem non iustificare absq; liberi arbitrij concursu, innumera sunt patrum testimonia. Vnum tantum ex Augustini, de uerbis Apostoli, serm. 15. proferram, ubi sic ait: Hanc ergo fratres mei^a iustificationē, & habemus, in quantū habemus: & augemus, in quantū minorē: & perficimus eā, donec illò uenerimus.^c ubi dicit: Vbi est mors aculeus tuus? Sed totū ex Deo, non tamen quasi dormientes, non quasi ut non conemur, nō quasi ut nō uelimus. Sine uoluntate tua, non erit in te iustitia Dei. uoluntas quidem nō est nisi tua, iustitia nō est nisi Dei. Esse potest iustitia Dei sine uoluntate tua, sed in te esse nō potest nisi per uoluntatē tuā. & infra: Qui ergo fecit te sine te, nō te iustificat sine te. Ergo fecit nescientē, iustificat uolentē. Ita Augustin.

Hæc si^f sentiunt nobiscum, non est, quod impediat hunc articulum conciliari.

T Quod

& cum D. Augustino, atq; tota Ecclesia Dei, quod uoluntate quidem nostrā, spiritu Dei excitata iusticiam Christi excipimus, sed non merito iusticiæ nostræ.

Art. I.
Concursus
liberi arbitrii
se preparantis.

a Ante iustificantem gratiam, homo est inimicus Deo: ad tram igitur Dei se preparat.

b Hoc ut pelagianum oppugnat Augustin. q̄ sine spiritu filiorū Dei possit homo aliquid boni facere, quod accedente hoc spiritu faciat facilius.

c Iustificationem semper intelligunt, p̄ iusticiæ collatione, non a peccatis absolutione, & in gratiam Dei receptione.

Opus boni cuius?

d Id est, iusticiæ collationem.

e Cum igitur conuenit morti sumus obnoxii, & iusticia in nobis mutila est & premunt ipsam, ut salus nostra se per necesse habeat, ut una christi iusticia nitatur.

f Hæc sentimus: sed sentimus preterea.

Quod autem additur in explicatione, opera quæ ante iustificationē fiunt, esse omnia peccata, nec nos præparare posse, nisi ad condemnationē, nobis certē nimis uidetur^a absurdum: & paulo post in explicatione responsionum ad argumenta, tractabitur.

a Absurdū enim est uobis quod dixit Dominus, arborē malam non posse nisi fructus malos afferre.

Art. 1.

Duplex gratia.

Dat etiam sui spiritus occulte fidelibus gratiam.

b Ob id nō sequitur nō gratiā Dei etiā dici ab Apostolo, beneuolentiā Christi. Augeri iusticiam per bona opera.

Quartum ambiguū, quod dictum est, Infundi gratiam, nobis nihil uidetur habere ambigui, cum uerbis istis sancti patres frequentius sint uſi. Vnum tantum locum proferam. Augustinus de peccatorū merit, & remiss. cap. 9. lib. 1. Hæc gratia, inquit, baptizatos quoq; paruulos suo inserit corpori, qui certē imitari nondum aliquem ualent. Sicut ergo ille, in quo omnes uiuificabuntur, præterquā quod se ad iusticiam exemplum imitantibus præbuit, dat etiam sui spiritus occultissimam fidelibus gratiam, quam latenter^b infundit & paruulis.

Multa alia loca habēt, sed hunc sufficere putamus ad ostendendum gratiam infundi. Apostolus inquit charitatem infundi cordibus nostris. Quid igitur habeat hæc locutio incommodi, non uidemus.

Omnino uidebatur ambiguū, quod dicimus iusticiā augeri per bona opera. Nos dicimus per bona opera augeri iusticiā, aut opera mereri hoc incrementum, non propter ipsorum operum, si de Dei gratia detrahantur, dignitatem, sed propter gratiæ dignitatem, ex qua fiūt. Cooperatur enim iustificatis sua gratia spiritus sanctus. Abundē autem demonstrauimus in præcedentibus, iusticiam augeri per opera bona, & mereri. Proinde non est, ut in hoc loco diutius immoremur. Quod autem dicitis, religiose uobis caendum, ne quid detrahatur sanguini Domini nostri Iesu Christi, sentimus & nos, propterea quicquid habēt opera nostra boni, hoc Deo, et merito sanguinis Christi,

ssi, nō nobis ferimus acceptum. Quod si Collocutori-
bus partis diuersæ hæc sententiā probatur, non uide-
tur restare, quo minus conciliari possit.

Post omnia hæc, numeratis capitibus sex, in pro-
positionibus ac summa doctrinæ de iustificatione ani-
maduersa, dicitis ea contrariari non tam Confessione *id ex scri-*
uestra, quàm toti Euangelio Christi. Pugnent cum *pturis pro-*
uestra Confessione, ac dogmatis uestris: pugnare ta- *bari debet.*
men propterea cum toto Euangelio Christi pernega- *a Non sen-*
mus. Nihil enim nos peculiare tradimus, aut defendi- *su. Nam si*
mus: sed omnia nostra, aut ex ipsis Euāgelij fontibus, *homines nō*
aut à patribus, totaq; ecclesia accepta sunt. Erimusq; *sunt tantis*
parati, cum erit familiariter agendum, aut eò peruen- *iusti, quia*
tum, ut discutiantur, ad ea omnia piè, plenè, & ortho- *eis peccata*
doxè defendendum. Nunc recensemus ipsa modò ca- *nō imputā-*
pita, quæ in actis legi possunt, idq; studio breuitatis. *tur. imputa-*
tur aut iu-

Hoc tamen interim non est nobis prætereundum, *stitia Chri-*
quod caput inter pugnantia quinto loco positum, mul- *sti, sed ideo*
to aliter à nobis scriptum erat. Vos ita recitastis. Ho- *etiā, quia le-*
mines non esse ideo iustos, quia peccata eis non im- *gē implēt:*
putantur, & imputatur iustitia Christi, sed quia im- *iam nō soli*
plent legem Dei suis operibus. A nobis uerò ita erat *dè ideo iu-*
positum: Eiusmodi homines (de iustificatione loqui- *sti sūt, quia*
mur) uerè iusti sunt apud Deum, & legē eius implent, *eis peccata*
quia gratiam habent omnino peccata delentem, & *et imputa-*
suggerentem uires ad implendam legem, non quia *tur iusticia*
peccata, quæ post acceptam iusticiam adhuc maneāt, *Christi. nul-*
illis non imputentur, aut propterea tantum, quod iu- *lum enim*
sticia, quam non ipsi, sed Christus fecit, ipsis impute- *fert nostri*
tur per Christum. Hæc uiri diseratissimi de con- *meriti con-*
ciliatis, ambiguis, & pugnantibus *fortiū meri-*
tū Christi.

utrinque dicitur.

T 2 Expen-

EXPENSIO RESPONSIONVM, QVAS COL-
locutores Augustinæ Confessionis dederunt ad argu-
menta Collocutorum alterius partis.

Restat autem ut expendatur responsionis datæ ad
argumenta, seu loca scripturarû, quibus doctis-
simus D. Maluenda demonstrauit tria hæc: primum,
opera disponere ac præparare ad iustificationem. Al-
terum, charitatem esse formam iusticiæ. Tertiû, Ope-
ra iustificatorum consummare iustificationē: & quod
sint uitæ æternæ meritoria. Scripturas, quas pro de-
monstratione harum assertionum adduxit, longum
esset repetere. Ideo eis præteritis, ad responsiones ipsas
expendendas nos conferimus. Et quidem ad scriptu-
ras illas, quibus efficitur charitatem esse formam, seu
illud, quo primû & propriè iusticia constat, respon-
sum nobis est, ex illis concludi, quod iusticia quidem
inchoata in nobis, primû & propriè constet charita-
te, non autem probari, id de iustificatione uitæ. Atqui

^a Iusticiam
inchoatâ di-
ximus, nō iu-
stificationē.

^b Sed non
coram Deo.
Vt non sit no-
bis adhuc o-
randa remis-
sio debiti.

^c Sed nihil
pro uobis cō-
cludunt.

^d Quia latēs
fides profert
se per fructus
charitatis,
per quam o-
peratur: &
homo bonus
est quatenus
est homini-
bus operibus
charitatis fru-
tuosus.

hoc est quod uoluimus, ^a iustificationē, quam uocant
inchoatâ, constare fide, spe, & charitate. Ostendimus
autem iusticiam inchoatam esse uerè & propriè iusti-
ciam, qua simus iusti in hac ^b uita. Manent ergo, quæ
pro confirmatione sententiæ nostræ dicta sunt, omnia
immota. ^c Quibus pro clariore explicatione, corolla-
rii uicē, unum aut alterû locum ex beato Augustino
adijçimus. Is de spiritu & litera, cap. 17. ita ait, Plenitu-
do legis est charitas. Hæc non in tabulis conscripta la-
pideis, sed diffusa est in cordibus nostris per spiritum
sanctû qui datus est nobis. Et in Enchiridio capite 17.
Iam porrò charitas, quàm duabus istis, id est, fide, ac
spe maiorem dixit Apostolus, quanto in quocûq; ma-
ior est, tanto melior est, in quo est. Cùm enim quæri-
tur, utrum quisq; sit homo ^d bonus, nō quæritur, quid
credat,

credat, aut spereret, sed quid amet. Sic tract. 5. in Canoniam Ioannis. Attendat tamen in cor, si perfectū est ibi, quod factū est in corpore: uideat si habeat charitatem, & tunc dicat, natus sum ex Deo. Si autem nō habet, characterem quidem impositum habet, sed defertor uagatur: habeat charitatem, aliter non se dicat^b natum ex Deo. Et infra, Dilectio^b sola discernit inter filios Dei & filios diaboli. Signēt se omnes signo crucis Christi, respondeant omnes, amen: Cantent omnes alleluia: Baptizentur omnes: intrent omnes ecclesias, faciant parietes basilicarum: non discernuntur filij Dei à filijs diaboli, nisi^c charitate. Qui habent charitatem, nati sunt ex Deo, qui nō, nō sunt nati ex Deo. Magnum iudicium, magna discretio. Quicquid uis, habe, hoc solum non habeas, nihil tibi prodest: alia si non habeas, hoc habe, & implesti^d legem. Qui enim diligit alterum, legem impleuit, ait Apostolus. & Plenitudo legis charitas. Ita Augustinus.

Porrò quod subiungitis opera charitatis argumentum esse, quod in Christo maneamus. Verū quidē est illud, sed tamē plus aliquid, imò plurima alia nobis conferunt. Si enim nihil^e aliud præstant, quā ut signa sint spiritus sancti habitantis in nobis cum^f Deo, qui habet omnia intima nostra perspecta, nullis argumentis ad cognoscendū nos sit opus, quid profunt apud ipsum opera? Nec opus est ut probemus nos proximo per eam nos iustificatos, cum nihil nostra referat, eum hoc scire, neq; ullius ad eò intersit, nisi forsan, quod at tinet ad^g ædificationem.

EXPENSIO EORVM, QVAE RESPONSA

sunt ad scripturas adductas pro eo, quod dicunt, opera iustificationem præcedentia ad eam præparare.

AD scripturas, quibus efficitur, bona opera præparare

a Nascimur autē ex Deo perfidem.

b Verū apud homines.

c Vide quibus operibus & fidei incertis indicis, conferatur, certum fidei argumentum fides.

d Verum si perfecta sit charitas: ea autē hic nūq̄ perficitur penitus.

e Superuacanea.

f Diximus ea non hoc tantum, sed hæc, & alia multa.

g Signa sunt non Deo, sed nobis & proximo.

h An nō hæc magna causa est, cur referat proximum ferre, nos esse iustificatos?

parare ad iustificationem accipiendam, & condescere
 sapius ad hoc, ut Deus conuertat oculos misericor-
 dię ad nos, quarum plurimas doctor Maluenda cita-
 uit: responsum nobis est, nihil doceri in illis aliud,
 quàm agendam esse pœnitentiam impijs & peccato-
 ribus. At hoc est quod nos uolumus. Si enim im-
 pijs & peccatoribus pœnitentia agenda est, cur quæ-
 so, nisi ut præparentur ad iustificationem? Donec e-
 nim sunt impij, nulla pœnitentia^b iustificant, sed præ-
 parantur tantummodo per eam.

a Imo ut iu-
 stificent, nec
 potest em̄ ue-
 ra & salutaris
 pœnitentia agi
 nisi a creden-
 tibus, ut ex-
 plū Act. 2. pul-
 chre docet.
 De hoc in re-
 sponcione ple-
 nius.
 b Sed uerā
 pœnitentiam
 possūt agere.
 c Arbor ma-
 la nō facit fru-
 ctus bonos.
 d Mortui nō
 excitant, nisi
 unificatione
 ipsorū, ut iam
 mortui non
 sint.
 e Hoc qui
 percipiūt, iā
 impij nō sunt.
 f Sed anteq̄
 uēiat ad Chri-
 stū audito pa-
 tre & credēs
 ei, est impius.
 g Quam diu
 autē hęc non
 uera fide pe-
 tit & accipit,
 est impius &
 sunt opera e-
 ius mala, in-
 que merent.
 Filius prodig-
 us
 h A legoria
 niāū probat.

Quod subiungitis: Neminem uenire ad Christū,
 nisi trahatur à patre, hoc ipsum & nos libēter fatemur,
 cum sit uox Christi. Sed interim aliter trahi impios,
 aliter pios dicimus. Et cum impij seu peccatores ope-
 ribus bonis^c insistant, ac præparentur, trahuntur à
 Deo. Non quidem sine eius quadam gratia, quan-
 quam nondum iustificante. Quia uerò requirit non-
 nunquam Deus à nobis præparationem, ideo trahit,
 nunc excitando mortuam^d illam in homine Christia-
 no fidem, nunc per^e uerbū prædicationis, interdum
 per exemplū alienum, aliquando etiam per calamita-
 tem, & afflictiones, quæ Deus peccatore inscio procu-
 rat, quo peccator^f conuertatur, si non subito, saltem
 gradatim per informem præparationem, secundum
 dispositionem æterni consilij sui, donec peccator de-
 siderio uenię idoneus sit, ad^g ueniām accipiendam
 gratis. Neq̄ enim Deus eodem modo trahit omnes,
 quomodo Paulum attraxit.

Ista est doctrina Evangelica, quam docet Christus
 in filio prodigo, raro^h præparationis exemplo. Qui
 cum omnia sua turpiter distraxisset, considerata omni
 miseria, in quam fuerat prolapsus, optabat fieri merce-
 narius in domo patris, & humilia cogitabat, ut uicū
 conse-

consequeretur, qui est amor commodi proprii, non
 uerus patris amor. Et tamen in hoc amore dicebat:
 a Surgam & ibo ad patrē meum, & dicam patri: Ecce
 peccaui pater. b ecce confessionis uotū. Et cum adhuc
 longē abesset, uadit ad eum pater, & misericordia
 mouit est. Non est autem aliud longē abesse a pa-
 tre, quā in peccatis esse. Itaq; cœpit ille etiam in pec-
 catis tendere ad patrem. Et misericordiam d impetrat,
 cum adhuc longē abesset. Sic sancti e patres, non Pe-
 lagius, cuius sententiæ uidemini nos tacite perstrin-
 gere, quasi Pelagij defendamus errorem: quod absit
 a nobis.

Quod enim nos tradimus de operibus præparato-
 ris, tradunt ferē omnes f scripturæ diuinæ, tradit g Au-
 gustinus, cum aduersus Pelagianum dimicaret. Tra-
 didit & Chrysostomus ante Augustinum. Is enim li-
 bro 1. de compunctione cordis, sic ait: Si gratia Dei ni-
 hil h requirit a nobis, sed ipsa est quæ facit unum.
 quenq; perfectum: cur nō omnibus ex æquo infundi-
 tur, ut fiant omnes repente perfecti? Non enim est per-
 sonarum acceptor Deus. Sed quoniam non sola gra-
 tia Dei hoc facit, requiritur enim ut & nos, quod in
 proposito nostro, & uiribus nostris est, i expleamus.
 Idcirco uenit quidem ad unumquenque gratia Dei,
 sed apud eos, qui dignē explent ea quæ in k ipsis sunt,
 permanet: ab his uero, qui minus dignē agunt, l citō
 discedit: ad eos autem, qui nec m initium faciunt con-
 uertendi ad dominum, omnino non uenit. "Rectas
 enim mentes diligit, & sine fuce propositum.

Augusti

h Gratia iam percepta multa requirit, quæ dum accepta non est, ultro adueniat necesse est: quæ
 rē enim ab impio non potest. i Cum enim Deus in nobis operatur, nolle & operari, nel-
 le & operari nos oportet. k Iam renatis, & ex Deo: alioqui in impiis nihil nisi peccata
 sunt. l Fugit enim spiritus sanctus fidum. m Gratia enim cum adest & reci-
 pitur, homo etiam ipse sua uoluntate se ad Dominum recipit. Conuertit tamen nos Dominus ad
 se, ut conuertamur. n Quæ mens recta ante justificationem?

a Hoc nemo
 dicit de Deo
 ipius, nisi pa-
 ter prius ad-
 uocet & tra-
 hat.

b At si non
 etiā credat da-
 ri sibi remis-
 sionē peccato-
 rū a Deo gra-
 tis, ppf Chri-
 stū, impius ad-
 huc est, & me-
 rita eius ut i-
 ppi poenā me-
 rent: sin cre-
 dit, n̄ iustifica-
 tus est, & non
 sunt opera e-
 ius, opera im-
 pii uel ante iu-
 stificationē fa-
 cta.

c Hoc pec-
 cati manens
 & impius ne-
 mo cogitat.

d Hoc nō est
 impii. Verūq;
 est, qd D. Ioan-
 nes scripsit:
 Deū dilexisse
 nos priorem.
 Et qd prophe-
 ta, Conuerte
 me, & conuer-
 tar.

e Qui quæso
 patres?
 Augustin. ita
 de uobis iudi-
 cat.

f Dic, quæ
 scripturæ?

g Quæ auda-
 cia citādi: nā
 cōtrariū do-
 cere hunc cō-
 stat.

a Hanc sen-
 tentiam dam-
 nat uerius Au-
 gustinus pela-
 gianæ hære-
 seos. Ad Sixi-
 presbyterum
 & ad Simpli-
 cianum quest.
 2. etiã poten-
 ter refutat,
 quod ostendit
 in respon-
 sione. uerum
 enim est
 q^d Brasimus
 scripsit, in
 hunc librum
 infarta esse
 aliena.
 b Quot que
 so locis ue-
 rus Augusti-
 nus affirmat
 prorsus mul-
 tam esse.
 Art. 1.
 Billick.

c Verum, qui
 bus horro-
 ri est uerbum
 Dei.
 d Verum iis,
 quibus dicta
 Domini fir-
 ma non sunt:
 alioqui pius
 firmus satis est
 malus arbore
 non posse ho-
 nos fructus
 ferre.

e Lege Au-
 gustinum lib.
 de ciuitate. 7.
 cap. 5. Quan-
 ta mercede
 remuneratas
 predicat uir-
 tutes Roma-
 norum ciui-
 les.

Augustinus autem libro 83. questione 68. scribit:
 Prorsus cuius uult miseretur, & quem uult obdurat.
 Sed hæc uoluntas Dei iniusta esse non potest. Venit
 enim de occultissimis meritis, quia & ipsi peccatores,
 cum propter generale peccatum unam massam fece-
 rint, non tamen^b nulla est inter illos diuersitas. præ-
 cedit ergo aliquid in peccatoribus, quo quamuis nõ-
 dum sint iustificati, digni efficiantur iustificatione:
 & item præcedit in alijs peccatoribus, quo digni sint
 obtusione.

Quod autem subiicitis, quod omnia peccata sint
 quæ faciunt homines: item quod præparant ad iram
 Dei non ad gratiam, & auertunt à nobis oculos mi-
 sericordiæ diuinæ, non conuertunt, c horrendum est
 auditu. Nec poteritis unquam^d firmum huius tan-
 ti dicti testimonium è scripturis adducere, quo illud
 statuatur.

Cæterum cum habeat suum proprium locum
 ubi tractetur, in præsens illud præterimus: interim
 tamen non uidemus, quomodo cum hac uestra as-
 sertione consistat, hoc quod dicitis, Deum ciuilitate
 beneficia remunerare^e, cum fateamini esse pecca-
 ta: Non enim intelligimus, quomodo Deus remun-
 neret peccata beneficijs.

Cum descenditis autem ab hac responsione ge-
 nerali, ad expendenda loca quædam per nos citata
 sigillatim, quam digna scripturis respondeatis, relin-
 quimus uobis cogitandum. Cum dicunt Ezechiel,
 Jeremias, & propheta, Si poenitentiam egerit gens
 illa, &c. dicitis, Nihil nobis constat de Iudæis, quid
 ad prædicationem Ieremiæ & Ezechielis fecerint.
 Ideo nihil etiam posse concludi de ui operum iusti-
 ficationem præcedentiũ. Quasi uerò dicti prophetici
 ueri-

ueritas, quod utiq; erat uerbum Dei, ^apendeat ex obedientia eorum, quibus illud adnunciabatur: cum semper istud sit uerum, nimirum ex promissione Dei, quidlibet etiam agant homines. Si poenitentiam egerit, &c. ipse animam suam uiuificabit, agam & ego poenitentiam super malo, &c. Prætereo, quæ de Achab cum distinctione dicuntur, & reliqua omnia, quibus excutitur hic, non uerò expeditur, ^b uerus scripturæ sensus.

EXCVSSIO RESPONSIONIS AD SCRIPTURAS pro eo adductas, quod bona opera iustificationem consummant.

AD scripturas, quibus demonstratur opera hominis iustificati consummare iustificationem, & mereri uitam æternam, quæ certè ualidæ sunt & fortes, responsum est, ualere opera bona ad res quatuor. Primum, ad augendam iusticiam inchoatam. Deinde ad id, ut faciât nos certiores de uocatione & electione nostra. Tertio, quod placeant Deo, & ab eo remunerentur. Quarto, quod secundum ea sumus iudicandi. Atq; ad omnia hæc explicanda, quæ nos alioqui non ignorabamus, latè excurritur. Ad rem uerò nihil amplius, quàm non concludi ex scripturis illis, quod consummetur iustificatio operibus, & quod opera sint meritoria uitæ æternæ.

Cum testentur autem scripturæ illæ hoc, eis apertè nullus obijcitur scripturæ 'locus contrarius. Attamen fit mentio de dignitate operum, quod nō propter eam remuneremur. At id est quod nos dicimus. Si spectentur opera nostra detracta gratia, parū admodum, aut nihil esse, quod eis debeatur. At si spiritus collator gratiæ cooperantis spectetur, ^d magna sunt mercede compensanda.

^a Nō pendet Sed dictum propheticum non dicit impios poenitentiam gisse de impietate suam manentes in impietate. i. ante iustificationem. Ideo merito requiritur de impiis, de quibus dicta propheta rum adduximus, aliquid boni fecerint adhuc impius id est ante iustificationem.

^b De eo indicent pii. ^c Obiecta hæc loca sunt. Iustificamur gratis. Non iustificabitur omnis uiuens coram Deo. Et omni sancto hic semper orandū esse ueniā peccatorum. Hinc quis nō uideat, nulla bona opera sancto rum eo peruenire, ut queant iustificationem consummare. ^d Verum ex liberali misericordia Dei supplicente de perfecta iusticia Christi, quod nostræ dect.

V Quamuis

a Ergo gratia iustificati-
onē consum-
mat, non ope-
ra.

b. Hęc affir-
mare, dicit d.
Augustinus
esse magnę
cęcitatis & a-
mentię Pela-
gii, qui coa-
ctus est dāna-
re hæreseos,
dicere gratiā
secundū meri-
ta dari, etiam
quę adiuuāte
gratia siant.
Lege episto-
lā ad Sixtū.

c. Recte Deus
preparauit, et
ex sua miseri-
cordia non
prouisit bo-
nis hominum
operibus.

Quamuis enim indigni sint homines, gratia tamen digna est, ^a propter quam opera nostra habeant suā dignitatē. Nihilominus tamen etiā in promissiones Dei respicimus, quibus uoluit clemēs, misericors, & liberalis Dominus operibus ex gratia eius factis coronam deberi, quam ipse sicut iustus iudex redderet.

Quod autē mouent illud: Venite benedicti patris mei, quod uobis paratum est ab initio mundi, non facit contra hæc, quæ per nos dicta sunt. Enimvero, quum regnum parabatur, meritis ^b ex gratia factis parabatur. Et qui professores præuidebat, præuidebat etiam merita, quibus illi regnum consequerentur. Ergo ait: Esuriui enim, & dedistis mihi edere, &c. Vbi causalis dictio (enim) indicat pro meritis reddi. Quæ sententia cum illo Iacobi conuenit: Beatus uir qui suffert tentationem, quia cum probatus fuerit, accipiet coronam uitæ, quam promissit Deus diligentibus se. En promissam coronam, sed diligentibus. Sic & beatus Paulus 1. Cor. 2. Oculus non uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit ^c Deus his qui diligunt eum. Iam & ipsa dilectio Dei donum est, quod nõ sine ipsius prædestinatione dispensatur. Idcirco dicit alibi idem Apostolus, Opera bona præparata à Deo, ut in eis ambulemus. Sūma igitur responsionis nostræ cōsistit in eo. Dicimus illam Dei prædestinationem, gratiæ meritorum non esse contrariam: sed omnia potius pro inscrutabili diuinæ maiestatis cōsilio sic ordinata, ut iustus simul ac misericors Deus in omnibus comprobetur. Cui hoc non sufficiat, cum Apostolo dicimus: Incomprehensibilia sunt iudicia eius, & non uestigabiles uitæ eius.

Quod in progressu Domini Collocutores dicūt hęc: **recte in nobis peccatum ab Adam, loquuntur autē de re-
generatis,**

generatis, & baptizatis in Christū, pernegamus^a dicimusq; scripturæ sanctæ contrariū, saltem secundū propriam peccati rationē. Id quod suo loco, cum de gratia baptismi agetur, fauente Deo. cōuincemus. Citāt Augustinum dicentē: Perfectionē iustificati hominis consistere in eo. ut sciat se nondū esse perfectum: & perfectionem omnem nulla alia ratione sibi constare posse, quam fide Domini nostri Iesu Christi.

^a Paulus autē agnoscit habitare adhuc in se peccatum.

Prius illud agnoscimus in August. at posterius, non alia ratione perfectionē posse cōstare quam fide, intelligimus de fide formata charitate. Citant & Bernardum, merita habere curas, habita, data noueris, fructū speraueris Dei misericordia, & omne periculū euasisti paupertatis, ingratiudinis, præsumptionis. Quod tam facit pro nobis, ut quādo agendū de hac re erit, putemus eis potius qui merita negant, obijciendū. Nec aliud uult D. Bernardus in Canticis dicere, quā iustitias, quatenus meæ sunt, nō cātabo, sed quatenus tuæ Domine. Id quod omnes tenemus & dicimus, quotquot Christo Domino credimus. Hęc uobis in præfēs ad responsionē uestrā, q̄ breuissimē uidebant dicēda.

^b Si fructus sperandus est misericordia Dei, ergo nō merito operum.

^c De iusticia Dei, qua nos iustificat Deus, D. Bernardus loquitur, in Cāt. ser. 61. id in responsione ostendimus. nihil hic de sua agit iustitia: Domine, inquit, me morabor iusticie tue solius.

Postremò tractant & oppugnāt, sed paucis, tria capita, decerpta ex pugnantib. illis capitib. cum eorū dogmate. Sed maluimus nos, si ita uisum sit, & diuersæ partis D. Collocutorib. pugnātia illa capita ordine, alterum post alterū tractare, uitandæ obscuritatis & inuolutionis causa, in tanta articulorum multitudine: nec in transcurso, aut superficie tantum, sed fixo pede, quo pondus rei queat iusto libramine utriusq; perpendi. Ideo hæc in præfens præterimus, atq; etiā, quia doctissimus D. Maluenda primum istorum capitū secundum propriū, & uerum eius sensum, iam tractauit, cum responderet ad scriptum illud.

impletione legis habet suum proprium locum, secundum ordinem ab Imperatore præscriptum. Tertium fuit aliter positum. Ad hæc posuerunt axiomata quædam pro suo dogmate de iustificatione, constituendo, ad quæ uisum nobis fuit scripto respondere.

SCRIPTVM BILICKII QVO AXIO-
mata Collocutorum Confessionis Augustanæ
expedit, & notauit.

Reuere[n]dissime Præsul, & Princeps, Illustris & generose Comes, sacre Cæsaree Maiestatis Præsides amplissimi patriter & æquissimi, Domini colendissimi. Et si uehementer dolet nobis hanc Colloquij rationem sic extendi ac prolongari, ad cõplendum tamen propositæ materiæ cceptũ negociũ, breuẽ afferimus responsionem, ad nouẽ axiomata, quę doctissimus uir D. Bucerus alterius partis Collocutor, post protestationes, petitiones, expostulationes, declarationes, & responsiones suas, uelut summã suã de iustificatione doctrinæ subiunxit. Ne uerò tardiore ad pennam aut calamum pronuntiatione clarissimo huic confessui, & auditorio longiora ingeramus fastidia, uisum est nobis breue scriptum hoc in mediũ adferre, ut expedite lectum, & recitatum, tradatur notarijs oportune, absq; morosæ aut diuturnæ dictationis tædio transscribendum, & in acta (postquam ita fieri necessum est) referendum.

Quid hoc?
Ergo nostri
in condemna-
tionem Con-
fessionis suæ,
decreto Augu-
stano factam,
cõsenserunt?
Contra quam
tam graui-
ter protestati
sunt, & hodie
protestantur,
huiuscõprote-
stationis cau-
sa tanta pati-
tur? Ecce hæc
calumnia est,
quã hi collo-
cutores po-
stea agnitam
reiecerunt.

Meminerunt autẽ, qui uel interfuerunt primo Colloquio, uel acta illius legerunt, quã citò & facile ante annos, 15. Auguste in septenorum Colloquio illo, (cui interfuerũt duo egregij uiri Brentius & Snepsius, præfentes hic, alterius partis Collocutores) transactum & concordatum fuerit inter partes, de hoc iustificationis articulo, quando breui consensu omniũ Collocutorũ in id conueniebatur, ut de cætero non doceretur, so-
lam

Iam fidem iustificare, quemadmodum & in recessu Imperiali deinceps publicè decretum fuit. Vix unius horæ erat de hoc inter partes contentio, & plus effectum est tunc mox in primo confesso, quàm factum est modò, hac colloquij ratione per tot dies, quibus prolixè per scripta, & lentas² dictationes res agitur. Ad uitanda igitur lōgiora tēdia, postremo loco breuissimè, quātum fieri potest, ad nouem axiomata sic respondemus.

EXPENSIO ET REPREHENSIO PRIMI

axiomatis à Collocutoribus Augustanæ confessionis proposui.

De Iustificatione uitæ, quod sit hominis in gratiam & consortium uitæ æternæ receptio, &c.

Ad hoc breuiter (saluo semper Catholicæ Ecclesiæ iudicio) ita respondemus. Nos quidem neq; Christo Domino & saluatori nostro, neq; gratuita Dei misericordiæ (de quibus hic sit mentio) derogatū uelle quicquam, quibus iustificationis nostræ effectum religiosè, tanquam præcipuæ^b causæ acceptum referimus, unde & in prima propositione nostra mox apertis uerbis disertè fassi sumus, eiusmodi iustificationem fieri per Christum mediatorum, ex mera^c Dei gratia, nullis meritis nostris.

Sed quod addit hoc ad axioma: Nullis hominis ipsius uiribus, meritis, aut operibus aliquid huc conferentibus, aut ad hanc gratiam præparantibus: hoc multis scripturæ^d testimonijs contrarium esse uidetur, quemadmodum iam supra ex responsionibus nostris ostensum est. Hic breuiter paucissimis locis rem indicabimus. Etenim in prouerbijis ait Salomon: Homini est animam præparare: e^e Ita sanè præparauerunt

a Quam sunt graui uobis testimonia scriptorum. Primū axioma ad. Buce ro propositū sic habet.

b Equare non etiā totū c Sed quæ de tur ad præparationē operum ante iustificationem factorum. Vt iam nullo modo sit gratia, quia non est gratuita omni modo. August.

d Ad hæc responsum est supra & ostensum ex adductis per nos scripturis nihil tale concludi, quod postea magis confirmabitur. e Ad quid autem?

Sic enim habet hic locus. Homines sunt præparationes cordis, & a Domino responsum lingue: hoc est, homo cogitat quidem & proponit quid uelit dicere, Dominus tamen regit linguam, & format eius responsa.

se^r per opera pœnitentię ad placandum Deum, pessimi alioqui & impij reges,

a. Quo se preparauerunt Dominus de-
dit his & omnibus, quos unquam iustifi-
cavit, & dat hodie omnibus quos in gra-
tiam suam dignatur recipere, pœnitentiam
peccatorum suorum salutarem, in-
fusa & excitata fide uerbi sui, & immisso
meriti iudicii sui. Ante quam gratiã, uires
hominis repugnant Deo, & opera eius
sunt peccata, quę cõserunt & preparant
ad cõdemnationem non ad iustificatio-
nem. Manasse, Nabuchodonosor, Nini-
uite, & alij huiusmodi, cum agerent pœ-
nitentiã, iam crediderant & erant a Deo
in gratiam recepti. Humiliatio Achab ap-
paret extitisse ex temporaria quadã con-
sternatione, non uera ad Deum conuersi-
one, ut dictum est supra: sed de his in re-
sponzione nostra scribitur.

Achab rex Israel 3. Reg. 21. & Manasse rex Iehu-
da 2. Paral. 23. Nabucho-
donosor rex Babilonis,
Daniel. 4. Niniuite Ioan.
3. Cornelius Centurio A-
ctor. 10. Ita Dominus ipse
admonuit ad huiusmodi
opera pœnitentię in Euã-
gelio Matth. 11. & 12. Et
Paulus 2. Cor. 12. Et Ioan.

b. Eleemosy-
nam iussit da-
re ex fide, nõ
igitur erat il-
la opus ante
gratiam & fi-
dẽ, sed opus
ex gratia et fi-
de. Alioqui
hinc sequere-
tur posse ho-
minis, pleni-
eriam rapina
& iniquitate,
omnia pecca-
ta mundari
per eleemosy-
nam, etiã ex-
tra gratiã dei
prestam.
c. Proferan-
tur loca.
d. Huc dog-
mati sancti
patres omnes
contradicunt.
Operibus e-
nim ante gra-
tiam Augusti-
nus clare dic-
it pœnã de-
beri.

Apocalypsis 2. Nisi uerò huiusmodi opera aliquid huc
conferrent, & ad gratiam quodammodo prepararent,
frustra nobis tot scripturæ locis commendarentur.
Quantum uerò prosint, uel ex uno Euangelij loco cla-
rè constare potest Luc. 11. ubi Dominus ait ad phari-
sæos qui intus pleni erãt rapina & iniquitate: Verun-
tamen quod superest, inquit, date^b eleemosynã, & ec-
ce omnia munda sunt uobis. Sic & sancti Patres, Cy-
prianus, Ambrosius, Augustinus, & reliqui clare^c &
prolixè docuerunt, peccatores per opera pœnitentię
præparare animas suas ad consequendam peccato-
rum remissionem, & gratiam Dei.

EXPENSIO ET REPREENSIO

secundi axiomatis.

Secundum axioma sic habet. Hanc iustificatio-
nem sic suscipimus, & amplectimur, libera quidem &
uoluntaria fide, &c.

Nos quoque fidem Dei donum esse, sicut & spem
atq; charitatẽ ex Paulo probè didicimus, 1. Cor. 13. Et
Eph. 2, fidem tamẽ coactã & inuoluntariam nusquam
dicimus.

dicimus. Axioma igitur hoc non impugnamus, si in recto sensu accipiatur.

EXPENSIO ET REPREHENSIO III.

a Ergo et homo mortuus uerus homo est. Mortuus si desuera quiddē est, quod attinet ad obiectum, uerū eū est quod credit, nō autem a subiecto, qua hac non uere creditur, quod creditur.

d Fides apprehēdens misericordiam Dei, non est sine spe & charitate, tamen non iustificat hęc fides, quatenus has habet comites, sed quatenus apprehendit misericordiā Dei, & iustitiam Christi.

e Nos non de falsa securitate, & erronea fide loquimur, nec Apostolus, quem sequimur, sed de

uera & uia fide, quæ est certum donū & opus spiritus sancti in credentibus.

f Grati autem dicit & sine operibus, quod perinde est.

g hic ualerat auctoritas Dei.

Tertium axioma sic habet. Cui quiddē fidei nunquā desunt peccatorū poenitentia, spes & charitas, attamē nec per se hęc fides, nec per has comites iustificat hominem, &c. Nos autē in peccatore baptizato ueram^a ad huc fidem, licet informē remanere dicimus, quāquam charitas cum ea non sit. Quod autem eo solo iustificet, & saluos faciat fides, quod misericordiam Dei, peccata credentibus gratuito remittentis propter filium suum, in ipso Christo seruatore nostro apprehēdit, ac tenet firmiter, hoc scriptura^b non dicit. Nisi enim^c homo habeat spem, & charitatem, atq; opera poenitentię, non iustificat eum^d sola fides, misericordiā Dei

b Nō igitur scripturæ uerbū est. Qui credit in me, habet uitam eternā. Et ad peccatricem, Fides tua te saluam fecit.

c Nisi homo habeat cor & cerebrū, anima corpus non uiuificat, ergo uita hominis nō cōstat primū & per se ipsa animat.

mo habeat spem, & charitatem, atq; opera poenitentię, non iustificat eum^d sola fides, misericordiā Dei

propter Christū apprehendens. In nouis enim sectis Zuiaglianorū quoq; & Anabaptistarum, aliorumq; (quos ipsi etiam Domini Collocutores diuersæ partis reprobant & condemnant) nunc plurimi passim sic apprehendunt falsa^e securitate, & erronea fide, misericordiam Dei propter Christum: per hoc tamen non iustificatur, quia in sectis, & extra Ecclesiæ Catholicæ unitatem non est iustificatio.

EXPENSIO ET REPREHENSIO IIII.

Quartum axioma sic habet: Quia ergo per fidē iustificamur gratis, & nullo omnino merito nostrorū operum, recte dicimus: Sola fide iustificari credētes, &c.

Hic multa desideramus. Primū quod dicit sola fide iustificari credētes. Hoc enim^f nulla dicit scriptura: & reiecta est hæc propositio auctoritate^g publica in Imperiali recessu Comitiorū Augustensium. Atq; etiam

In hoc lib. dānatur abusu huius orationis, quo homines se fide mortua iustos haberi uolebant.
 Opera autē legis sunt omnia bona opera quae scilicet lex praecipit.
 Quomodo autē possunt iustificare opera facta post iustificationē, quae sunt effectus iustificationis? Efficiunt ne apud uos effectus causam suam?
 Nec de alia nos fide loquimur. Vide uero ut isti rotentur suis signis, dum oppugnant Euangelium Christi.
 In quacunque referatis, dum iubetis homines dubitare de eo si Deus propter filium suum ipsis uelit esse propitius, iubetis eos ambigere de promissis Dei.
 Nullas conditiones Deus apposuit, quae poenitentiae & credendi, quorum neutrum sine altero esse potest. Loquimur enim cum Domino & Apostolis de salutari poenitentia, & uera fide. Immo sciri se dignum esse amorem in Christo, & propter Christum, & sciri se esse dignum odio ex se, & suo merito.

ab ipsismet D. Collocutoribus alicubi, & iam olim tanquam omittenda deinceps, iudicata est. Deinde quod friuola est (ut nobis uidetur) explicatio, qua per uocem (sola) dicitur excludi non spem & charitatem a fide, sed a ui & merito iustificandi, uirtutes & opera nostra. Hoc enim ex hominum inuento, non ex^a autoritate scripturae

^a Scriptura docet nos gratis iustificari, gratia & merito unius Christi. nulla igitur ui, nullo merito nostrarum uirtutum. Ex autoritate igitur scripturae dicitur, Sola fide nos iustificari, pro iustificari nos sola acceptatione misericordiae Dei, & meriti Christi.

profertur, & in responsionibus nostris abunde confutatum iam est. Tertio, quod ait S. Patres hac uoce, Sola fide iustificari, omnes ferē ufos esse, contrarium enim constat ex libro Augustini de fide & operibus. Et si qui patres ita locuti sunt de sola fide iustificante, id de excludendis operibus legis, de quibus Paulus disserit ad Rom. praecipue, & ad Gal. aut de operibus^d ante iustificationem factis intelligi uoluerunt: aut certe de fide uiua, quae per charitatem operatur & efficax est, ita locuti fuerunt.

EXPENSIO ET REPREHENSIO QVINTI.

Quintum axioma sic habet: Qui docent hanc fidem in Christum, qua credimus esse nobis per eum remissa peccata, &c.

Iniuste hic perstringimur, quasi iubeamus nos Deo adimere gloriam ueritatis, & eum non agnoscere ueracem in suis promissis, ex eo quod propter infirmitatem nostram, dubitationem aliquam habemus. Eam enim dubitationem nequaquam referimus in promissiones Dei, quem utique ita ueracem firmiter, ut mentiri, aut fallere unquam possit, Num. 23. & Malach. 3. Sed referimus eam in defectus, & impedimenta infirmitatis nostrae, ne forte^s conditionibus promissorum Dei delimus ex parte nostra. Nescit enim homo utrum amore uel odio dignus sit. Et lob de seipso pie, ac humiliter

liter

liter suam infirmitatem agnoscens, sic ait: Etiam si simplex fuero, hoc ipsum^a ignorabit anima mea.

EXPENSIO ET REPREHENSIO VI.

Axioma sextum sic habet: Deo quidē omnia possible sunt, &c.

Admittimus quidem hoc axioma, si sanē intelligatur, utpote, quod nemo^b iustificetur suo merito. Merita enim iustificationem sequuntur, non^c præcedunt. Et quod omnes sancti, dum hic uiuunt, sine peccato non sint, in tanta carnis repugnantia, corruptaq; natura infirmitate, & mundi dæmonumq; tentationibus. negamus autem eos per^e gratiam Dei legem implere non posse. Scriptum est

enim: Qui diligit proximum, legem^f impleuit: Romanorum decimotertio. Itē, Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi, ad Gal. 6.

e Si cui gratia Deus eam, quæ est futuræ uitæ, plenam uide licet regenerationem, hic conferret, in eo legis quoq; obedientiam persiceret, legemq; impleret. Deus autem sua dona sic attemperat in hoc seculo, ut ipse doceat sanctos suos omnes dum hic uiuunt, orare a se remissionē peccatorum.

a Igitur non est sua, sed sepe Christi iusticia sancti fiunt.

b At si nemo suo, omnes iustificantur solo merito Christi, cum id fide apprehendunt.

c Si nulla merita præcedūt quomodo preparant ali qua opera ad gratiam?

d Nulla igitur bona opera consummāt iustificationem.

f Verum qui diligit ut lex requirit per se se sicut se ipsum.

g Peccatum ab origine tractū & Paulus habitare in se queritur Rom. 7.

h Interim autem dicitur homines ad iustificationē præparari per opera, quæ illa præcedūt, quæ sunt operanda iusticatorū, & super quos manet adhuc ira Dei. Deinde operibus iusticatorū tribuitur iustificationis consummationē, quod utriq; detrahit sanguini Christi.

EXPENSIO ET REPREHENSIO VII.

Septimum axioma sic habet: Gratia Dei delet in hac uita peccata in credentibus, ne illis imputentur, et suppeditat uires ad obediendum legi Dei, &c.

Hoc sanē intellectū, facile admittimus, ut scilicet gratia Dei ita peccata delere intelligatur, ut deleta neq; sint, neq; imputentur. præterea nemo dicit sanctos in hac uita sic esse absq; omni peccato, ut futuri sunt in cœlesti patria. Quod autē nos sanguini Christi nihil prorsus derogemus, abundē testis est nobis sexta propositio nostra, in qua disertē dicimus, omnia peccata, quæ ullo unquam tempore remissa sunt, aut remittentur, per sanguinem^h propitiatoris remitti.

X Expen-

Duplex iustitia.

a Ecce iam ipsi hi nostri amici collocutores agnoscunt & ponunt distinctionem illam nouam & intolerabilem, de duplici iustitia, Christi, & nostra, quam supra tan copiose oppugnauerunt.

pag. 137.

b Hic cum nos diximus, non potuerunt ab istis amicis collocutori-

bus satis mi- que exagitari. Lege que

supradixerunt pag. 138. & cō-

fer ista cū illis.

c Sed nō solū ea iustitia quā

ipse in nobis

hic inchoat,

uerum multo magis sua iustitia

us, quā per se cō-

tra patri pro nobis exi-

bet.

d Tamē remu-

nerare Deum

nostra bona

opera cōfessi

sumus: quan-

quā nō ualeat cō-

querere a puni-

tione malorū

operum ad re-

muneratiōe

bonorū. His

enim poena in-

te debet, hic

autē nō debet

remuneratio,

sed redditur

ex gratuita li-

beralitate

Dei.

EXPENSIO ET REPREHENSIO VIII.

Octauū axioma sic habet: Proinde qui alia quam Christi iusticia sibi donata cōfidit in hac uita, is quaerit iusticiam suam statuere, & iusticiam Dei repudiat.

Nitimur profectō & confidimus^a iusticiæ Christi maximè, per quam iusticia nostra (quam per fidem spem, & charitatē habemus in nobis) efficaciam suā habet. Ipse enim Dominus Christus per omnia innocēs, & agnus immaculatus, qui peccatū nō fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, pro nobis, & iniquitatib. nostris peccatū & hostia factus est, iuxta illud Apostoli 2. Cor. 5. Eum qui nō nouerat peccatū, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur iusticia Dei in Christo. Non statuimus igit ita^b iusticiā nostrā, ut iusticiā Dei repudiemus. Sicut enim Christus pax nostra rectè ac uerè dicitur, Ephes. 2. ita & iusticia nostra ille ipse rectè dicitur 1. ad Cor. 1. Sicut enim in ipso pacem habemus, ita & in ipso, & per ipsum iusti sumus.

EXPENSIO ET REPREHENSIO IX.

Nonum axioma sic habet: Bona opera, à Deo scilicet mandata, & in nomine Domini facta, ex fide necessariō promanant, & sunt grata Deo, &c.

Habet hoc quoq; axioma multas partes, in quibus facile possit inter nos consensio mutua constitui, si absit contendendū haud necessaria cupiditas. Si enim mala opera nostra Dei iusticia non, relinquit impunita, sicut scriptum est Job 24. Deus in ultum abire non patitur: quomodo summa Dei bonitas, & misericordia non^a remuneraret opera nostra bona? Cum dicat apertè. S. Iacobus Apostolus, Misericordiā super exultat iudiciū. Et alius Apostolus ad Hebr. Accedentē ad Deū oportet credere, quia est, & inquirentibus se remunerator sit. Merita igit bonorū operū nostrorum

frorum, quibus frequentissimè in scripturis merces
promissa legitur, non tam ipsis actibus secundum se,
quàm gratiæ Dei ex qua nobis fiunt, accepta referun-
tur. Dicimus enim extra gratiam facta opera, quan-
tumuis secundum se bona esse uideantur, & sint, non
esse uitæ æternæ meritoria: nec ullum est sine gratia
operum nostrorum meritum.

a Merces igitur non est uestra, sed gratia.

Cæterū prima huius axiomatis particula, nempe
bona opera a Deo scilicet mandata, in sinistro sensu
multū scādali ac perturbationis, toto huius in religio-
ne dissidij tēpore in ecclesia Dei peperit, dum opera ce-
remoniarū, & instituta monasteriorum, aliacq; piæ de-
uotionis exercitia, & pia Deo seruiēdi studia derisa, re-
iecta & abolita sunt, eo prætextu quod nō sint a Deo
mādata, eo quod in sacris literis nō habeant^b expresse
mādata. Hunc autē prætextū nos pro iusta ratione re-
cipere nequaquā possumus, quia nō sunt omnia in scri-
pturis expresse^c posita, quæ seruare debemus. Sicut cla-
rè testatur Paulus 2. ad Theff. 2. dicens: Itaq; fratres
state, & tenete^d traditiones quas didicistis, siue per ser-
monem, siue per epistolam nostram. Et post eum Au-
gustinus in duabus ad Ianuarium epistolis.

b Non ideo, sed quia e-
ciam pugnant
cum uerbo
Dei.

c Sic autē lo-
cuplete est
in scripturis
tradita doctri-
na pietatis, ut
nullum sit ho-
num, gratum
que Deo o-
pus, q; nō con-
cludi queat
ex scriptura.
d Istæ tradi-
tiones scriptu-
ris erant ma-
nifeste consen-
taneæ.

Est & alia particula, hæc scilicet, quod bona opera
ex fide necessariò promanāt, sano considerata intel-
lectu, ne offendant: in eo quippe sensu eam recipimus,
quod sine fide opera nostra uerè bona non sunt, non
autem in eo, quod uerè bona opera ex fide necessa-
riò promanāt: nam sine spe, & charitate uere bona es-
se non possunt.

Hæc sunt doctissimi uiri, quæ breuiter ad hæc no-
uem uestra axiomata respondenda esse duximus, ut
ex ijs^e propinquius, certiusq; & facilius ad concili-
andum de iustificatione articulum, in mutuum con-
sensum

e Acutus spi-
ritus in homi-
ne non potest
sublatis pul-
monibus con-
sistere, igitur
nō necessariò
promanāt ex
corde,
f scilicet,

a Veritati
 ut fudeatis
 det uobis Do
 minus.

sensum per Dei gratiam conueniamus; quæ ut beni-
 gnè citra studium contentionis accipiatis, etiam atq;
 etiam rogatos uos uolumus, & unicè per Christū ob-
 testamur. quicquid enim in hac, & prioribus nostris
 responsionibus dictum est, in nullius prorsus iniuriã,
 sed ad causæ nostræ duntaxat ueritatem, & iusticiam
 dictum esse uolumus.

PERORATIO BILLICKII.

b Ergo di-
 micatio, non
 collocauo a-
 mica.

c Ita ne uos
 concordia ra-
 tionem præ-
 scribetis: Tri-
 bus illis con-
 trouersis cõ-
 tineri dixi-
 mus, quæ con-
 tra nostrã cõ-
 fessionẽ artu-
 listis omnia.
 Cũ ergo de
 his tribus con-
 trouersis fue-
 rit inter nos
 constitutũ, tũ
 demũ poterit
 de dictis ue-
 stris reliquis,
 qualia sint,
 statui.

d Certa scri-
 ptorum testi-
 monia agenti-
 bus nobiscũ,
 nobis & Ec-
 clesiis Dei nõ
 utilia modo,
 uerũ etiã ne-
 cessaria sunt.

Hæc igitur breuiter ad ea omnia, quæ à uobis addu-
 cta sunt, respondere uoluimus. Vbi quædam oppu-
 gnauimus, quædam in suum locum, ubi expendi de-
 beant, reiecimus, quædam etiam maiore animaduer-
 sione digna esse iudicauimus. Atq; hæc omnia, prout
 nobis ordine scripta occurrerunt, illa carptim attingi-
 mus, non quocuncq; loco totis uiribus ^b dimicantes,
 id enim longum & molestũ fuisset: sed potius adno-
 tãtes, quæ aut ambigue, aut obscure, aut aduersus sen-
 tentiam nostrã scripta esse uiderentur: quæ omnino
 prætermitti officij nostri ratio non patiebatur.

Sub finẽ tamen illud libenter audiuius, tria tan-
 tum in hoc articulo uobis uideri controuersa. Primũ,
 quid tribui debeat operibus iustificationẽ præceden-
 tibus. Deinde, quid tribui debeat operibus iustificato-
 rum. Postremò, de certitudine salutis fide concipien-
 da & tenenda. Quod si reliqua omnia, quæ in summa
 doctrinæ de iustificatione, & in propositionibus deci-
 mam illã declarãtibus, quæ initiõ à nobis allata sunt,
 uobis probantur, his tribus tantum exceptis, scribi il-
 la tantũ poterunt ut sunt à nobis dictata, & pro con-
 ciliatis haberi: ac deinde ad excutiẽda, & cõcilianda il-
 la tria capita, quæ tantũ superesse dicitis, nobis erit ala-
 crius progrediendũ. Erit autẽ cum in hoc articulo,
 tum in alijs articulis omnib; cõcordia faciliõ, si ab ^a in-
 utili

hac scribendi ratione, ad uerā colloquij formā, & familiarem rerum harū expansionem cōuertamur. Quod & ante sepe petiuimus, & nunc quoq; petimus, etiam atq; etiam rogamus. Dixi.

Hoc die, quia adhuc spatium erat, data est nobis à Præsidibus optio, an statim, uel postridiē nostram uel lemus responsionem incipere. Dato igitur nobis loco respondendi, responsionē nostram statim, ut tempore parceremus, cœpimus in hunc modum.

ACTIO COLLOCUTORVM CONFSSIONIS

Augustana. V. cœpta XVII. Febr.

Accepta dicēdi facultate à Reuerendissimo Principe & generoso Comite, præsidibus æquissimis, Dominis nostris benignissimis, dabimus operā, ut quoad licet breuiter respondeamus ad ea, quæ eximij D. Collocutores alterius partis attulerunt. Priore loco ad nostram præfationē, & protestationē: Deinde etiā ad ea, quæ de iustificatione ipsis respondimus. Et oramus Dominum Iesum Christum, unicum seruatorem & magistrū nostrum cœlestem, ut uelit ipse sic gubernare ac dirigere, & mentem, & orationē nostram, ut omnia quæ dicturi sumus, uerē faciant ad illustrandam gloriam ipsius, & pacificandam atq; infaurandam ecclesiam eius.

Et quia doctissimus uir D. Maluenda scripto primū quædam attulit, quibus respondere uoluit nostræ præfationi & protestationi: responsionē nostram ad hoc ipsum scriptum differemus, dum exemplum scripti eius à Reuerendissimo & Generoso D. Præsidibus fuerit traditum, eamq; responsionem nostram alio item scripto complectemur, cuius locum, sicut & scripti doctissimi uiri D. D. Maluendæ consignari in actis humiliter petimus.

Postea uerò scriptū istud Maluendæ est nobis exhibitum, quod & suprà suo loco his actis inseruimus, uolo igitur hic etiam ea subiicere, quæ ad id Maluendæ eramus, finita nostra responsione de iustificatione, responsum, siquidem prætexere hanc nostram responsionem fuisset nobis concessum.

RESPONSIO COLLOCUTORVM CONFESSIO
 nis Augustanæ, ad ea quæ Collocutores alterius
 partis in horum præfatione notanda
 sibi putarunt.

Hæc habes
 suprà pag.
 106.

Reprehendit D. D. Maluēda, quod in nostra præfatione ab Imperatoria Maiestate humiliter, & omni cum debita reuerentiâ petiuimus, ut magnitudinē tantæ causæ, religionis scilicet, diligentius consideraret, & ne pateretur sese calumnijs, & iniquis iudicijs quorundam, re nondum satis deliberata & cognita, aduersus innoxios homines, ac ueram & cœlestem doctrinam profitentes, incendi. Quod item monuimus, causas diuinas nullius hominis arbitrio, sed ex solo uerbo Dei dijudicandas esse, & discernendas. Tum quod gratias Imperatoræ Maiestati egimus, quod hunc conuentum instituisset, ad patefaciendam doctrinam ecclesijs, & orbi terrarum salutarem & necessariam. Deniq; quod de criminibus nobis intentis questi sumus, & purgare nos paucis studuimus. Admonuitq; primū, petitionem illam nostram cōmodè prætermitti potuisse, propterea quod aures Imperatoræ Maiestatis calumnijs & iniquis iudicijs non soleant patere, ad sueuerint autem consilijs optimorum & pientissimorum hominum: nec possit quicquam sacrum Maiestatis eius pectus contra profestores cœlestis & Catholicæ doctrinæ inflammare, quam ipsa, testante orbe terrarum sanctissime profiteatur.

teatur. Deinde etiam monitionem nostram trult uide
ri frustraneam, eo quod religiosissimo Imperatori per
spectum sit, unde petenda sit rerum diuinarum cogni
tio, & ubi querenda dijudicatio. Nostram uero gra
tiarum actionem de praesenti conuentu ab Imperato
ria Maiestate indicto eò reijcit, quod negat hunc con
uentum institutum ad patefaciendam doctrinam ec
clesijs salutarem & necessariam. hanc enim longo
ante hos conuentus tempore, ecclesiae Catholicae in
notuisse. Postremò carpit querelam, & purgationem
criminum, quam paucis attingimus, eo quod dicat alie
nam esse à ratione amici colloquij.

Ad hæc respondemus: Primùm, laudibus Impe
ratoriae Maiestatis ut quicquam detraheremus, nobis
necdum praefaremur, nec unquã alias fuisse proposi
tum. Has aut nos imminueremus, si Maiestati eius nõ
etiã eam animi moderationẽ tribueremus, ut æquo
ferre animo posset moneri se, ac peti à se (praesertim
fiat humiliter, & debita cũ reuerentiã, uti nos fecimus)
ut consideret causam religionis diligentiùs, eãq; ex nul
lius hominis arbitrio, sed ex solo Dei uerbo dijudican
dã, & decernendã ducat, sibiq; etiã à calūnijs, atq; ini
quis iudicijs cõtra pios & innoxios homines, caueat.

*Laus ma
gnorũ prin
cipum, pa
ti, ut à se,
que pia &
recta sunt,
petatur, &
ut de his
moneatur.*

Nemo enim uerè religiosus se unquã satis attentũ
in his rebus iudicat, in quib. nimirũ lapsos legimus e
tiam summa pietate praestãtes reges, imò etiã aliquos
prophetas, & apostolos. Nec eam sibi ingenij perspi
citatẽ, iudicij præ recti constantiã, quisquã qui sapiat,
tribuet, ut nõ metuendũ sibi existimet à calumnijs &
iniquis prauorũ hominũ (qui nusq; terrarũ defunt)
preiudicijs, ne his à uero rectoq; de rebus & hominib.
iudicio abducat. Has em̄ ueritatis pestes malè sapenu
mero cauisse cõstat, eos etiã principes, in quib. diuina
quæ.

*Nemo ca
lumnias &
praua præ
iudicia sa
tis cauerit.*

quædam eluxit, & mentis solertia, & animi recitudo. Ad hunc certè scopulum nouimus impegisse etiam Dauidem, Constantinum, Theodosium, aliosq; non paucos reges, qui cùm prudentia, tum iusticia singulariter præstiterunt.

Magnis
principib.
libri sacri
quotidie le
gendi.

Nos itaq; quia scimus principes non solum secundum Dominum, sed etiam in Domino esse nobis uenerandos, colendos, & laudandos, nō dubitamus nostri esse officij, Imperatorię Maiestati sedulis à Deo uotis orare eam mentem, ut libeat ei habere secum semper (ita ut ei præceptū à Deo est) uolumē legis diuinę, libros propheticos, & apostolicos, atq; in his legere quotidie & religione summa: & ex his, exemplo Constantini, controuersias religionis, cùm ipsam cognoscere, tum idoneis ad eam rem, pia scilicet eruditione instructis, & uitæ integritate comprobatis, mandare excutiendas, ac decidendas: hancq; ob causam, synodos ecclesiasticas indicere, & tales undiq; uiros conuocare, eorum tractationi interesse, eamq; sua autoritate regere, atq; eò perducere, quo pura tandem, & concordans Euangelij Christi doctrina, & consentanea huic disciplina ubiq; Imperij eius, & orbis possit restitui, & obtinere. Quod igitur Imperatorię Maiestati piè à Domino precamur, officium scilicet eius propriū ac laudatissimum, id, cum monemus, ut & ipsa sibi à Domino petat, & pio studio obeat, nihil admittimus quod indignum sit, siue eius, qui tot debet regnis prouidere, celsitudine, siue etiam nostra, qui ministri tantum Christi sumus, humilitate.

Scribit Maluenda Imperatoriam Maiestatem in tuenda fide Catholica, & pacificandis religionis controuersijs, nihil eorum prætermisisse, quæ ad se pertinere existimauerit. Quam autem optandum erat, ut per

per suos Theologos & Iureconsultos doceretur, nihil in his rebus ad se non pertinere, quod olim celeberrimae pietatis reges & imperatores, in munere regio & imperatorio esse partium suarum agnouerunt, & summa diligentia procurauerunt, lectionem scilicet sacrorum librorum, cognitionem exactiorem omnis & doctrinae & disciplinae Christi, curationem ecclesiarum, sacerdotum uiciorum correctionem, Synodorum indicationem & gubernationem, eorumque qui in Synodis debeant ecclesiasticas excutere & decidere contro- uersias, delectum & moderationem, sanctorum decretorum sanctionem & executionem. Haec enim omnia summa religione curasse & perfecisse constat Dauidem, Salomonem, Azam, Iosaphat, Ezechiam, Iosiam, Constantinum, filios huius, Theodosium, Valentinianum, Martianum, Iustinum, Carolum Magnum, omnesque religionis nomine celebratos reges & imperatores.

Deinde quod Maluenda uult hunc conuentum institutum esse, non ad patefaciendam doctrinam coelestem & salutarem, quod haec ecclesiae Catholicae longè ante hos conuentus innotuerit, sed ut ortis in religione controversijs amicè & sanctè compositis, discordiae locus esse non possit. Dicimus nos innotuisse quidem ecclesiae Catholicae coelestem Euangelij doctrinam longissimo ante hos conuentus tempore, quia per Apostolos: quantis autem illa proximis superioribus seculis circumfusa & interclusa fuerit humanarum adinventionum tenebris, id uerò notius multò esse, quam ut doceri opus habeat, quod in progressu Colloquij, si concedatur nobis ordine excutere omnes eos quos Imperator proposuit articulos, abundè à nobis demonstrabitur.

Si itaque D. Maluenda per controversias, quibus

Y

com-

Maluēda
uult collo-
quiū insti-
tutū esse, ut
desinamus
reprehēde-
re & corri-
gere, quæ
in ecclesiā
Dei contra
uerbū eius
inuecta sūt

componendis hic indictus cōuentus sit, intelligit nos-
stras reprehensiones, quibus ea quæ contra synceram
Euangelij doctrinam inuecta humanitus sunt, per
uerbum Dei iudicauimus, & corrigenda monuimus:
& eam à nobis proinde concordiam expectat, qua re-
missis his reprehensionibus, comprobemus iterum
quæ cum Euangelio Christi dissentiunt, certè absq̃
causa nobiscum colloquetur.

Imperatoria Maiestas iussit nos excutere Confes-
sionem nostrā, & dispicere quid in ea suscipiendum
sit, quid minus, non igitur existimat totam reiicien-
dam. In prorogatione uerò Vuormatiensi constitut-
um est, nos debere controuersias religionis sic com-
ponere, ut inter nos conueniat, non in ijs dogmatis
& institutis quæ recepta uulgo sunt, & pridem usur-
pantur, sed quæ consentanea sunt uerbo Dei, & quæ
eò ualeant, ut ecclesiæ instaurentur, & remoueantur
abusus, quibus queruntur omnes p̃ij & prudentes
uirī ecclesiās esse planè oppressas.

Indictus igitur est hic noster conuentus, & instit-
ta hæc nostra collocutio, ut de his abusibus inter nos
amicè & Christianè inquiratur, facta que collatione
statuatur, & qui sint abusus, & quomodo queant hi
commodè corrigi: an scilicet ea corrigendī illos ratio,
quam nos proposuimus, & secuti sumus, sit legitima
& salutaris, an secus: & quid uos in ea, & in omni do-
ctrina & disciplina nostra reprehendendum putetis.

Quod uerò postremò Maluēda nō putauit hic locū
esse querēdi & purgandi nos de intētatīs nobis crimi-
nib; cōuenisse em̃ nos ad amicū & familiare colloqui-
um, quæ circa si quicquid aduersum nos dictū aut scriptū, re-
spōsione uel querimonia dignū putassemus, debuisse
cū ipsis criminationū autorib; alio loco causam agere.

Ad

Ad hæc respondemus, nos meminisse quidem hic inter nos agitari debere colloquium amicū: audiuisse etiam, quem se Collocutores animum adferre ad hanc colloquutionem sint ipsi de se testati, interim autem excidisse nobis, nec potuit nec debuit, quæ non in nos tantum, sed etiam in doctrinā Christi, quam profite-mur, dicta sunt, & scripta publicè, & à quibus. Nec minus cōsiderandū nobis est hoc loco, quid requirat ratio colloquij amici, quàm quid Christiani. Debet enim nostrū colloquium esse non plus amicū, quàm Christianū. Christi autē religio & hoc poscit, ne quod falsum crimē hæere in ministerio, uel ministris Euan-gelij Christi patiamur, cum data fuerit eius depellen-di facultas: iubetq; ne putemus quorumlibet hominū ob loci, nominis, personæq; mutationē, illic etiam esse mutatā mentē & sententiā: præsertim si quam ali quot annis de se non dubijs signis, ac scriptis etiam, publicè ac continenter sint professi.

Sic igitur cum res habeant, & impiū sit hæreseos crimen negligere, certè hic locus purgandi nos his omnium atrocissimis criminibus, hæreseos, schismatis, & seditiose perturbatæ, cum ecclesiæ, tum reip. communis, alienus uideri nō debuit. Primū enim cōuocauit nos Imp. M. ad hanc colloquutionē, non ut hostes Dei, hæreticos, sed ut timentes Deum, & bonarū conscientiarū, quæ sine recta fide & religione haberi non possunt. Deinde cōuocauit ad explicandā & cōcilian-dam doctrinā & disciplinā Christi, quam omnes electi Dei sequi debeant. Ad quā sanè colloquutionē ad-mitti nos fas nō erat, si ijs tenemur criminibus, de quo rum iniusta in nos intentione, sumus questi.

Commisisti denique sumus his Collocutoribus, quos palam constat quid de nobis ipsi quoque sint

orbī testificati, priuatis & publicis, cūm dictis, tum scriptis. Nec enim ingenuum aut pium esset, tam manifesta, tamq̃ etiam præsenti colloquendi amice & Christianè munerè aduersa, dissimulare. Fuisset igit̃ fraudi ipsi quoq; agenda hic causæ Christi, si hoc loco in excussione religionis, cum his præsertim Collocutoribus, descendissemus, non præmissa uel aliqua, cūm de fide atq; religione nostra, professione ac protestatione, tum atrocitū adeò, nec minus falsorum criminum depulsione.

Illud uerò nimis dilutum sophisma est (quod pace D. Collocutorum dixerim) quod D. Maluenda scripsit etiam nos ipsos disertis uerbis testatos esse, respondere intentis in nos criminibus, nunc inutile & incōmodū esse. Verba enim nostra sic habent: Quamquam omnibus omnium aduersariorum nostrorum criminibus, quibus nos ac nostram doctrinam, apud omnes gentes & populos deformare & obruere conantur, respondere, neq; utile, neq; hoc tempore commodum esse sciamus, tamē ne in hoc publico conuentu, taciti ea quasi agnoscere uideamur, breuissimè & modestissimè ad ea omnia respondebimus: hæc nostra uerba sunt. Omnibus omnium aduersariorū criminibus respondere, neq; utile esse, neq; cōmodum hoc tempore agnouimus: sed ad ea respondere in genere, & breuissimè, atq; modestissimè, id uerò utile iudicauimus & necessarium, ne scilicet ea uideremur in hoc publico conuentu agnoscere.

Quod itaq; adducti religione Euangelij Christi, & studio ineundi hoc colloquium cum spe alicuius operæ precij in eo ecclesiæ Dei faciendæ, pauca quedam sumus de donis Christi nobis collatis professi ac protestati: id ne Reuerendissima & Generosa Domīnatio.

nationes uestræ, æquissimi præsidēs, neue uos eruditissimi Collocutores, & auditores agrè feratis, utq; uestra de his rebus præiudicia, dum religionis cõtrouersia, à quibus omnis dictionum cõmunitum criminum pendet dijudicatio, fuerint inter nos excussæ. differatis, etiã atq; etiã rogamus. Videtis enim nos in hac responsione nostra id studiosè operam dedisse, ut ea tantum diceremus, quæ res ipsa, & officium nostrum, ut diceremus, postulauit: & diceremus hæc ea moderatione, ut nec offensionem ulli iustæ, sed nec replicæ alicui, priusquam excussæ fuerint ipsæ religionis cõtrouersia, causam daremus.

Hæc ad scriptum Maluendæ, quo nostram reprehendit primam præfationem eramus dicturi, uel scripto ad acta oblaturi, si rei huius nobis copia facta fuisset: ea igitur hic suo loco inseruimus, quo se ordine omnia consequantur. Quæ uerò ad cætera, quæ Maluenda & Billickius per suos quinq; dies. 12. 13. 15. 16. & 17. dixerunt, respondere cœpimus, hæc sunt.

Primum dixerunt Collocutores alterius partis per Maluendam, se magno animi dolore nostram præfationem audiuisse, propterea quod ex eo principio uiderent præcipua Dei beneuolentia, & singulari præsidio opus ipsis esse, ut sine animorum perturbatione in grauissimo religionis negotio, toto hoc colloquij tempore, uersentur. Nos uerò existimamus præstantissimis uiris nullã huius doloris dedisse causam, certè dare noluimus. Quid enim fecimus aliud præfando, quàm quod simpliciter testati sumus, quibus animis ad hoc Colloquium ueniremus: qua item religionis non nostræ cuiusdam propriæ, sed Christianis omnibus Catholicæ professione. Ac demum quod alieni sumus ab ijs criminibus, quibus si teneremur, ad

Colloquium huiusmodi Christianum admitti nullo modo poteramus: ea maximè commendatione, qua nos Imperatoria Maestas, clementissimus D. noster, ad designationem Illustrissimorum, Illustrium, & magnificorum Principum, & superiorum nostrorum ad hoc Colloquium deputauit.

De negato lo
co responden
di.

Deinde uisi sunt eximij D. Collocutores queri, responsum ipsorum, cum illud uellent ad nostra præfata statim reddere, non esse admissum. Hoc loco rogamus eximios uiros, ut meminisse uelint, nos quoque, cum ipsi præfati essent, ter rogasse, ut & nobis præfaturis locus daretur, priusquam ipsi articulum de iustificatione tractandum susciperent: ipsos autem maluisse, excluso nostro responso, pergere ad tractationem articuli de iustificatione. Quod igitur ius ipsi sibi hic sumpserunt, idem nulla certè iniquitate postulauimus concedi postea etiam nobis, propterea quod de progressu & successu Colloquij incerti sumus.

De negato
nobis nomi
ne Catholico
rum, & suggesti
one here
seos & schis
matis.

Nos enim ha
bent pro ini
micis ecclesiæ

Tertio loco responderunt D. Collocutores ad id quod rogaueramus eos, ne uellent nomen Catholicorum ita sibi usurpare, ut significarent nobis idem tribui non debere. Quæ uero in ea responsione sua attulerunt, se cupere hoc nomē omnibus esse cōmune, ecclesiæ hoc esse propriū, ut etiā pro inimicis suis oret: & quod rogant nos, ne ipsis nomē hoc propriū relinquamus: & de ecclesia neminē alieno iudicio, uel inuidia excludi, sed sua uoluntate & uicio, ea unūquęque exire: hæreticos enim suo ipsorum iudicio condemnari. hæc omnia quòd pertineant, & quid uobis significet, sanè intelligimus: eaq; omnia iudicio uero uni ecclesiæ capitis & iudicis Christi Domini, & omnium eorum qui sunt illius membra, iudicanda committi.

mittimus, contenti hoc iterum hic profiteri, nos gratia Christi seruatoris nostri esse uera membra ecclesiae Catholicae, & huius uerum consensum & germanam doctrinam studere in omnibus religiose sequi, ea tantum patrum traditione relicta, à qua, ut i. Pet. 2. D. Petri uerbis utar, nos liberauit sanguis Domini nostri Iesu Christi.

Quartò significarūt doctissimi uiri, sibi displicere, quod in nostris praefatis, cum de studio piae consensionis testaremur, diximus, corda nostra Deo inspectori mentium, dicta autem & facta, ecclesiae iudicanda nos deferre. Sic enim habent uerba nostra. Hoc cum nō tam de ipsorū, quam nostris cordibus, dictis, & factis dixerimus, D. Collocutores intellexerunt se eo notari, quasi aliud uerbis profiterentur, aliud tenerent animis. Tum etiā taxarūt, quod nobis exciderat uerbū, reorū. Item quod purgauimus nos, & principes nostros crimine perturbate pacis publicae. Proinde deprecogarūt, ut ista prauiudicia, criminationes, & expostulationes, odiosamq; illam de autoribus praesentis schismatis inquisitionē, uellemus praetermittere. Ad haec, & caetera quae hoc loco attulerunt, ista modo respondemus. Nos hac de animis nostris cōtestatione, ac studio purgandi Principes nostros & nos ipsos, nihil aliud uoluisse facere, q̄ commendare nos praclaro huic confessui, ut qui synceris animis, & uero studio in piam ecclesiarū consensionem atq; instaurationem ueniremus ad hoc Colloquiū, atq; ostendere esse nos alienos ab ijs criminibus, quibus publicè proscissi tot annis fuimus. Nec nos certè ulla occulta dedecoris retinere uolumus, aut uerbum Domini uispiam adulterare. Oramus quoque Dominum, ut quod Domini Collocutores de suis animis, & studio profiterentur, re ipsa

De professione
studii in piam
cōsensionem
Dei iudicio
delata, & pur
gatione nostri
& principum
nostrorum, q̄
attinet ad cri
minationem
perturbate
pacis publicae

Isti Collo-
cutores mul-
ta de studio
conciliandi
controuer-
sias iactant
uerbis, reip-
sa autē con-
trouer-
sas, quan-
tū potuerunt
amplificari-
t, & exaspe-
rarunt.

re ipsa foeliciter praestent, & controuer-
sias religionis
fidei opera studeant conciliare, non potius exaspera-
re, & amplificare. Neque enim paucae, aut parui momē-
ti controuer-
siae in priori hic habito colloquio fuerunt
iuxta uerbum Domini solide conciliatae, earumque con-
ciliatio plurimis certe uere religiosiis & doctis uiris pri-
dem comprobata est. cum nunc, proh dolor, audi-
mus eas recte conciliatas controuer-
sias rursus in disce-
ptationem pertrahi. Quare doctissimi uiri id grauius
ferre non debent, si non ex quolibet flore fructum cer-
tum expectemus. Nos tamen uolumus iuxta charita-
tis regulam omnia credere, & sperare: Dominum quo-
que obnixè rogare, ut quod utrinque secundum uerbum
ipsius de studio pia conciliationis doctrinae, & disci-
plinæ eius polliceamur, re ipsa praestemus.

Quae autē in his iuxta de causa utrinque attulimus,
aut secus, & an illa cum instituto Christiano Collo-
quio congruant, uel minus, iudicium committimus
Reuerendissimo & Generoso D. praesidibus, tum Ge-
neroso etiam, & magnificis Dominis auditoribus u-
triusque partis, ac deinde omnibus, quibus acta huius
Colloquii diiudicanda offerentur. Cupimus enim fi-
ne tandem imposito huiusmodi praefationibus, ad rem
ipsam, propter quam conuocati sumus, solam tractan-
dam nos recipere.

Vnum tantum hic addemus, ad illud satis aculea-
tum, quod D. Collocutores hoc loco subiecerunt. Con-
stare scilicet etiam nobis, ante has exortas tragœdias,
religioneque, quam ipsi profitentur, nondum ita con-
cussa, pace & tranquillitate iucunda omnia in Germa-
nia floruisse. Nos Deum nostrum testamur, quod in
eo tantum elaboramus, ut religio pura Christi non con-
cutiatur, sed restituitur & confirmetur.

Quod

Quod autem attinet ad externam illam pacem, & rerum tranquillitatem, rogamus omnes, qui naturam regni Christi habent perspectam, ut probe expendere uelint, quibus de causis hoc ipsum crimen perturbatae pacis publicae, & iucundae tranquillitatis, intentatum fuerit prophetis ferè omnibus, Christo Domino ipsi, apostolis & martyribus eius. Latè enim admodum patet illud Christi Domini dictum: Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia quae possidet, &c.

Quibus maxime crimè perturbatae pacis publicae imputetur.

Hac sufficiant nobis ad ea omnia, quae D. Collocutores hoc loco satis multa satisq; acriter commemorarunt, respondisse: in quem locum nostrae purgationis posthac non regrediemur, nisi omnino necessariam huius causam D. Collocutores ingesserint.

Quinto loco dixerunt D. Collocutores de forma & ratione cum fructu Colloquendi, & controuersias religionis excutiendi, quam ipsi putant Colloquio huic praecipue commodam esse: eamq; rationem, quam nos institui rogauimus, notauerunt tanquam multis nominibus instituto Colloquio incommodam.

De forma & ratione Colloquij.

Ad haec respondemus, nos nullam aliam rationem Colloquendi postulasse, quam eam, quae foeliciter obseruata fuit in ueteri Ecclesia: ut clarè uidere licet in Actis D. Augustini cum Foelice Manichæo, & in opere breuiculo collationum, quas habuit cum Donatistis.

Quod enim consignari petiuimus etiam argumenta quae utrinq; fient, & responsiones quae ad argumenta adferentur, satis declarauimus eo animum nostrum, & causas huius petitionis exposuimus: de quo acta testentur. Nec uidemus illa incommoda hanc colloquendi rationem, quae eximij D. Collocutores commemorarunt, consecutura: siquidem ipsi utrinq; uelimus,

Z mus,

mus, & placeat insistere ei ordini, quem Imperialis Ma-
iestas nobis descripsit.

Potest enim ex Confessione nostra simplicissimè
caput aliquod desumi, & explicatio eius paucis subij-
ci: quo factò haudquaquam difficile fuerit D. Collo-
cutoribus ut si quid in eo parum probent, etiam sim-
plex argumentum, uel scripturam, aut S. Patrum auto-
ritatè, item simplicè, cōtra id quod minus probant,
asserre, & datam à nobis responsionem rursus excu-
tere. Moraq; illa quam adfert dictatio, ad hoc nobis
conducat, ut omnia diligentius expendantur, & ut cō-
tentionis calor, qui in huiusmodi collationibus pluri-
mum officit, resideat. Possunt etiam adhiberi, & con-
suli libri, & omnia quàm reliogissimè expendi. Deni-
que ipsa collatio sic & in pauca congeri, & clare cer-
toq; ordine digeri, ut neque nos pudere debeat cum a-
cta in lucem proferentur, nec metus sit ut confusio ob-
ijciatur acta dijudicaturis.

Nec nos certè de memoria nostra superbimus, i-
deoq; cum pauca facilius, quàm multa digesta, quàm
confusa, possunt memoria retineri, petiuimus ut sin-
gulis argumentis singulæ responsiones obijcerentur.
Præterea etiam rogauimus, ut acta essent in manibus
utrinq; & penes Collocutores ipsos, quo illa semper
consultare & expendere possent. Quibus omnibus
concessis, & ritè obseruatis, nos non uidemus scriptio-
nem notariorum aliquam his Collationibus difficul-
tatem aut incommoditatem asserre posse.

Postremò, & ad hoc nos obtulimus, ut familiari
colloquio, siue scripto interdum cum id res poscet, &
dogmatum utrinque sensum, & argumentorum pon-
tus explicemus & expendamus. Ea tamen lege, ut
præcipua & necessaria argumenta & responsiones,
quo

Oblatū fa-
miliare Col-
loquium.

quo ordine utrinque afferentur, in acta etiam conscribantur, quò de rebus tantis, & referri in Comitibus possit certius, & iudicari rectius.

Nec uideamus certè aliam causam eorum incommodorum, quæ D. Collocutores commemorarunt, hæcenus inter nos extitisse, quàm quod ipsi in initio noluerunt nostram confessionem simpliciter excutiendâ suscipere, ita ut Imperatoriam Maiestas iusserat: sed maluerunt semel uniuersam doctrinâ de iustificatione, ut est tradita à scholasticis, nobis proponere. Quæ res nos coegit, ut etiam simul ad totam illam summâ, ne & causæ & officio nostro deessemus, responderemus. Quâ nostram responsionem, ubi D. Collocutores excutere coeperunt, uideamus in quod controversiarum pelagus simus, nos certè inuiti, abstracti. Tamen si Dominus uelit nobis adesse, cogitauimus de ratione, qua forsitan possint tam multa & confusa rursus in pauca contrahi, ac etiam sic explicari, ut deinceps uti aliquo in hoc colloquio compendio ualeamus.

CONDITIONES FAMILIARIS COLLOQUII
oblatae à Collocutoribus Augustanæ Confessionis.

EST uerò ea ratio huiusmodi. Si uideatur in primis Reuerendissimo & Generosissimo, D. Præsidentibus, Deinde etiam Generoso, ac magnificis D. auditoribus, utriusque partis, ac ipsis quoque D. Collocutoribus, tentabimus in nostra iam responsione subiicienda, priusquàm eam dicemus notariis, uoces diligenter explicare, quarum non eandem significationem uideamus utrinque constare. Deinde ad argumenta, quæ D. Collocutores siue ex scripturis diuinis, siue ex Patribus contra attulerunt, ordine respondere. Idque eo ordine, ut ad singulas nostras responsiones, locum demus doctissimis uiris D. Collocutoribus diuersæ partis, rursusque si uolent obijciendi,

si quid eis in responsis nostris non satisfecerit. Ad
 quæ obiecta deinde, & nobis respondendi uices ite-
 rum permittantur. Porrò quia ad hanc rationem collo-
 quendi hac una de causa descendere uisum est, ut, si
 Dominus id dederit, controuersias propositas explicè
 mus atq; componamus, cum breuius, tum dilucidius:
 incertum autè sit, ut homines sumus, an ad hanc rem
 ista colloquendi ratio aliquid sit collatura, ideo à Reue-
 rēdissimo Principe & Generoso Comite D. Præsilib.
 petimus constitui, de tribus conditionibus. Quarum
 prima sit, ut quandocunq; inter nos familiariter collo-
 quendum uidebitur, uel nobis, uel Collocutoribus di-
 uersæ partis, liceat etiã rursus dictare, quæcunq; siue
 illi, siue nos, ad causam pertinere existimauerimus.
 Altera conditio, ut uices seruentur inter colloquendū,
 nec quisquam alium interpellat. Tertia, ut nobis inte-
 grum maneat, ad ea omnia, quæ D. Collocutores iam
 in acta contulerunt, etiã dictando respondere.

Has tres conditiones, si Reuerendissimus & Gene-
 rosus D. Præsidentes, & doctissimi D. Collocutores
 uelint habere ratas, cōfisi gratia Domini, memoratam
 colloquendi familiariter rationem, cum eximijs uiris
 D. Collocutoribus interdum, cum id è re quam agi-
 mus, fore putauerimus, inibimus, tentaturi scilicet, an
 Dominus hoc pacto dare uelit aliquod istis collationi-
 bus nostris utile cōpendium. Attamen quoniam præ-
 cipua nihilominus argumēta & fundamenta utriusq;
 partis dictanda erunt, rogamus D. Collocutores, ut
 uelint tam diligenter dispicere, quàm nos hoc facere
 studebimus, nè uerbis res onerent, nè ue in acta conse-
 rant, quæ ad propositam actionem nullum singulare
 momentum adferant.

Hoc certè si utrinque operam dederimus, conscri-
 ptio

Tres con-
 ditiones fa-
 miliaris Col-
 loquij.

ptio actorum, nec formam tollet amici Colloquij, nec utilitatem eius ad causam propositam imminuet. Memorat D. Augustinus Donatistas, cum quibus ille de consensione religionis egit, etiam sub præsidiis imperatorij, & excipientibus actia notarijs, cum efficere non potuissent, ne collatio fieret, & causa omnino nõ ageretur, id effecisse multiplicitate gestorũ, ut difficile legeretur quod erat actum. Hoc præposterũ studium ablit à nobis utrinq; & licebit certè, fauente Domino, commemorata agendĩ ratione commodè & fœliciter proponere: nec quicquam erit eorum incommodorum metuendum, quæ D. Collocutor prouincialis Carmelitarũ enumerauit. Hactenus de ratione colloquendi.

In opere breuiculo collationũ cum Donatistis ab initio.

Hæc dicta sunt 17. Febr. sequentia 18.

Sexto loco reprehenderunt D. Collocutores in nostra responsione, quod non modò contemptim, sed etiam atrociter uisi ipsis simus loqui de Scholasticis doctoribus, cum gratias egimus Deo, quod nos à spinosis illorũ opinionibus liberauerit. Subieceruntq; fatis magnam illorum laudem, & notauerunt nostrũ aliquos ingratitudinis, ut qui non parum per eos profecerimus. Egimus certè gratias, ac etiã nunc agimus Christo Domino, unico magistro nostro cœlesti, quod nos expedierit, non spinosis modò, sed etiam irreligijs istorũ quæstionibus. Norunt enim D. Collocutores, quàm irreligijs interdum de diuinissimis mysterijs Christi & Ecclesiæ quæstiones mouere solent. Non diffitemur quidem aliqui nostrũ nonnihil ab illis doctoribus didicisse, quod scilicet ad dialectica pertinet. Sed hæc, si idonei nobis præceptores contigissent, eramus multo fœlicius percepturi ex Platone,

De Theologis Scholasticis.

Aristotele, Cicerone, & huius ordinis præceptoribus cæteris. Quod uerò ad mysteria Christi attinet, quãto præstitisset nos secutos præceptũ Augustini: à diuinis literis ipsis studia nostra theologica esse auspicatos:

Quid obfit
Theologia
schola-
stica.

Et certè quod, quæ de iustificatione attulimus, omnino ex sacris scripturis deprompta, D. Collocutores accipiunt tam uariè, & diuerso adeò sensu ab eo quos sunt prolata, nos quidem in nullã aliã causam, cum libet humanissimè iudicare, reijcere possumus, quã in *inuitas* illas, & antè conceptas sententias, quas pridem ex his scriptoribus imbibitas, & altius adhuc animis infixas, omittere non possunt, aut non uolunt. Sed quod ad nos attinet, sit suum cuiq; pulchrum. Tamèn à dominis Collocutoribus hoc non postulamus ut quò nos eos rapimns, sequantur. Ducere non rapere utrosque debet maiestas uerbi Dei, tum etiã Imperatoriæ Maiestatis iussio, nobis cùm in prorogatione VVormatiensi, tum in scheda illa imperatoriã proposita, ut in hoc Colloquio dispiciamus, & piè inquiramus, quid diuinis scripturis consentaneum sit, quid secus: & sequamur ordinem Cõfessionis nostræ.

De articulo
in priori
Colloquio
con-
ciliato.

Venio nunc septimo loco ad ea, quæ D. Collocutores responderunt nobis ad illa, quæ de articulo iustificationis in Colloquio priori hic habito, conciliato attuleramus. Dixerunt domini Collocutores mirari senostram confidentiam, ne quid dicant acerbius in nos (forfan uanitatẽ aut mendacium) quod affirmauimus articulum illum ab Imperatoriã Maiestate, Electoribus Principibus, item Ordinibus Protestantium, deniq; etiã ab ipsis Collocutoribus utriusque partis, habitum esse pro conciliato. Et conatus est D. Prouincialis ostendere, hæc omnia secus habere. De qua re, ut ueritas certius cognoscatur, rogo dominos

minos notarios, ut uelint recitare propositionem meam, de huius articuli conciliatione, ut pateat, quid de ea testatus sim. Deinde respondebo ordine ad ea argumenta, quibus D. Prouincialis conatus est nos conuincere uanitatís, ut dicam quod res est, suo uerbo.

NOTARII RECITARUNT.

Recitata uerba non habeo excepta, sed meminí illis hæc præcisè de hoc articulo esse à me proposita. Primum, quod fuerit in Colloquio conciliatus: Deinde quod hanc conciliationem Imperator proposuerit Ordinibus Imperij ut recipiendâ publicè per Imperium: Postremò, istam conciliationem fuisse primùm receptam ac comprobata[m] à Concilio Electorum, Protestantium, & Rerumpublicarum Imperij.

PROSECUTIO COEPTAE ORATIONIS.

Nos ergo, ut auditum iam est, nihil aliud de conciliatione huius articuli testari uoluimus, quàm quod in ipsi[s] actis Comitiorum, in quibus hæc res peracta est, de ea continetur: hoc est, quatenus amplexi sint hanc articuli huius factam in Colloquio conciliationem, in primis Imp. Maiestas Clementiss. Dominus noster: dein, de conciliu[m] Electorum, tum Ordines Protestantium: postremò etiam Resp. Imp. quorum testimonia partim tum recitauimus, partim actis inseri postulauimus, uolentes ita parcere temporí. De Collocutorib. utriusq[ue] partis, cum quod ad Ecciu[m] attinet, dubium inciderit, doctiss. uirorum Iulij Pflug, & Gropperi testimoniũ recitauimus. De Legato Cõtareno, si quam facit Imp. Maiestas de eo mentionem, non sufficiat, testimoniũ appello iam nominatorum Collocut. D. Iulij & Gropperi. Porro articulu[m] illum tanq[ua]m conciliatu[m] ab omnibus Imperij Ordinib[us], fuisse receptu[m], ne somniauimus quidẽ nobis dicendum esse, imo contrariu[m] palam confessi sumus.

Id quod improbīs sollicitationibus acceptum ferimus, in primis Papæ Romani, qui alios nuncios Contarino adiunxit, tum eorum qui consilia Principum communis ordinis & Prælatorū, à sententiā abstraxerunt Imperatoriæ Maiestatis, & cōsiliij Electorum. Horum uerò omnium, ut fidem certiozem clarissimo huic confessui faciam, quia testimonia nuper non sunt omnia audita, uolo ea nunc singula recitare, quæ etiam ut deinde opportuno tempore in acta inferantur, uti antehac fecimus, ita & nunc etiam atq; etiam rogamus.

Recitatum itaq; fuit primum testimonium Imp. Maiestatis, ac deinde ita subiunctum.

Hoc habes
suprà insertum,
pag.
49.

Satis in hoc testimonio apparet cuiq; legenti, quam optauerit Imperatoria Maiestas conciliatos in illo colloquio articulos, ut cæteros, ita etiam eum qui est de iustificatione recipi, eaq; lege, ut haberentur Christiani, & in disceptationem amplius nō reuocarentur, donec ulterior eorum examinatio fieret in Concilio, uel etiam Germanico Comitio. Perspicuum etiam est, quantam putauerit Imperator utilitatē Germaniæ alaturum fuisse, si articuli illi ita ut erant in Colloquio conciliati, habiti fuissent pro conciliatis ab omnibus Imperij ordinibus. Putauit enim hoc cōducturum ad id, ne ista denuò, & grauiorem in controuersiam traherentur. Id quod nunc, proh dolor, uidemus fieri. Item ut ulteriora incommoda, quæ interim certè inciderunt grauiissima, cauerentur & auerterentur. Postremo, ut eo facilius ad omnimodam concordiam perueniri posset, dum ita quam minimum dissidij relinqueretur. Has causas non dubitamus ueras & graues fuisse, talesq; agnosci hodie, atq; agnoscēdas etiam esse, à quamplurimis optimis uiris, patriæ nostræ Germaniæ bene consultum cupientibus.

Nunc

Nunc audiamus testimonium Illustrissimorum principum Electorum, quod sic habet:

Recitatum & hoc est ex actis, & habetur supra insertum pag. 49.

Cum hoc testimonium sit tam perspicuum & plenum, & causæ eius sint iam annotatæ in testimonium Imperatoriæ Maiestatis, transeo ad testimonium Ordinum protestantium.

RECITATVM EST EX ACTIS ET horum Ordinum testimonium, quod supra insertum est pag. 50.

In hoc testimonio, quia adiecta conditio est, & eam conditionem D. Prouincialis pro argumêto arripuit, Ordines protestantes hunc articulum non simpliciter suscepisse pro conciliato, respondebo de ea cōditione cum ad dissoluenda argumenta illius accessero.

De testimonio Rerum publicarum idem constat, quod ipsum ex actis quoque imperij cognoscere licet. Hoc quoque supra insertum est pag. 53.

Nunc recitabo quæ de hac cōciliatione testati sunt Collocutores duo diuersæ partis in ipsorum supplicatione, quam exhibuerunt præsidibus & auditoribus eius colloquij, contra calumniam (ita ipsi uocant) Ecclesiam. Habet autem eorum supplicatio sic. Et hæc supra habetur inserta pagina. 54.

RECITATA EST HÆC SUPPLICATIO ex actis.

Ex hac supplicatione liquidò quoque cognoscitur, Articulum de iustificatione cum ceteris qui Imperatoriæ Maiestati post colloquium tanquam conciliati oblati sunt per Collocutores utriusque partis, fuisse cōciliatum. Quod autem ab ea conciliatione Ecclesiam postea desceuerit, & scribere in Concilium Principum ausus

Aa fuerit,

fuerit, se in eum articulum non consensisse, uiderit ipse quid ea in re fecerit. Scimus inhumanum esse dimicare cum mortuis: sed causæ dictæ sunt, & idoneæ, ut non dubitamus, cur ad gloriam Christi, & ad Ecclesiæ totiusq; Germaniæ magnam utilitatem referre arbitratî simus, ut sæpe iam commemoratum articulum cum suis præiudicijs & testimonijs faceremus, quod ad nos attinet, rursus ab Imperatorîa Maiestate & Ordinibus Imperij cognosci. Nec igitur prætereundum nobis fuit, quod testimonium ipsi Collocutores diuersæ partis de huius articuli conciliatione tulerunt, etiam contra Eccium, qui non leuem operam adhibuit, ne hic bene conciliatus articulus per omnes Imperij Ordines pro conciliato reciperetur.

Acta Colloquij Ratiſbonæ habiti anno 41. ulteriorico gnitioni reſeruata, nõ abiecta sunt.

Etenim constat acta Colloquij prioris, de quo agimus, nequaquam esse abiecta, sed relata ad ulteriorem examinationē, etiam in Comitio imperiali faciendam: siquidem illa nõ fieret antea (& eo tempore quod tum fuit præfinitum, & pridem præterijt) à Concilio generali uel nationali. Cum itaque examinatio illa ulteriorum actorum nondum facta sit in concilio, promissum autem sit iam aliquoties, eam fieri debere in conuentu Imperiali, & tandem in hoc ipso, qui nunc est indictus: nos certè haud uidemus, qui existimari possit nos præter rem facere, quod mentionem ingerimus huius articuli, in hoc maxime Colloquio, quo controuersæ religionis debet, quo ad fieri potest, excuti & componi, quo scilicet Imp. Maiestas cum Ordinibus Imperij eo facilius deinde de uniuersa religionis cōpositione cōstituat. Quò etiã istud nos merito perpulit, quod in prorogatione VVormatiensi iubemur omnes controuersias religionis ita conari componere in hoc Colloquio, ut illud faciat ad omnimodam unionem Ecclesiæ,

desiæ, & reformationem.

RESPONSIO AD ARGVMENTA

ta Billickij.

IAM respondendum est ad argumenta quæ D. Provincialis contra hæc obtulit, quæ tamen, ne ignorantia elenchi intra nos frustra turbet, imprimis moneo, ut velit bene animadvertere, quid nos de conciliatione huius articuli testemur. Testamur autem hæc. Primum, eum in colloquio inter Collocutores utriusque partis, assentiente Legato Cõtareno conciliatum esse: Deinde à uobis Collocutoribus utrinque, solo Eccio propter morbum absente, tanquam conciliatum Imperatoris Maiestati in manus esse exhibitum. Nam cum eidem Maiestati librum post colloquiũ cum adiectis nostri Ordinis articulis redderemus, testati sumus, id loquente pro nobis cæteris D. Groppero, omnes articulos illos in eo libro fuisse inter nos in Colloquio conciliatos, quibus articulis nos, qui à Protestantium Ordinibus in Colloquio fuimus, nullos alios articulos opposuissimus. Tertio, testamur Imperatoriam Maiestatem eosdem articulos ipsi à nobis tanquam conciliatos oblatos, hoc ipso nomine, tanquam conciliatos proposuisse omnibus Imperij ordinibus, & cum ea, quam audiuimus, commendatione, atque præiudicio. Quarto, testamur concilium Electorum, Ordines protestantium, & Respublicas Imperij consuluisse, & petiuisse, ut iidem articuli tanquam conciliati ab omnibus Imperij Ordinibus reciperentur, ea lege & conditione, quæ expressè in eorum responsis continetur. Quinto, agnoscimus & dolemus, per Pontificem Romanum & illi adherentes esse effectum, ut articuli hi cõmuniter ab omnibus Ordinibus recipi tum nõ potuerint: ac ideo sint tandem

tamen proiecti, non aboliti, sed ad ulteriorem examinationem etiam in Comitio, & maximè nunc iudicio, faciendam, relati ac reseruari. propterea religio nobis fuisset, & adhuc esset, non quam possumus operamur in hoc impendere, ut articuli iidem rursus cognoscantur & recipiantur. Quod si antea factum fuisse putassemus, nulla certè causa fuisset, eos nunc in examinationem huius colloquij reuocandi. Hæc sunt quæ de conciliato hoc articulo confirmauimus, & etiam nunc confirmamus.

Videamus igitur nunc, quæ D. Prouincialis contra hæc obiecerit. Primùm, ut probaret eum articulum non fuisse conciliatum inter ipsos Collocutores, id attulit, quod Eccius ab ea conciliatione defecit: & quod D. Philippus uerbo (efficax) interpretationem adijci postularit. Quod ad Eccium attinet, offerimus pro responso nostro supplicationem Collocutorum eius. Quod uerò ad D. Philippum pertinet, quis nesciat eum ab his conciliatis articulis non recedere, qui eorum petat fieri clariorem interpretationem: & interpretationem eiusmodi, quæ & in sensu, & in ipsis penè uerbis horum articulorum contineatur, uti ea interpretatione uerbi (efficax) quam dari D. Philippus postulauit, continetur in quarto paragrapho memorati articuli de iustificatione, in priori colloquio conciliati. Ita nec ille conciliationem articulorum conciliatorum uiolat, qui amplari eos, & eis aliqua, & non pugnantia cupit adijci: quod non solum D. Philippus, sed ipsi quoque reliqui Collocutores alterius partis, & Ordines protestantium fieri petierunt. De quibus rebus, si ista nostra responsio D. Collocutoribus non satisfecerit, offerimus nos ad clarius demonstrandam eam, ex ipsis sæpe dictis articulis, uerbis.

Quod articulum hunc conciliatum habuerint Collocutores utriusque partis.

Quod.

Quod iam secundò attinet ad consensum Domini Contarení, recitauit D. Prouincialis responsum eius, & quod de actis colloquij uniuersí testimoniũ tulit ad Imperatoriam Maiestatem & Ordines imperij, quo censuit scilicet acta Colloquij Pontifici & Concilio dijudicanda offerri debere. Agnoscimus hæc, iam enim nuncijs Pontificis, qui superuenerant, eum, ut hoc daret responsum, perpulerant. Quod autem antea pro sua persona (non dico legati) in conciliationem huius articuli per omnia cõsenserit, testes cito ipsos duos Collocutores diuersæ partis, superstites ambos, etiãli Gropperus nunc de me sentiat & scribat, quæ, ut nulla ueritate subnixæ, ita inimicissima sunt.

Tertiò, de approbatione Imperialis Maiestatis offert D. Prouincialis duo argumenta contra nostram contestationem. Vnum, quod in recessu priorum Comitiõrum, quæ hic sunt habita, acta Colloquij omnia reijcerit ad ulteriorem expansionem Concilij, uel Comitij. Hoc quoq; nos uerum esse scimus, nec quicquam quod cum eo pugnet, diximus. Audiuimus autẽ iam quod cum eo præiudicio, qua commendatione Maiestatis eius articulum de quo agitur, deliberationi Ordinum imperij obtulerit suscipiendum. Quod præiudicium, quamq; commendationem Imperatoria Maieestas haud quaquam fecit contra consiliũ grauissimum suorum.

Alterum argumentum erat: Si Imperator articulum hunc haberet pro conciliato, non præscripsisset huic nostro Colloquio, quo ordine eum articulum rursus excutere, & componere deberemus. Ad hoc id damus responsi. Notum esse, quibus & quàm grauibus negotijs tot regnorum & nationum Imperatoria Maieestas sit occupata, Nec ignoratur, quàm multi impati-

entes salutis Germaniæ, conciliationē in priori Colloquio factā oppugnarint, & hodie oppugnent. His de causis mirum non esse, quod Imp. Maiestas nullū huius articuli. ut est in priori Colloquio conciliatus, mentionem fecerit. Ex eo autē non fieri consequens, quod non præter officium esset, si etiam nos mentionem eius silentio transmitteremus, postquam iniunctū nobis est ab eadem Imp. Maiestate, asserre in hoc Colloquio ea omnia, quæ facere queant ad plenā in religione concordiam constituendā. Iam constat ipsius Imp. Maiestatis testimonio, quod recipere hunc articulum ut Christianum, facturum sit huc, ut de religionis controuersijs concordia citius ineatur, & plurima alia incommoda & pericula caueantur, & auertantur.

De sententia Electorum, & aliorū Principum & Statuum.

Quartò, quod attulit argumentum D. Prouincialis, de Electorum & cæterorum Principum omnium sententia, qui censuerunt acta Colloquij reiici debere ad ulteriorem dijudicationem, uel concilij uel comitiij. Ad hoc respondemus, quod iam respondimus de sententia Imperatoriæ Maiestatis, factum esse hoc, sed inuitis hæctenus ipsis Electoribus, Ordinibus Protestantium, & Rebuspub. Nam hi omnes maluissent suam priorem sententiam obtinere. Cum uerò id impetrari ab eo ordine Principum & Prælatorum, quem Dominus Prouincialis Catholicum uocat (cui tamē nec nos titulum illum adimimus, sed confitemur etiam nos orthodoxos & catholicos) non potuisset, consenserunt id fieri, quod ne fieret, auertere nequiverunt. De illo autem repugnante ordine, antea confessi sumus ipsi, quod reconciliatum hunc articulum, non solum non receperit, sed etiam ne reciperetur quantis potuit (tamen maiori tantum ex parte) uiribus restiterit.

Quod ulimò de Protestantibus obiecit, quod sint con-

confessi se reconciliatum articulum nō alio, quā sūe
 confessionis cōsensu recipere: id quoq; certum est. Sed
 offerimus nos ad demonstrandum, ex claris certisq;
 uerbis, cū Confessionis nostrę, tum articuli cōciliati,
 quod si utriusq; scripti sententia uera & germana ad-
 mittat, sit omnino idē sensus (quod ad hūc articulum
 attinet) & nostrę Cōfessionis, & factę hic cōciliationis.

Hęc cum omnino ita habeant, & tantum momenti
 adferant ad piām de iustificatione cōciliationem: non
 adferant ad piām de iustificatione cōciliationem: non
 possunt autem ritē cognosci & dijudicari, sicut nec
 illa, quę D. Prouincialis contra obiecit, nisi actis sint
 inserta hęc omnia. primū articulus ipse conciliatus,
 deinde præiudicia Imperatorię Maiestatis & Princi-
 pum Electorum, ac Rerumpublicarum, tum etiā re-
 sponsum Ordinum Protestantium, unā cum eorum
 admonitione & petitione de explicandis quibusdam
 locis in eo articulo, & adijciendis: quartō etiā testi-
 monium Collocutorum diuersę partis: rogamus Re-
 uerendissimū & Generosum dominos Præsides sup-
 pliciter, ac per Christū Dominum, eiusq; Ecclesiam,
 atq; etiā autoritatē tot Ordinum Imperij, qui hunc
 articulum unā cum Imperatorię Maiestate recipien-
 dum publicē per Germaniā censuerunt atq; roga-
 uerunt: obsecramus. ut dignentur iubere notarios hęc
 quę modō cōmemorauī, quatuor præiudicia, & testi-
 monia sæpe dicti articuli, actis inserere. Qua re nō du-
 bitamus eos facturos, quod cū Imperatorię Maie-
 stas, tum ceteri Imperij Ordines sint gratum habituri,
 & magnopere comprobaturi. Dixi.

Diebus 19. 20. & 22. collocuti sumus familiariter citra
 exceptionem notariorū. Ita enim placuerat præsidentibus,
 & flagitarāt id Collocutores alterius partis. nosq;
 ut faceremus, præmissis cōditionibus consenseramus.

Argu-

Argumenta Collocutorū alterius partis annotauit quidam ex nostris, quę subijciemus cum responsionibus nostris. Si uerò & illi nostro, & mihi quędam exciderint, aut quę hic cōmemorabo, minus aut plene, aut dextrē adduxero. integrū erit Collocutorib. ut ea ipsi, quām uelint & possint, perfectē & cōmodē reponant, etiā absolutius & acutius, quām in colloctione ipsa fecerint: imò etiam ut alia, & solidiora, & efficaciora proferāt. Nam explicari & illustrari optamus ueritatē doctrinæ Christi quām clarissimē, & plenissimē. quocirca uolens, nouit Dominus, nihil hic præteribone illorū obiectionibus, quas cūq; potero recordari: nec quicquam etiā in his nō optima, quantū equidem ualeam, concludendi forma proponā. Quo minus debent ægrē ferre, quod & hanc nostrā disputationem à notarijs non exceptam, hoc loco subijcio.

QVAB IN FAMILIARI COLLOQVIO
tractata sunt, quantum ea memoria
retinuimus.

IN hac itaque nostra Collatione familiari nos, ut ea certior ac dilucidior esset, uerborumq; ambiguitas minus perturbaret, in initio uocum explanationē, quibus in nostra confessione Apostolum secuti, sumus usi, repetiuimus. ac primū, quid per iustificari, docti ab Apostolo intelligimus, paulo latius declarauimus. copiosiore adhibita retractatione eorum locorum scripturæ, quę in prima actione nostra in hanc rem adduxeramus. Atque principiō ostendimus iustificari in scripturis esse uerbum forense, & significare iudicari secundum aliquem. Id uerò cum bisariam fiat, aliquando secundum meritum causæ ex iustitia iudicis, aliquando condonatione delicti ex gratuita clementia iudicis; diximus significare hoc uerbum aliquando

quando probari causam alicuius bonam aliquando
remitti malam, ueniamq; dari delictorū. Priore signi-
ficato ostendimus usum esse hoc uerbo Salomonem,
cum in dedicatione templi oraret: Si peccauerit homo
in proximum suum, & habuerit aliquod iuramentū
quo teneatur asstrictus, & uenerit propter iuramen-
tum coram altari tuo in domum tuam, tum exaudies
in coelo, & facies, & iudicabis seruos tuos, condem-
nans impium, & reddes uiam suam super caput eius,
iustificansq; iustum, & retribuens ei secundum iusti-
tiam suam 3. Reg. 8. Hoc sanè loco significat iustifica-
ri à Deo, comprobari causam homini bonam. Sic &
Paulus hoc uerbo usus est Ro. 2. cum scripsit: Non au-
ditores, sed factores legis iustificari. Et Iacobus, cum
ex diuina cōmendatione & laude Abrahę & Rahab,
propter ipsorum benefacta, concludit hominem iu-
stificari non ex fide tantum, sed etiam ex operibus.

Iustificari pro-
comprobari
causam alicui-
us bonam.

Deinde demonstrauimus hoc uerbum iustificari,
ijs scripturę locis, in quibus agitur de iustificatione
uitę, de qua inter nos erat disputatio, significari pri-
mū & propriè absolui, remitti à Deo peccata, Deo
reconciliari, recipi ab eo in gratiam, non fieri iustum
iustitia inherente, ut Collocutores etymologiam lati-
nam secuti, hanc uocem perpetuò considerant. Id ue-
rò ex his potissimum locis planum feci.

Iustificari, &
cōdonari cau-
sam malam,

Primum, ex eo quod Paulus dixit in oratione sua
quam habuit ad Iudęos Antiochę Pisidię. Notum
est ergo uobis uiri fratres, quia per hunc adnunciatur
uobis remissio peccatorum, & ab omnibus, à quibus
non poteratis in lege Moysi iustificari. in hoc iustifica-
tur omnis credens. Constat enim Paulum hic locu-
tum de ea iustificatione, quam ad Rom. & Gal. præ-
dicat nemini constare ex operibus legis, sed gratia &
merito

Ad 19.
Iustificari a
peccatis

merito Domini nostri Iesu Christi. Cùm uerò dicat iustificari credentem in Christũ ab ijs, à quibus ex lege Moïsis iustificari nemo potuerat: quid hic iustificari queat significare aliud, quàm liberari, absoluiq; à peccatis? Nam præmiserat, Per hunc renunciatur remissio peccatorum. Si enim intellexisset iustificari aliquẽ, idem esse, quod conferri alicui iustitiam inhærentem, dicendum erat: Iustificari credentem Christo, non ab his (peccatis scilicet) sed his, id est, uirtutibus, fide, spe, & charitate.

Locus ad
Ro. 8. quis
accuset ele-
ctos Dei?
Deus qui
iustificat.

Iustificare
est condem-
nare con-
traria.

Psal. 143.

Deinde ostendimus idem ex dicto illo Apost. ad Ro. 8. Quis accuset electos Dei? Deus, qui iustificat, quis cõdemnet? Christus mortuus est, magis uerò & excitatus, qui & est in dextera Dei, qui & intercedit pro nobis. Et hic enim quis non uideat, quid proprie significet iustificare? Apostolus enim uult ostendere, frustraneum esse accusare electos Dei, eo quod illos Deus iudex iustificet, id est, absoluat reiecta & irritata eorum accusatione. Quis enim uelit aliquem accusare apud eum iudicem, quem sciret absoluturũ à se accusatum? Ad idem facit quod subiicit, Quis cõdemnet quod contrarium est iustificationis. Causam enim huius, quod nemo, ne Deus ipse, sit electos Dei cõdemnaturus, Apostolus nõ certè hanc reddit, quod Deus illis tantum contulerit fidei, spei, & charitatis, id est, iustitiæ inherētis: sed quod filius eius, quem donauit credentibus, & cum eo omnia, mortuus est pro peccatis illorũ, excitatusq; est propter iustitiã eorũ, & intercedit pro eis, qui alioqui semper habet, q̄diu hic uiuũt, unde condemnari mereant, iuxta illud: Domine ne intres in iudiciũ cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Ex quo ipso quoq; loco clarè cernitur (iustificari) esse uerbũ for-
ren.

rense, uerbū iudicij, & significare absolui aliquem in iudicio, aut iudicari secundum aliquem.

Tertium locum ad eandem rem clarius contestandam adduxi ex 5. ad Romanos: Proinde sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem (res hominum deducta est) ita per unius iustitiam in omnes homines in iustificationem uitæ. In his uerbis aperte opponitur iustificatio uitæ, quæ electis contingit propter obedientiam Christi, cunctis hominibus per Euangelion oblata, eorum condemnationi, suo scilicet contrario, quæ inuecta est in omnes homines per peccatum Adæ.

Quis possit itaque istud inficiari, diuo Paulo iustificationis uocem, in ea ipsa in qua nos uersamur disputatione, ita usurpari, ut significet peccatorum remissionem, & hominum cum Deo reconciliationem, eorumq; in gratiam ab eo acceptionem. Iustificari igitur hac principe iustificatione, est peccatis absolui, recipi in gratiam à Deo. Id quod Deus ipse facit sua ultronea misericordia, sed propter filium suum, merito huius obedientiæ, quam in mortem usq; & mortem crucis præstitit.

Illud tamen simul tum agnouimus, sanctos patres in uoce iustificari, plerumq; intellexisse, iustum fieri donata iustitia inherente, quæ cum iustificatis, id est, ut Apostolus hac uoce utitur, receptis in gratiam à Deo, ueniãq; data peccatorum, semper confertur. Deus enim electos suos, simul & peccatis absoluit, & in filios adoptat, regenerat etiam filiorum spiritu afflato ad omnem iustitiam, quam ipse scilicet manens in eis, suo spiritu efficit, pro beneplacito uoluntatis suæ, & quo ipsi uisum est progressu. Adieci-
mus & illud, iustificari alicubi etiam accipi, pro in-

*Iustificatio
uitæ.*

Conclusio.

*iustificari
pro confer-
ri alicui ius-
titiam in-
herentem.*

Ephes. 2.

Iustificari, in
iustitia profi-
cere,

iustitia proficere, ut cum scribitur Apoc. 22. Tempus propè est, qui iniuriam facit, faciat iniuriam amplius: qui commaculatus est, commaculetur amplius: qui iustus est, iustificetur amplius: qui sanctus, sanctificetur amplius: id est, proficiat amplius in coepta iustitia & sanctimonia.

Reperita con-
stituto,

At dum Apostolus loquitur de iustificatione, quã prædicat nullis nostris operibus, sed sola gratia Dei, per meritum Iesu Christi nobis constare, conclusimus ex commemoratis, & alijs locis demonstrauiamus, in uoce iustificationis, primùm pro more scripturarum propriè significari, remissionem peccatorum, & cum Deo in gratiam receptionem, quam tamen in omnibus iustificatis, donũ iustitiæ & sanctitatis inhaerentis, Dei benignitate, & energia spiritus regenerantis & innouatoris, necessariò consequitur.

De uoce fidei

De fidei quoq; uoce exposuimus, quid, secuti Dominum & Apostolum, sentimus, & quo hoc nomen sensu accipimus: testatiq; sumus, nos dare operam, sicut debemus, ut in his summis restitutionis nostræ mysterijs, loquamur ut loquitur spiritus sanctus in scripturis suis. Neminem enim posse id melius magisq; simpliciter & propriè, atq; ad ædificationem totius pietatis magis appositè, Dominum autem in scripturis suis dicere simpliciter, qui in eum credat, hunc habere uitam æternam: & Accipere homines remissionem peccatorum, atq; sortem inter sanctificatos, fide in se. Et per Petrum, accipere per nomen suum remissionem peccatorum, omnem qui in eum credat. Ac per Paulum, fide iustificari & saluari homines, nõ ex operibus.

Ioan. 6.
Act. 26.
Rom. 3.
Ephes. 2.

Nos igitur nomine fidei intelligere cum Christo Domino, & spiritu eius in apostolis, non fidem mortuam,

tuam, & à bonis operibus ociosam, sed uiuam, & que per dilectionem operetur omnia bona opera: illud nimirum donum, eam uim, id testimonium spiritus sancti, quod is præbens nostro spiritui, efficit ut assentientes Euangelio, certò indubitatoq; credamus, nos ex gratia patris, & merito filij accipere remissionem peccatorum, haberi nos Deo filios & hæredes.

Adieci-mus uerò, fidem hanc oportere certam esse, De fidei certitudine. niti promissis Dei firmiter, ut homines de gratia Dei erga se, & adoptione sui in filios Dei, omnem, quoad per auxilium Dei ualeant, dubitationem excludant. Vera enim cum fides hæc sit, utpote opus spiritus sancti, contrarium suum, quod est de promissis Dei dubitatio, à se excludat necesse est. Ad hoc confirmandum adduximus & explicuimus locum ad Romanos 4. de fide Abrahamæ, quam his uerbis descripsit.

Locus Pauli Roman. 4. de certitudine fidei excelsus.

Qui præter spem in spe credidit se futurum patrem multarum gentium, iuxta dictum: Sic erit semen tuum. Nec infirmatus fide, considerauit suum ipsius corpus iam emortuum, existens annorum centum, nec emortuum uterum Saræ. De promissione uerò non dubitauit incredulitate: sed confirmatus est fide, de-ditq; gloriam Deo, & certus factus est, quod qui promississet, etiam potens esset ut faceret. Propterea etiam imputatum est ei ad iustitiam. Non uerò scriptum hoc est propter illum solum, uerumetiã propter nos, quibus imputabitur credentibus in eum, qui excitauit Dominum Iesum ex mortuis, &c.

Quare Abrahamam fidem habuit, talẽ habere debent omnes Christiani.

Ex his Apostoli uerbis primum illud admonuimus considerandum, Apostolum fidem Abrahamæ sic descripsisse, & commendasse hoc loco, ut doceret, qualis nam fides ad salutem in Christo percipiendam necessaria sit. Exemplum enim hoc fidei Abrahamæ ait pro-

pter nos, quibuscunq; Euangelion Christi prædicat, esse in diuinis literis conscriptum & propositum, ut nemo scilicet dubitaret, siquidem hac fide crederet in Deum & Christum, eam fidem sibi quoque in iustitia esse deputandam.

Concluditur igitur hinc primū, fidem uerē Euangelicam, & iustificantē, oportere congruere cum hoc fidei exemplo nobis in Abraham proposito. Deinde orauimus D. Collocutores, ut probè expendere, quas Paulus fidei huiusmodi Euangelicæ proprietates tribuat.

1 Propriū
fidei ut spe-
ret contra
spem.

Primū enim tribuit ei, ut præter spem credat in spe. Quo sanè docet, fidem ueram non posse esse absque spe, & fiducia percipiendi illud, quod à Deo est promissum, & spe quidem, quæ sit præter spem, quæ scilicet à propria facultate existat. Sicut Abraham fretus fide sua, sperauit se filium accipiturum ex Sarah contra spem, quam quidem natura ei suggererat.

2 Infirmæ
esse fidei, re-
spicere ea
quæ in se
promissis
Domini ui-
dentur ob-
sistere, ita
ut de pro-
missis dubi-
tet.

Deinde, ostendit id esse infirmæ fidei, considerare quæ apparet in rerum natura difficultas, ac etiam impossibilitas eâ percipiendi beneficia, quæ Deus promissit. Et quia ista ad nos quoque pertinent, debemus hinc discere, impossibilitatem consequendæ salutis, quæ est à peccatis nostris, & indignitatem nostram, haudquaquam ita esse nobis considerandam, ut hinc de promissa uenia in Christo dubitationē admittamus. Alioqui quod peccata nos à Deo & salute separant, quæ diligentissimè perpendendum est: uerū ut hinc acrior subeat peccatorū pœnitentia, & maiore studio ad Christū seruatorē confugiamus, nō ut propterea de percipienda peccatorum remissione ex misericordia Dei & merito Christi ambigamus.

Tertiō

Tertiò, ex hoc Pauli loco animaduertendum mo- D Chry
nuimus, quod Apostolus dicit: De promissione uerò *sostronus.*
Dei non dubitauit incredulitate. Ex eo enim euiden- *διανπίθου,*
ter concluditur, de promissione Dei dubitare, esse in- *κατ' ἐπί, δ,*
credulitatis, id est, *ἀπιστίας,* quæ uirtuti fidei, id est, *ἀ*
πίστεως, contrariū uitiū est, eoq̄ a uera fide necessariò re- *ἀπὸ ἐπιείκεια*
pellendum. De promissione autem Dei dubitat, qui *σόν, ὅτι ἀπὸ*
cunq̄ non sperat se accepturum quod Deus promi- *φθαλά-*
sit, hoc est, remissionem peccatorum in Christo, & ui- *3 Dubita*
tam æternam: quacunq̄ ex causa hæc dubitatio pro- *re de pro-*
ueniat. Hanc enim promissionem Deus uoluit in no- *missis Dei,*
mine filij sui prædicari & offerri omnibus gentibus. *infidelita-*
tis est.

Quartò, rogauimus Collocutores, ut & illa Apo- 4 Detra-
stoli uerba probè intuerētur: Sed fide confirmatus de- *bit gloriæ*
dit gloriam Deo, & est certus factus, id est, *καταπροφην*
ἴδω. Cùm enim Apostolus tribuat ei, qui solidè credat *Dei, qui du-*
promissionibus Dei, & omnino certus de illis sit, id *bitat de*
est, *καταπροφην ἴδω,* quod det Deo gloriam, consequi *promissis*
neceſſe est, eum qui de promissis Dei dubitat, gloriæ *Dei.*
Dei detrahere. Deinde monuimus & illud hoc loco
esse obseruandum, quod Paulo esse fide confirmatū,
& *καταπροφην ἴδω,* id est, certū & omnino persuasum
esse, remota omni dubitatione. pro eodem usurpari:
ex quo rursus concluditur, hanc de salute certitudinē
esse omnino eiusmodi fidei proprietatem, quæ sit om-
nibus cūm expendenda, tum commendanda, ut sine
qua fides iusta & solida esse non possit.

Omnes igitur Christiani, quantum per auxilium
spiritus sancti possunt, debent cunctam à se de salute
sua in Christo dubitationem depellere. & quicūq̄ ue-
ram in Christam fidem docent, hi debent docere, &
hanc fidei certificationem esse à Domino sedulis uo-
tis orandam.

Nec

Quo fides gra-
tia Dei certi-
or est, hoc est
etiam acrior
penitentia
peccatorum.

Nec metuedum est, ut hinc peccandi securitas ob-
repat: quo enim animus de remissione peccatorum,
& Dei in se charitate certius est persuasus, hoc magis
etiam diligit Deū, & detestatur peccata. Nam Euan-
gelio de remissione peccatorū, nemo potest uerè cre-
dere, qui non indubitato credat etiam legi Dei, testan-
ti de peccatorum atrocitate, & condemnationem sem-
piternam propterea comminanti (qui enim non om-
ni uerbo Dei credit, nulli uerè credit) itaq; nemo un-
quā potest remissionem peccatorū in Christo Domi-
no, uera, uiracq; fide apprehendere, qui non de pecca-
tis suis uerè doleat, & iusticiæ studio sit incensus. His
itaq; declarauimus, quā fidem intelligamus in uerbis
Domini, cum ipse dicit: Qui credit in me, habet uitā
æternam. & Pauli, cum dicit nos fide iustificari: & ac-
cipere peccatorum remissionem omnem credentem
in Christum.

Porro, quia nouimus ad calumniā rapi, quod di-
cimus nos iustificari sola fide, secuti in eo sanctos pa-
tres, testati sumus nos hac forma loquendi cum uti-
mur nihil aliud uelle dicere, q̄ id ipsum quod D. Pau-
lus dixit his uerbis: Iustificati gratis, gratia eius per re-
demptionem, quæ est in Christo Iesu: ut per particu-
lam (sola) excludamus quidem spem, charitatem, &
cæteras uirtutes, ac bona opera omnia, non autem à
iustificato, sed à iustificatione, id est, à ui & merito iusti-
ficandi. A qua etiam ipsam fidem, quod ad ipsius me-
ritum attinet, excludimus. Nam nec ipsa legi Dei sa-
tisfacit. Quare cum dicimus sola nos fide iustificari,
perinde est atq; si diceremus, nos iustificari sola gratia
Dei, & meriti Christi in Euangelio oblati acceptatio-
ne, nulla nostræ uirtutis aut meriti nostri præstatione,
siue id ex ipsa fide, siue ex ulla alia uirtute existat.

Quis sensus
dicti huius
nos sola fide
iustificari.

Cum

Cum itaq; nullis omnino uirtutibus aut bonis operibus, quæcunq; Dominus nobis hic agentibus donauerit habere & facere, legi Dei satisfacimus, impulsq; inhabitantis adhuc in nobis peccati, multa identidem facimus quæ merito odimus, ut à Domino prohibita, multaq; prætermittimus quæ iure facere uolumus, & sunt nobis à Domino præcepta, offendimusq; adeò in multis omnes, ut nunquam non necesse habeamus orare patrem nostrum in cœlis, Remitte nobis debita nostra: Iustificatio certè nostri, hoc est, remissio peccatorum, & nostri in filios Dei adoptio, nõ solum in initio in baptisate, & prima nostra ad Deum conuersione recipitur, sed perpetuò etiã nititur, dum hic uiuimus, & retinetur, plenaq; tandem & consummata (dum corpore mortis huius liberati, & penitus regenerati, hæreditatem adimus uitæ æternæ) percipitur sola Euangelij fide, fide inquam, qua gratiam Dei, & remissionem peccatorũ, & in filios Dei adoptionem in Euangelio oblatam, excitati ac persuasi spiritu fidei, amplectimur, tenemus, nulla sanè ui. nullo merito, siue fidei ipsius, siue spei, siue charitatis, siue ullius alterius uirtutis uel operis boni, aut omnium simul uirtutum & bonorum operum.

Planum igitur est, iustificationem nostri, donec hanc uitam peccato obnoxiam cõmutauerimus uita futura, & peccati penitus libera, percipi & teneri à nobis semper fide, & fide sola, id est, solo eo quo oblatam Euangelio gratiam & salutem credendo accipimus, non quo damus quicquam aut facimus Deo. Ioan. 6. 25. Rom. 8.

Adieci-mus autem: quoniam omnis uerè credens in Christum, & hac in filium Dei fide regeneratus, manet in Christo, & habet Christum in se manentẽ, agiturq; spiritu Christi, coherere fidei necessariò, & peccatorum

catorum poenitentiam, & studium omnium bonorum operum. Vt enim fide hac, quicumque ueram uiamque habet, persuasum sibi à spiritu sancto tenet, cuncta sibi in uno Christo Domino bona esse proposita, sic non potest eiusmodi, primum non omnia quoque expetenda ab ipso uno Domino & seruatoris suo petere & expectare, id que fiducia & spe certa: Deinde nec amantem se tantopere Deum & sospitorem suum, non redamare, hocque amore accensus, non studere perficiendis præceptis eius, & satagere, ut omni peccato, uel euitato, uel emendato, cunctis actionibus suis, & tota uita sua glorificet Christum, & ædificet ecclesiam eius.

Ex quo facile intelligitur, nos ceteras uirtutes, studiumque bonorum operum, non solum à fide in se, & fideli homine non separare aut diuellere, sed necessariò coniungere & connectere: idque tantummodo uirtutibus & bonis operibus, ipsique fidei detrahere (propterea quod legi Dei nunquam satisfaciunt) quod iustificationem nostri non merentur. Iustificamur enim, ut Apostolus disertè testatur, gratis, gratia Dei & Domini nostri Iesu Christi, per fidem, qua scilicet hanc omnino gratuitam gratiam Dei & Christi, Euangelio delatam, recipimus, & ipsi seruatori ac reparatori nostro Christo nos, peccato omni purgandos, & iustitia perficiendos permittimus.

Hæc est illa nostra prædicatio & declamatio, de qua nos tantopere calūniantur epistola illa, quam his actis in fine subiiciemus, que, ut coniecturæ satis multæ sunt, scripta uidetur à Billickio, quò se apud suos Colonenses extolleret. Nos uerò hæc animo simplici, pie, que cõcordiæ synceriter studio uoluimus ante collationem argumentorū paulo fusius exponere, quò disputatio-

tationē inter nos, & dilucidiorē redderemus, & cōper-
 diosiorē. Videbamus enim Collocutores illos nobis
 obiectos, quę ex scripturis Dei de iustificatione, & an-
 tē sumus cōfessi et in colloquio rursus proferebamus,
 longē aliorum rapere, q̄ erāt à nobis, & sunt antē ab
 ipso spiritu sancto, & dicta & scripta. Iam subiunge-
 mus illorū cōtra nos obiectiones. Tria uerò præcipuē
 in nostra Cōfessione isti Collocutores in familiari col-
 loquio oppugnaverūt. Primū, quod dicimus nos sola
 fide iustificari. Secūdo, q̄ affirmamus fidei uere esse ut
 cunctā de salute nostra dubitationē excludat. Tertiū,
 qd negamus legē Dei posse à nobis in hac uita imple-
 ri. Maximē autē in cōfutationē eius incubuerūt quod
 cōfitemur & prædicamus nos sola fide iustificari & sal-
 uari, uitamq̄ æternam percipere atq̄ habere.

PRIMA THESIS COLLOCUTORVM CON-

fes. August. oppugnata à Colloc. partis alterius.

Fide sola iustificamur.

Primum itaq̄, quod Collocutores alterius partis
 in familiari colloquutione contenderunt, erat: nos
 iustificari non sola fide, sed fide, spe, & charitate. In uo-
 ce enim hac (iustificari) collationem modò iustitię in-
 herentis semper intelligere uolebant. Argumēta uerò
 quę contra nostram thesim attulerunt, hæc ferē sunt.

ARGUMENTVM PRIMVM COLLOCUTORVM

*alterius partis, cōtra thesim hanc Colloc. Confess. Au-
 gust. Fides sola iustificat.*

Iustificari, inquebant, est hominem iustum fieri,
 & accipere iustitiā: At homo fit iustus, iustitiāq̄
 accipit nō fide sola, sed iuxta fide, spe, & charitate. Igit̄
 homo nō fide sola, sed etiā spe & charitate iustificat̄.

RESPONSIO COLLOC. CONFESS. AVGVST.

Ad maiorem dicebamus, ut supra explicauimus,

Cc 2 Iustifica-

Iustificari, in disputatione de iustificatione uitæ, signi-
ficare significatu apostolico, primùm & propriè, re-
mitti hominì peccata, & reconciliari eum cum Deo:
quam peccatorũ remissionem, & cum Deo reconcilia-
tionem consequitur collatio iustitiæ inhaerentis.

Ad minorem diximus, iustitiã inhaerentem con-
stare non fide sola, sed etiã spe, & charitate, ac uirtu-
tibus simul omnibus. Agnouimus etiã hominem
hac iustitiã iustum esse. Faciens enim iustitiã, iustus
est, .i. Ioan. 3. & iniustum, qui spem, & charitatẽ, cæte-
rasq; uirtutes non habeat, eõq; non facit iustitiã.

*Sancti hic
nec faciunt
quæ debent
omnia, nec
ut debent,
nec uitant
omnia pec-
cata.*

Addidimus autem & hoc, iustitiã hanc quæ con-
stat fide, spe, & charitate, cæterisq; uirtutibus, esse in
nobis tantum inchoatã, nondum perfectã, nõdum
quandiu hic uiuimus, legi Dei satisfacere, nec eõ ua-
lere, ut sancti faciãt quæ debent Deo omnia, aut quæ
rectè faciunt, eo faciãt quo oportet studio, aut ut nõ si-
mul etiã multa cõtra officiũ faciãt. Proinde sanctis o-
mnibus iustificationẽ apud Deum, remissionem pec-
catorum, reconciliationem, atq; in filios Dei adoptio-
nem constare sola gratia Dei, & perfectã iustitiã Chri-
sti, quæ eis imputatur: id est, fide sola, quæ hanc Dei
gratiam & Christi iustitiã primùm apprehendit.

Constat igitur hoc argumentũ non concludere
propter uitium *ἁνομιῶν*. Domini Collocutores enim
uocem iustificari, non accipiunt eodem modo & signi-
ficatu, quo Apostolus & nos.

REPLICA COLLOCUTORVM ALTERIVS
partis prima, ex eo quod diximus nos iustificari
iustitiã Christi.

Quo nobis applicatur iustitiã & meritum Chri-
sti, eo dicitis nos iustificari. Id autem fit etiã
spe, & charitate, non sola fide. Igitur & his uirtutibus
iustifi-

iustificamur, non fide sola.

RESPONSIO COLLOCUTORVM AVGV.

stanæ Confessionis.

Maiores recipimus, si intelligatur de applicatio-
ne, id est, communicatione iustitiæ & meriti Christi
in se. Eo enim remissionem peccatorum omnino ac-
cipimus, & cum Deo reconciliamur, filij eius habemur,
quo Christi nobis iustitia & meritum donatur,
& nos Christo ipso, ut Paulus inquit, induimur.

Gal. 5.

Minorem autem pernegamus, quod ista applica-
tio, & communicatio iustitiæ & meriti Christi in se,
fiat spe & charitate. fit enim ista meriti Christi appli-
catio, sola Dei misericordia, qua filium suum nobis,
& cum eo omnia donauit. Sic enim dilexit Deus mū-
dum, ut filium suum unigenitum daret, ut quicumq;
in eum credit, habeat uitā eternā. Exhibet uerò Deus
nobis hanc filij sui, & iustitiæ eius cōmunicationem,
uero, & sacramentis suis, quæ ipse efficacia reddit:
quam nos fide primū recipimus & amplectimur,
dum Euangelio credimus. Omnibus enim credenti-
bus sibi offerenti per Euangelion remissionem pecca-
torum in nomine suo, Dominus illud re ipsa loquitur:

Deus iusti-
tiā Christi
applicat
nobis, et ap-
plicat uer-
bis suis &
sacramētis.
Matth. 8. et
15.

Ioan. 5.

Fide recipi-
mus saluē,
spe expecta-
mus ut no-
bis perficia-
tur, charita-
te in salua-
tore acqvie-
scimus, &
eo fruimur
ipsumq; co-
limus.

Vt credidisti, fiat tibi. &, Fiat tibi sicut uis. Qui audit
sermonem meum, & credit ei qui me misit, habet uitā
eternam, & in iudicium non uenit, sed transiuit
de morte ad uitam.

Itaq; si propriè, & iuxta scripturā loquendum sit,
neq; fide dicemus, nec alijs nobis donatis uirtutibus
applicari nobis, & cōmunicari iustitiam & meritum
Christi, sed fide illam nos recipere: spe illa niti, & ex-
pectare ut perficiatur cœpta in nobis propter hanc iu-
sticiam Christi, regeneratio. charitate uerò nos in Deo
acquiescere, eo oblectari, eumq; colere, & omni ob-

seruantia demereri.

vt spes ex fide.
 Etenim cum fide iustitiam istam Christi, & in ea gratiam Dei, & uitam æternam apprehendimus, iamque habemus, & tenemus credendo Euangelio, per eundem adoptionis & inuolutionis nostre spiritum, quo istud firmiter credimus, existit ac perstat in animis nostris etiam spes illa, qua speramus & expectamus ceptam nostri regenerationem esse per eundem Christum Dominum perficiendam, & plenam creditam atque speratam, iamque etiam reipsa in nobis inchoatam communionis cum Deo, uitamque beatam perfectam fructum nobis conferendam. Est enim fides substantia rerum sperandarum: est, qua, ut Paulus scribit, stamus, & gloriamur sub spe gloriæ Dei, ad eam scilicet certam, hanc gloriam, qua ex se omnes homines desituuntur, sicut ex parte nobis est communicata, ita plenam quoque esse nobis communicandam, ut de ea iam gloriamur, quod non nisi de iis bonis solemus facere, de quorum possessione & fructu securi sumus, & nihil dubitamus.

vt charitas Dei ex fide & spe.

Tantam autem Dei in se charitatem & dignationem, qui certa fide sunt complexi, firmamque fide tenent, indeque solida etiam spe expectant ceptam in se uitam beatam & æternam, eadem Dei charitate & dignatione esse perficiendam, in his idem spiritus adoptionis & regenerationis nostri accendit uerum quoque amorem Dei, & Domini nostri Iesu Christi, quo eum qui eos prior tantopere amauit, uerè redament, in eo que acquiescant, & oblectentur: hocque amore impulsu, magno etiam studio eum celebrent & glorificent, præceptaque eius obseruent, iuxta illud: Qui diligit me, seruat præcepta mea.

Porro quoniam hæc tam præclara & inestimabilia dona Dei, quæ cum uera fide semper inseparabiliter

rabiliter coherent, dona & effecta sunt spiritus sancti, spiritus fidei, spiritus adoptionis, & innovationis nostri, quam Deus ex sua ultronea misericordia, propter iustitiam & meritum filij sui in nos effundit, tam opulente, ut iustificati illius gratia, hæredes simus secundum spem uitæ æternæ: ut Apostolus Tito suo scripsit: hac de causa, possit forsan aliquo modo dici, Tit. 3. quod iustitia & meritum Christi applicentur nobis, & comunicentur per hæc tanta Dei dona, dum scilicet ea nobis conferunt. Propter unam enim hanc Christi iustitiam & meritum, istas in nobis nouæ & cœlestis uitæ uirtutes spiritus Dei efficit. Sed cum ista iustitiæ Christi & meriti applicatio, communicatio, & participatio in his donis, quod quidem ad ea in se attinet, sit magis in effectis suis quam in se ipsa, & sit ex parte, propterea quod & hæc uirtutes in sanctis dum hic uiuunt, ex parte adhuc sunt & imperfectæ, non congruit satis iustitiæ Christi solidè prædicandæ, dicere quod ea nobis his uirtutibus applicetur. Innuitur enim hac loquendi forma, has uirtutes aliquid huc conferre, ut nobis hæc Christi iustitia comunicetur, & ipsa in se, non tantum in effectis suis. In omni autem uero & graui sermone, ambigua uerba ut scopuli quidam uitanda sunt: eo magis cauere debemus, ne in prædicanda iustitia & merito Christi, ambiguum sermonem adhibeamus, qui rapi possit ad obsecrandam gloriam Christi, & debilitandam fiduciam piarum conscientiarum in Christum.

Dicamus igitur secundum scripturas Dei, iustitiam Christi & meritum applicari nobis & impartiri à Deo ex ipsius ultronea & omnino gratuita misericordia, & applicari per spiritum, uerbum, &

& sacramenta Christi: fide autem recipi, apprehendi, teneri, & haberi. Spem uerò & fiduciam hac niti & sustentari, charitatem ea frui, eamq; colere.

REPLICA SECUNDA COLLOCUTORVM
paris alterius.

ETiam spe & charitate iustitiam & meritum Christi amplectimur & tenemus, igitur dici debet & his nos iustificari. Spes enim hac nititur, & charitas hanc complectitur ac tenet.

RESPONSIO COLLOCUTORVM CON-
fessionis Augustinæ.

Quid spes
præcise.

Spes cum à fide distinguitur, est propriè illud spiritus sancti donum, qua certo & æquo animo expectamus perficiendā in nobis apprehensam fide adoptionem. Quæ spes sanè uno Christi merito & iustitia nititur, sed quæ iam sit fide comprehensa, & teneatur. Vnde Paulus Ephes. 3. In quo habemus confidentiā, & accessum in fiducia ea, quæ est per fidem. Itaq; constat per fidem *ἡ ἐπιδοσις*, id est, fiducia de misericordia Dei, & hac fiducia accessus ad Deū, & quia quædam audacia, id est, *ἡ ἀσφοδία*.

Quid dile-
ctio Dei
præcise.

Ita & charitas in Deum donum est, quo Deum & eius in nos charitatem in Christo complecti nunc, eamq; fruimur, & colimus eam, persuasi scilicet quod nos ipse prior dilexit, & in gratiam filiorum recepit. Nec enim tāta sibi quisquam de Deo beneficia queat polliceri, aut ab eo sperare, nec Deum & Christum propter hæc, ut par est, diligere, nisi qui iam fide uera credat Euangelio, quo ista nobis Dominus sua beneficia offert, credatq; Domino ipsi, qui per Euangelion ista promissit & obtulit.

Hac itaq; de causa quod gratiæ Dei, & iustitiæ Christi prima apprehensio, ex qua spes in Deum existit et
susti-

sustinetur, charitas acceditur, & fouetur omnino, fidei *Laudes fl.*
 est, sic ut fidei tam multa tribuatur prophetae, Christus & dei.
 Apostoli: dicantque nos fide, uel per fidem, uel ex fide *Rom. 3. 4.*
 iustificari, saluari, recipere remissionem peccatorum, *5. 10.*
 & sortem inter sanctificatos, accipere promissionem spi *Gal. 3.*
 ritus, purificari corda nostra, stare nos in spe gloria *Eph. 2.*
 Dei, habere aditum ad Deum, habitare Christum in *Act. 2. 6.*
 cordibus nostris, custodiri nos in uitam aeternam, uinci *Gal. 3.*
 mundum, sanctos ab initio mundi omnia mysteria sa *Act. 15.*
 lutis hac cognouisse, cuncta pietatis officia perfecisse, *Eph. 3.*
 omnia pericula euasisse & superasse. Item non con- *1. Pet. 1.*
 fundi, qui credit in Christum. Qui credit Dominum *1. Ioan. 5.*
 Iesum Christum esse natum ex Deo, non iudicari, non *Heb. 11.*
 uenire in iudicium, non perire, sed transisse de morte *1. Pet. 2.*
 ad uitam, habere uitam aeternam, saturari omnibus bo- *1. Ioan. 5.*
 nis, omnia a Deo exorare, esse ei omnia possibilia.

Sic praedicat fidem spiritus sanctus in scripturis *Ioan. 6.*
 suis, ei que tribuit simpliciter liberationem a peccato, a *Matth. 17.*
 potestate satanae & omni malo, perceptionem spiritus *et 21.*
 sancti, fiduciam in Deum, amorem & studium Dei,
 soliditatem spei, satietatem omnium bonorum, & ui-
 tam aeternam.

Quid igitur causae sit, cur non libeat in praedican- *Impia au-*
 da fide imitari os Domini: unde haec fiducia ingenij *dacia homi-*
 nostri, ut audeamus corrigere linguam spiritus sancti, *nis putare*
 & putemus religioni Christi nos melius consulturos, si *se posse de*
 nostris, quam ipsius uerbis, prima huius dogmata tra- *iustificatio*
 damus & eloquamur? Cum tamen ex re ipsa uidea- *ne loqui*
 mus, non posse nos de hoc nostrae iustificationis myste- *melius quam*
 rio magis apposite & proprie loqui, quam si his ipsis *Christum*
 loquendi formis utamur, quibus usus est Dominus *ipsum et*
 noster. ipsum patris uerbum & sapientia. *apostolos,*
id est spiri-
tum san-
ctum.

Legimus quidem in libris ueteris instrumenti, si-
 D d dutiae

Quæ fiducia
in Deum tra-
dantur.
Pſalm. 2.
Pſal. 22. 25. 31.
Pſal. 28. & 38.
Ieremiah. 17.

Ieſa. 40.

Quæ fiducia
& ſpei in De-
um tribuuntur
in ſcripturis.
Fiducia &
ſpes fide con-
ſiſtit, fideique
eſt prima gra-
tiæ apprehen-
ſio.

Rom. 4.
Exod. 14.
1 Paral. 5.
2 Paral. 16. 20.
Pſal. 78.
Num. 14. 20.
Deut. 1.

Pſalm. 78.
Quæ tribuuntur
timori &
dilectioni
Dei.

De timore
Domini, Deu-
ter. 4. 6. 10.
Pſal. 15. 25. 31.
34. 85. 145.
Prouerb. 1. 9.
10. 14. 19. 22.
De dilectio-
ne Exod. 20.
Deut. 6. 10.
Iof. 23.
Pſalm. 51. 42.
Prouer. 4. 8.

ducia & ſpei in Deū multa attribui, quæ & fidei attri-
buuntur, uti ſunt illa. Beatos eſſe qui confidunt in Do-
mino: Non pudeſcieri qui ſperant in Domino, exaudi-
ri hos, & adiuuari à Deo, placere Domino, qui time-
ant eum, & ſperant ſuper miſericordia eius: fructū fer-
re eos bonorum operum uberrimū, cuncta eis ſœlici-
ter ſuccedere, eſſe ceu arbores trāſplantatas ad aquas,
& bene radicatas, quorum folia ſemper uireant, & quæ
fructum ferre non deſinant. Mutare robur, aſſumere
pēnas ſicut aquilas, Currere, & nō laborare. Hæc ſane
ut fidei, ſic etiam ſpei & fiducia in Deum tribuuntur.
Certum autem eſt, primū ſpem iſtam & fiduciam, ſi-
de totam exiſtere & conſtare, nec poſſe fidei uiuæ un-
quam deeſſe. Qua de cauſa utruꝝq; uerbum, credēdi
& confidēdi, alicubi pro eodem uſurpatur, ut Pſalm.
78. Non crediderunt Deo, & nō ſunt conſiſi ope eius.
Deinde negare nemo poteſt, primam gratiæ apprehen-
ſionem & receptionē, etiam in Veteris inſtrumenti li-
bris attribui fidei, ut Paulus ex Abrahamæ patris creden-
tium exemplo clariffimè demonſtrat. Sic etiam totius
populi Iſraelitici ſalutem ſcriptura totam in fide ponit,
qua ille Domini uerbis, & promiſſis ipſi per Moſen &
Prophetas oblati credebat, omnemq; eius perditio-
nem in eo, quod hiſ non credebat.

Attribuitur in ſcripturis etiam timori, obseruan-
tia, ſtudio, & dilectioni Dei, uita, ſalus, Dominiq; be-
nedictio. Sed id quatenus & in hiſ Dei donis uis exi-
ſtit fidei, credentis uerbo Domini, indeq; reuerentis
eum, & omnia ab eius ultronea bonitate petentis, in
ipſoq; acquieſcentis, & ſeſe oblectantis. Nec enim, ut
dictum eſt, & ut ſentit quiſq; pius in ſeipſo, Deum ut
patrem reuereri, amare, aut colere quiſquā poteſt, qui
non ſit ex uerbo Domini de eo perſuaſus, & quod ſit
Deus.

Deus, & quod sibi quoque esse uelit Deus & pater, propter filium suum Christum.

Quandoquidem igitur ista ita se habent, & uideamus Dominum nostrum Iesum Christum ubique in Euangelicis & Apostolicis scriptis, fidem, qua ipsi salutem nobis per Euangelium suum offerenti, uere credimus, suo ipsius, & Apostolorum suorum ore tantis prædicare laudibus, testarique nos per hanc reconciliari Deo, accipere remissionem peccatorum, absolui à peccatis: id est, iustificari, saluari, sortem recipere inter sanctificatos, adoptari & regenerari, currodiri in salutem, & habere uitam æternam: quid causæ afferemus, unde uel suspicari liceat, posse nos mysterium nostræ iustificationis alia docendi & loquendi ratione tradere melius, & certius explicare? Nouit enim & Dominus quàm inseparabiliter coherant fidei ueræ, spes, charitas, & omnes uirtutes: nouit quàm sint hæ omnes uirtutes ad salutem necessariæ, quàm etiam gratæ sibi & preciosæ, quanta que illas uelit mercede ornare: tamen iustificationem nostri, & uitam æternam simpliciter, non spei, non charitati, non ulli uirtuti, nec omnibus simul addicit, sed fidei. Voluit enim hac tanta fidei in se commendatione animis nostris altius infigere, mentesque nostras in hanc cogitationem potentius erigere, & in ea firmiter detinere, quod per ipsum unum uenire nos ad patrem oportet, quod unus nobis redemptor est, & propiciator, unus agnus & uictima illa, qua peccata mundi tolluntur: unus qui factus nobis est à Deo sapientia, iustitia, sanctificatio, & redemptio: ut quemadmodum scriptum est, Qui gloriatur, in & Domino gloriatur. Nemoque suam statuat iustitiam, iustitiam quæ est ex lege, quam nos præstare ualeamus,

Christus suo,
& Apostolorum ore, omnia fidei tribuit prima

Vita æterna simpliciter as tribuitur fidei, non spei aut charitati. Cur Dominus fidei simpliciter tribuit, quæ quodammodo & spei sunt. Rom. 3. 1. Ioan. 2. Ioan. 1. 1. Cor. 13.

Rom. 10.

mus legi obtemperantes, etiam gratia adiuti. Nemo fidem ipsam, nemo spem aut charitatem pro iustitia sua habeat, sed ut hæc omnia pro nihilo & damnis ducamus, ut Christum lucrifaciamus, & inueniamur in ipso habentes non nostram iustitiã quæ ex lege est, sed eam quæ per fidem eius habetur iustitiam, quæ est ex Deo, quæ est in fide, ut cognoscamus ipsum, & virtutem resurrectionis eius, & communionem afflictionum eius, ut conformes fiamus morti eius, quò & in resurrectionem mortuorum occurramus.

Hæc qui perpenderit sincero & Christiano animo, is facile cognoscet, nullam sanè causam esse à nobis quidem, ut quisquam de eo nobiscum deceret, quod ad salutem nostram necessariae sint, & spes & charitas & cætere uirtutes, aut quod sint hæc uirtutes maxima & inæstimabilia. Christi dona, per ipsius nobis iustitiam & meritũ impetrata & collata: aut quod his quoque iusti simus iustitia, quam Deus & approbat, & amplissimè remuneratur. cuiusq; etiam officijs dignatur nostram salutem, id est nostri ad imaginem suam reformationem indies augere & perficere. Ista enim omnia ultro agnoscimus & prædicamus, ut qui studeat diuinitate. Id uerò est quod contendimus, quod ut gemus, in quo laboramus (idèq; nulla alia de causa, quàm ut Christo Domino suam gloriam adseramus, & pijs conscientijs fiduciam certam salutis confirmemus) hæc dona Dei, & opera Christi in nobis, has quamlibet ad salutem necessarias, præcellentes, planeq; diuinas & pergratas Deo uirtutes, & cum his fidem ipsam per se, non esse eius, nec meriti, nec gratiæ apud Deum, ut propterea ipse peccata nobis condonet, sortem filiorum deferat, uitam æternam rependat (ex parte enim sunt hæc uirtutes, imperfectæ sunt, legi q; Dei ut di-

In quo consistat hæc controuersia.

ut dictum iam saepe est, dicendumque identidem, non satisfaciunt) sed unam esse omnino gratuitam misericordiam Dei ex qua, & unam Christi iustitiam propter quam nobis peccata remittuntur, adoptio in filios Dei offertur & confirmatur, uita aeterna addicitur, inque nobis inchoatur & perficitur. Cum itaque hanc Dei misericordiam & Christi iustitiam, fide, qua Euangelio quo illa nobis offertur certo credimus, primum amplectimur, apprehendimus, tenemus, habemus, Christus ipse & Apostoli eius, & Ecclesia uere apostolica, dicunt merito nos iustificari, & saluari, sortemque accipere inter sanctificatos, non spe, non charitate, non tota iustitia cunctis uirtutibus constante, sed fide.

Et spes, & charitas Deum quodammodo complectuntur, sed primum fides.

Ut enim & amor Dei Deum suo quodammodo complectitur, & spes quoque, ut quae illo nititur, omnesque aliae uirtutes, quibus ut recte sancteque uiuimus, ita Deum colimus, tamen prima cognitio Dei & Christi Dominum omnique gratiae, iustitiae, & meriti eius apprehensio fit & constat fide: ac ita constat, ut Dominus dicat simpliciter, uita aeterna habere omnem credentem in se. At qui salutis nostrae mysterium, quis possit uerbis eloqui aequè idoneis, & ad aedificandam pietatem appositis?

Ecquid queat in his locutionibus esse obscuri, hominibus pijs duntaxat, & ueritatem quaerentibus cognoscere non oppugnare, & irreligiosis uerbis & sophismatis inuoluere? Eadem enim ratio iustificandi, & in gratiam recipiendi etiam inter homines obseruatur.

Exemplum serui ab herode suo ad supplicium iuste condemnati, & gratuita rursus misericordia in gratiam recepti, & in filium adoptati.

Fac, exempli gratia, seruum aliquem grauiter peccasse herode suo, condemnatumque esse propterea ab illo, & iure ad supplicium: deinde herodem sua ultronea facultate & bonitate misertum huius serui, a se iam iure condemnati, ei per seruum alium adnunciare, se omnis peccati sui ueniam ei facere, & eum simul adoptare

in filium, hæredemq; suum constituere, modò peccati
 eum poeniteat, & credat sibi tantam clementiã & beni-
 gnitatẽ pollicenti & offerenti. Si iam seruus eiusmodi,
 qui erat ab hero suo propter scelus suũ ad supplicium
 condemnatus, nec dubitabat se iamiam ducen dũ esse,
 uerè credat Euangeliũ illud de ueniã ultronea, & obla-
 ta adoptione, sibi ab hero suo uerũ adferri: nunquid si
 mulatq; adnunciatæ clementiæ & benignitati heri sui
 crediderit, percipit, habetq; peccatorũ suorũ remissio-
 nem, & sui adoptionẽ in filiũ heri, iusq; in hereditatem
 eius, atq; ita iustificatus est apud herũ suũ, hoc est, pec-
 cato suo omni absolutus, filiusq; & hæres eius cõstitu-
 tus. Cũq; hæc serui fides, qua oblatam ab hero pre-
 catorum suorũ ueniã, & in filium adoptionẽ recepit &
 tenet, sit solida, & Dñs promissi sui seruans: poterit ne
 hic seruus dubitare, se accepturũ, & fruiturũ (quod qui
 dem ad herũ attinet) quæcunq; fert ius adoptionis, aut
 nõ certa fiducia, & firma spe illa omnia expectare. Aut
 poterit hic seruus, dũ in ista fide & spe, in herũ suũ per-
 stiterit, herũ suũ nõ ex corde etiã reuereri, redamare, &
 colere, quẽ credit scilicet in se fuisse, & esse tam clemen-
 tem, & beneficũ. Quid. Nec remittere etiam amorẽ &
 cultum heri sui seruus iste poterit, siquidẽ & credat fir-
 miter, & consideret continenter, se in horas cõmittere,
 ut rursus ab hero suo abdicaretur, & debito pridem
 supplicio addiceretur, nisi herus sua tam immensa mi-
 sericordiã & bonitate, adoptionẽ ipsi cõseruaret, & ad-
 desset quoq; ei, ne ea rursus peccet, ob quæ abdicare ip-
 sum necesse foret. Qui si sentiat etiã herũ suum se, quo
 in officio suo, & diligentia demerendi eum studiosius
 progreditur, habere indies sibi magis familiarem, seq; ab
 eo collaudari, pluribusq; paternis beneficijs orna-
 ri, & ad pleniorẽ hæreditatis fruitionẽ admitti: et hæc
 om̃a

omnia multo sibi exhiberi ab hero benignius, quam
 ulla sua officia mereant: qui possit seruus eiusmodi un-
 quam in animū inducere, ut offendat herū suū, sui tam
 effusē amantē, et in se adeo benignū, et nō potius totis
 enitatur uiribus, ut hero suo sese per omnia approbet &
 gratificetur in rebus omnibus: Et si quid forsitan admi-
 serit imprudens, aut lapsus infirmitate, quod hero dis-
 pliceat: qui possit nō ob id statim toto animo cōsterna-
 ri, ueracē pœnitētia delicti sui cōmoueri, ueniāq; eius
 ab hero supplex orare, & eo studiosius conari sese ei o-
 mnib. officijs appbare, omneq; porro delictū euitare.

Et in hoc seruo igitur uidere licet, cum fide quidem
 oblatae ueniā, & adoptionis certa, cohærere necessariō
 & fiduciā, & spem bonā in herū, amorem quoq; & ob-
 seruantiam heri, qui ueniā delicti & adoptionē gra-
 tuitō obtulit, huic quoq; officia recepti in gratiam, &
 adoptati serui haberi grata, & ab eo remunerari, ple-
 nioremq; eum indies adoptato seruo fruitionem im-
 partiri hereditatis gratuita sua misericordia & dona-
 ta, & cōseruata, pleneq; olim tradendā: tamē nemo,
 nisi si quem libeat apertae contradicere ueritati, potest
 inficiari, cum disertē planeq; de hoc seruo uelimus lo-
 qui, dicendū esse, eum ueniā peccati sui, & adoptionē
 in filiū, cum primū accepisse, & quotidie accipere deli-
 ctorum condonationē, adoptionēq; retinere, tandēq;
 hereditatē heri adire, fide illa, qua primū offerenti he-
 ro hæc tanta sua beneficia credidit, non uerō obserua-
 tione sua, & studio demerendi herū suum: cum quod
 fidem illam hæc serui obseruantia, & colendi studium,
 cunctaq; eius officia cōsecuta, & ex fide hac nata sunt,
 atq; consistunt: tum etiam quod hæc serui in herum
 suum obseruantia, & cuncta officia, tantam heri be-
 nignitatem haudquaquam possint compensare, le-
 giue herum iustē demerendi satisfacere.

Ecquis

Ecquis possit cum ratione ulla dicere, quod is seruum
 eiusmodi causam daret remittendi studij sui in deme-
 tendo hero suo, qui eum ad hunc modum adhortare-
 tur: Ecce gratiam heri tui, cum esses mortem meritus,
 tantamq; dignitatem, tantas opes, ut eius nunc filius,
 & hæres sis, accepisti sola fide, solo eo quod credidisti
 hero tuo, cum ista tibi per conseruum ultro offerret, ad
 id abs te nulla re prouocatus, nihil enim tu ei præstisti,
 nec præstare potuisti, aut potes adhuc, quod sit par tan-
 te eius erga te misericordiæ & bonitati: accepisti ab eo,
 & accipis omnino gratis tanta eius beneficia. Esto igitur
 tam clementi in te, & bono hero gratus, caue e. in
 unquam posthac offendas, fac officium tuum in rebus
 omnibus summa cura & fide, nec unquam cogites te
 ullum posse heri tui beneficium promereri: sed agno-
 scas semper, quæcunq; ille tibi beneficia contulit, & ad
 huc confert & conferet, ea tibi contulisse, conferre, &
 collaturum, ex sola sua prorsus gratuita in te benigni-
 tate. Indubiè nemo sanæ mentis existimabit seruum e-
 iusmodi ulla posse alia hortandi ratione, & cauendam
 omnem heri offensam, & ad faciendum in cunctis re-
 bus officium erga herum suum inuitari efficacius, &
 accendi uehementius: si modo seruus ille in ea, quam
 ei attribui fide permaneat, ut indubitato hæc de hero
 suo atq; seipso, & credat & cõsideret. Primùm. herum
 suum habere liberum in se ius uitæ & necis, nec se posse
 manum eius effugere. Deinde, se fuisse ab ipso uerè
 iurèq; condemnatum ad supplicium, & hoc ipsum ad-
 huc quotidie mereri, eiq; supplicio se rursus omnino
 subiiciendum, si sciens & uolens herum offenderit.

Iam nos. cum de fide iustificante loquimur, clarè &
 copiosè exponimus, nos loqui de fide ea, quam scrip-
 tura nobis ut iustificatricem & saluatricem cõmendat,
 de fide

de fide, quæ eiusmodi sit spiritus sancti persuasio, quæ homo solide & certo credit, & Deum esse, & ab hoc se propter peccata sua gehennæ in æternum iure addictum: ex infinita autem misericordia sua, propter filium suum, offerre sibi per Euangelion remissionem peccatorum & uitam æternam, si tantum peccatorum suorum ipsum pœniteat, & Euangelio huic credat. Cum iam Deus stet promissis suis, faciatq; credentibus sibi, prout credunt & uolunt: quis non uideat necesse esse, credentem hac fide Euangelio, habere simulatq; crediderit remissionem peccatorum & uitam æternam. Ad fidem autem hanc ilico & necessariò consequi, & spem uitæ æternæ in se perficiendæ, & amorē & obseruantiam in Deum iustificantem. Nec posse deesse huiusmodi credenti ueram peccatorum pœnitentiam, & odium, studiumq; omne peccatum uitandi, & rectè pieq; uiuendi. Deniq; non posse hoc studium in tali homine excitari potentius, quàm si admodum in tali homine excitari, quàm gratuita misericordia Dei, quamq; ingenti charitate, quàm denique acerbo filij Dei supplicio, nullo profus suo merito, sit in tantam Dei gratiam, ad eò diuinam conditionem & dignitatem restitutus, in eaq; conseruetur, eandem que sit plenè demum, decurso huius uitæ stadio, percepturus.

Cùm itaque ista ratio confitendi & prædicandi restitutionis & salutis nostræ mysterium, sit à Domino ipso & apostolis eius usurpata & tradita, rei que ipsi, & communi rectè sentientium & loquentium, cum sensui, tum orationi tam consentanea, solaq; eam ad excitandum, impellendumq; hominem, ut in pœnitentiâ peccatorum, & studio iustitiæ gnauiter progrediatur, efficax: quid tamen causæ fingi queat,

cur repudiari hæc prædicandæ iustificationis nostræ ratio debeat, à filijs quidem Dei, qui ut nati sunt ex Deo, ita uerbum Dei cum libenter audiūt, tum etiam intelligunt, & sequi religiose in omnibus student.

ARGVMENTI COLLOCVTORVM ALTE-
rius partis solutio in breuia contracta.

Sed ad argumentum Collocutorum, quod huiusmodi est. Dicitis, inquit, hominem eo iustificari quo gratiam Dei, & iustitiam Christi amplectitur & tenet: amplectitur autem hanc etiam spe, & charitate, non fide sola. Et his igitur uirtutibus iustificari hominem dicendum est, non fide sola.

Ad hæc nos sic respondemus & ad Maiorem: Eo dicimus cum Apostolo (cum sermo est de principe iustificatione, quam ille iustificationem uitæ uocat) hominem iustificari, quo ille gratiam Dei, & Christi iustitiam primùm apprehendit & cõplectitur, non quo simpliciter, aut quouis modo.

Ad Minorem ergo dicimus: Nos quidem gratiam Dei, & iustitiam Christi, etiam spe & charitate modo quodam complecti & tenere, sed non primùm. Deinde & hoc dicimus: Virtutes istas, spem, charitatem, ac cæteras, quatenus Christi iustitiam complectuntur, nisi fide, & in ipsa quodammodo fide contineri. Eo quod cū fidei sit ut fidei, hoc est, ut hæc certò assenti Euan- gelio, gratiã Dei & Christi iustitiã primùm apprehendere, optimum hæc eloquendi & docendi artificem Christum ipsum, & Spiritũ sanctum, iustificationem nominatim & simpliciter attribuire fidei, & nusquam uel spei uel charitati. Nec ergo id in nobis reprehendi potest, à filijs quidem Dei, quod confitendo, & prædicando hoc iustificationis nostræ mysterium, hunc unum

tinum & optimum ista mysteria eloquendi & prædicandi magistrum sequimur, Dominum nostrum Iesum Christum, & quem misit alterum paraclētū, spiritum sanctum, spiritum ueritatis, qui in omnem ueritatem inducit, quā commodissimē & efficacissimē.

COLLOCVTORVM ALTERIVS PARTIVS
replica tertia.

Fatemini, inquebant, spem & charitatem, aliasq; his connexas uirtutes, fidei iustificanti necessariō coherere, & in hac etiam quodammodo includi: tum esse inæstimabilia dona Dei in iustificatis, & pergrata Deo, idq; adeō, ut ea Deus amplissima mercede remuneretur. Nulla igitur ratio est, ut has uirtutes à fide seungatis in iustificatione hominis.

RESPONSIO COLLOCVTORVM CONFSSIONIS
Augustinæ.

Hoc argumentū si cōcludere debeat, duo hæc pronuntiata uera sint oportet. Primum, cum rei cuiusdam res altera necessariō coheret, & quodammodo in ea continetur, quicquid illi rei ut proprium tribuitur, id tribuendum etiam est ei rei, quæ illi coheret necessariō, & in ea quodammodo includitur. Alterū: Quæcūq; alicuius principis hominis præclara dona sunt, pergrataq; adeō donanti, ut ea alijs quoq; donis remuneret, ea adducunt eos, quibus princeps ipsa confert, in gratiam eius, & his ijdem percipiunt primū ueniam eorum delictorum, quibus principem offenderint. At neutra harum propositionum est in uniuersum uera. Animal enim rectē uiuēs necessariō sentit, & uis sentiendi in anima, qua uiuit animal, quodammodo continet: tamen rectē dicitur, animal anima uiuere, & malē, uiuere sensu. Ita cognitioni rei alicuius, quæ res sit homini per se bono (siquidem ea cognitio

solida sit) cohaeret necessariò eiusdem rei expeditio, & quodammodo in cognitione eius rei continetur, tamen dicimur rectè naturā & bonitatē cuiusq; rei percipere intellectu & cognitione, non uoluntate, sed uoluntate eam expetere & persequi.

Ita quanquā cohaeret necessariò fidei uiuæ in Christum, & spes in eum, & amor studiumq; eum demerendi, tamen sicut Deus gratiam suam, & Christi filij sui iustitiam, atq; ex hac nostri cum patre conciliationem, offert primùm uerbo Euangelij sui, ita etiam fide huius uerbi primùm hanc conciliationem & gratiam percipimus atque complectimur: spe effectum huius reconciliationis, nostri nouationem, plenamq; ad imaginem Dei restitutionem expectamus; amore uerò Christo Domino, & patri tam benefico in nos conglutinamur, eumq; omni studio colimus.

Ita si quis ab aliquo principe homine ampla donata ceperit, ea quidem argumento sunt, ita munificè donatum à principe, ualere gratia apud principem, tamen non rectè dicitur eum his donis esse à principe primùm in gratiam receptum, sed cum ab eo fuisset in gratiam receptus, sic esse ab eo munificè donatum. Bono autem gratoq; usu eorum beneficiorum, quibus ille à principe est donatus, potest effici, ut principis in eum beneuolentia augeatur. Ita uirtutes praeclara Dei propitij & beneuoli dona sunt, & demonstrant nos ipsi esse gratos charosq;: at ut grati chariq; ipsi simus, efficit eius ultronea misericordia, & iustitia perfecta Christi, quam fide primùm complectimur. Manetq; ita semper uerum, nos fide sola, id est, solo eo, quo gratiam Dei, & iustitiam Christi oblatam Euangelio primùm recipimus & amplectimur, iustificari: siquidem iustificari cum Apostolo pro ab-

solui

solui peccatis, & recipi in gratiam, accipiamus.

At si eo significatu hoc uerbum accipiatur, quo illud sancti patres aliquādo usurpant, ut significet donari iustitia inhaerente, confessi antè sumus non rectè dici, iustificari hominem sola fide, quia iustitia ista inhaerens in sanctis, non constat fide tantum, una scilicet uirtute, sed uirtutibus simul omnibus.

Collocutores isti multum uerborum & temporis insumpserunt istis duobus argumentis. Cæteras uirtutes hominibus ad salutem esse necessarias, & esse præstantissima Dei dona, quibus grata Deo iustitia constet. Sed neque ex harum uirtutum necessitate, neque ex earum præstantia concludi potest apud Christianos, quod his uirtutibus iustificationem, id est, peccatorum remissionem, & in gratiam Dei receptiōnem, uel mereri quisquam possit (nec enim satisfaciunt legi) uel primùm apprehendere & complecti: fide enim & hanc cum Deo reconciliationem, & ipsas alias uirtutes primùm recipimus.

Domini igitur Collocutores, dum in ista uerbi iustificari significatione defixam mentem habebunt, ut in eo semper cogitent inhaerentis iustitię collationem, ut habere uidentur, mirum non est, si eis insolentes adeò uidentur magnificæ illæ fidei laudes, quas tamē nos, nō ex nostris cōmentis, sed ex uerbis Domini, & Apostoli proferimus. Sed nō solum ista uidentur illi in uoce iustificari, impediri, uerū etiā in uoce fidei: & in hac duplici, nam & mortuam fidem hoc nomine intelligunt, cum Dominus & Paulus, in hac de iustificatione doctrina, tātum de uiua fide loquantur. Deinde quando Paulus dicit, nos iustificari fide, accipit uocem fidei passiuę. Collocutores uerò intelligunt eam actiuę: hoc est, cum Paulus intelligit, nos

*Triplici d. uocem uia im
pediuntur
aduersarij.
Iustificari
enim acci-
piunt, pro
donari iusti-
tia, cum
Paulus pro
remitti pec-
cata & re-
cipi in gra-
tiam. Et si-
de pro mor-
tua fide, cū
Paulus tan-
tum pro ui-
ua. Et fide,
uel per fidē
intelligunt
actiuę, cum
Paulus id
passiuę acci-
piat.*

fide iustificari, ut eo, quo iustificationem nostri à Deo fide recipimus & amplectimur: Collocutores nostri intelligunt, iustificari nos fide, pro eo quod est donari fide, ut uirtute, & parte iustitiæ: sicut quis dicitur fieri doctus recipiendo doctrinam, fieri prudens recipiendo prudentiam. At Dominus & Paulus nō hac significatione dicunt nos fide, uel per fidem iustificari, & saluari, sed quod, ut dixi, fide, uel per fidem, ipsi credimus offerenti remissionem peccatorum: atq; credendo, hanc & sortem inter sanctificatos recipimus & cōplectimur. facit enim Dominus nobis ut credimus.

REPLICA COLLOCUTORVM

partis alterius.

Monstrosum quiddam sonat, hominem iustificari iustitia aliena, & nō sua potius, quam ipse habeat. Iustitia autem quam homo ipse habet, constat fide, spe, & charitate, non sola fide. Vt quis igitur iustificetur, etiam spes requiritur & charitas.

RESPONSIO COLLOCUTORVM

Confessionis Augustinæ.

Admissa Maiore, dicimus ad Minorem, id quod identidem dici necesse est: Credens Christo habet duplicem iustitiam, & Christi, propter quam à Deo in gratiam recipitur, & in se inchoatam per spiritū sanctum, quæ recepto in gratiam confertur: Illam accipit & habet fide tantum, hanc fide & re ipsa, quanquam imperfectam: Illa cōpinitur, confidens de gratia Dei: hac minime, non enim satisfacit ista legi Dei.

REPLICA V.

Donis gratiæ diuinæ amplissimis debēt pñ quoddammodo fidere: fides, spes, & charitas, in quibus iustitia sanctorum hic constat, sunt amplissima

*Iustitia
Christi quo
modo habe
tur.*

Nota

lima diuinæ gratiæ dona. Igitur illis aliquo modo p̄i debent fidere.

R E S P O N S I O.

Ad Maiorem. Scriptura dicit: Beatus qui confidit in Domino. & Maledictus qui confidit in homine. Iesaias orans pro se & uniuerso populo, in quo plurimi erant eximia iustitiæ præditi, imo docens totam ecclesiam sanctorum ad Deum pro restitutione ipsius orare, tamē dixit Domino Deo suo, apud quē uera tantum dicenda sunt: Et facti sumus ut immundi omnes nos, & quasi pannus menstruatae omnes iustitiæ nostræ. Omnes inquit. quia collatae legi Dei, immenso adhuc interuallo cunctæ nostræ uirtutes absunt ab ea perfectione, quam Deus à nobis in lege sua iure suo requirit.

Sunt quidē ueræ uirtutes, ut præstantia dona, ita signa etiā diuinæ in nos beneuolentiæ, & manētis in nobis spiritus adoptionis documenta: & hæcenus quoq; non immeritò sunt nobis solatio, & erigunt mentes nostras, atq; in fiducia misericordiæ & gratiæ Dei firmiores & alacriores faciunt. ea ratione, quæ est expressa supra. Tamen non ipsis, ne quodammodo quidem, sed Deo uni fidendū est omni modo, qui etiam orandus est, ut de iustitiâ perfecta filij sui, imperfectū iustitiæ nostræ uelit supplere.

R E P L I C A V I.

Iohannes scripsit capite tertio: Dilecti, si cor nostrum nos non condemnat, fiduciam habemus ad Deum, & si quid petamus, accipimus ab ipso, quia præcepta eius seruamus, & quæ ipsi placent facimus. Hic Apostolus tribuit fiduciam illis, qui iustitiam habent in se inchoatam, qua mandata eius seruant, & faciunt quæ placent Deo. Igitur fide, spe, &

An fidendū
donatis à
Deo uirtu-
tibus.

Iesaiæ 64.

& charitate, per quas uirtutes seruamus mandata Dei & facimus quæ ipsi placent, fidendum est sanctis, uel quodammodo.

Quid *παρρησία* ad Deum?

R E S P O N S I O.

παρρησία inquit Apostolus habemus ad Deum, non de nostra iustitia, *παρρησία* enim est huic Apostolo sicut & Paulo, pia illa libertas & audacia adeundi, & inuocandi Deum, & opem eius implorandi, nitens fide & fiducia Christi. Id quod cognosci abundè potest, cum ex hoc ipso loco (subijcit enim, Si quid petimus, accipimus) tum ex illo Pauli ad Eph. 3. In quo (de Christo loquitur) habemus *παρρησίαν καὶ προσευχήν ἐν πεποιθήσει, τῇ Δεῖξι πείρας αὐτοῦ*, id est, audaciam & aditum ea fiducia quæ est per fidem eius. Ecce fide Christi nititur fiducia, fiducia aditus ad Deum, & ad adeundum Deum *παρρησία*, id est, audacia. Et ad Hebræos. Si *παρρησίαν* & gloriationem spei retineamus firmam usque in finem. En spe nititur gloriatio nostra, & gloriandi de Dei gratia *παρρησία*. Et ibidem 4. Non habemus summum sacerdotem, qui non possit nostris infirmitatibus compati: sed tentatum per omnia secundum similitudinem, sine peccato. Adeamus igitur thronum gratiæ cum audacia, id est, *μετὰ παρρησίας*, ut accipiamus misericordiam, & inueniamus gratiam ad opportunum auxilium.

Dicimus igitur primùm *παρρησίαν* hic significare piam illam adeundi Deum, & opem eius implorandi audaciam nitentem fide, & fiducia iustitiæ Christi, non nostræ: non fiduciam, qua sancti fidere debeant uirtutibus sibi à Deo donatis, quantumuis illæ excellent.

Audacia ad Deum.

Deinde quicquid fiducia per hanc uocem hoc in loco libeat intelligere, tamen constat loānem dixisse, habe.

habere nos fiduciam ad Deum, ad quem certè nemo pius dicet nos, quantiscunq; uirtutibus præstemus, peruenire posse nisi per Christum, & eius iustitiam. Nihil igitur hinc potest concludi de fiducia collocanda in donatas nobis à Deo uirtutes.

Tertio, ponit Apostolus inter mandata, quæ cum facimus, *καὶ ἐπινοίαν* illam habemus, præceptum fidei primo loco. Et mandatum, inquit, ipsum est, ut credamus nomini filij eius Iesu Christi & diligamus inuicem, quemadmodum dedit mandatum. Docet igitur *καὶ ἐπινοίαν* istam, de qua hic loquitur, maximè niti fide ipsa, qua nitimur nomine Domini nostri Iesu Christi, quo uno fundamento tota salutis fiducia consistit, & sustentatur, præter quod nullum aliud potest poni. Unus enim est ille summus angularis lapis, & fundamentum, sicut apostolorum & prophetarum, ita sanctorum omnium, ad hoc in Sion positus, ut qui ei credat, solidaq; fide nitatur, confundi non possit.

Quarto, adiunxit Apostolus & istud: Seruās mandata eius, manet in illo, & ille in ipso. Et in hoc cognoscimus, quod manet in nobis, ex spiritu eius, quem dedit nobis. Quo Apostolus perspicuè ipse explicat, quomodo dicat audaciam illam erga Deum existere ex obedientia præceptorum Dei, nempe quod ex hac, ut indubitato spiritus sancti in nobis manentis fructu, cognoscimus hunc ipsum spiritum, nobis, ut credidimus, infusum, manere adhuc apud nos. Qui spiritus is est, qui nos de misericordia Dei, & redemptione Christi omnino certos & fidentes facit. Est enim is, qui nostro spiritui testimonium præbet, quod filij Dei sumus. Si uerò filij, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chri-

Fidei præceptum primum.

1. Cor. 3.
Ephes. 2.
1. Pet. 2.

Obedientia præceptorum Dei opus spiritus sancti, de cuius præsentia testatur. Spiritus autem certos reddit de salute.

sti. Et hunc spiritum accepimus, non quia mandata Dei fecimus, aut facimus, sed quia adoptati sumus à Deo in filios, hancque adoptionem accepimus, quia Christus nos à peccatis redemit, & cum patre reconciliauit.

Quæ omnia diuus Paulus cum alijs, tum ad Galatas 4. pulcherrimè prædicat. Quando uerò, inquit, uenit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege sunt, redimeret, ut adoptionem accipiamus. Quia uerò estis filij, misit Deus spiritum filij sui in corda nostra, clamantem Abba pater. Ecce initium salutis nostræ facit charitatem illam patris cœlestis immensam, qua filium suum dedit, ut non pereat, sed habeat uitam æternam, quicumq; in eum crediderit. Proximum redemptionem nostræ, factam per oblationem Christi: tertio nostræ adoptionem: quarto spiritus sancti in corda nostra missionem: quinto Dei patris inuocationem, quam nulli in nobis uirtuti, sed spiritui sancto ipsi attribuit: ille enim clamat in nobis, Abba pater.

Inter hæc fuerunt etiam nonnulla uerba cõmunicata de uerbo, niti, eo quòd dixeramus, uirtutibus quidem reddi nos de gratia Dei erga nos, & uita Christi in nobis, quodammodo certiores, fiduciaq; diuinæ beneuolentiæ confirmatiores atq; alacriores, id quod diuus Ioannes per $\omega\alpha\beta\beta\eta\theta\iota\sigma\chi\upsilon$ intelligit. Diximus itaque nos, cum negamus nitendum esse donatis à Domino uirtutibus, intelligere, fiduciam salutis non esse in illis ponendam: ut ea scilicet in his consisteret. Cum enim imperfectæ in nobis sint omnes uirtutes, & legi Dei, quandiu hic uiuimus, nunquam satisfaciunt, necesse esse, ut de his omnibus animam de-

spon-

Ordo no-
stra repa-
rationis.

Quo Chri-
stiano nitè-
dum.

spondeamus, omnem salutis fiduciam in iustitia Christi totam collochemus, & constituamus, in qua una illa potest solide consistere. De quo chorus omnium sanctorum psalmo 71. Tu es expectatio mea ô Domine. Dominus est fiducia mea à puero. Te nixus & sustentatus sum ab utero, à visceribus matris meæ, tu extractor meus, de te laus mea semper. Et Paulus: Quod nunc uiuo in carne, in fide uiuo ea, quam habeo in filium Dei qui dilexit me, & tradidit seipsum pro me. Non abiicio gratiam Dei. Planum igitur est, omnem fiduciam salutis consistere oportere iustitia Christi in ipso perfecta, quam imputatam nobis fide apprehendimus, complectimur & tenemus, non ea quæ est per spiritum eius in nobis inchoata.

REPLICA IIII. COLLOCVTORUM alterius partis.

Absurdum & Deo indignum est, tribuere ei quod homini peccatum non imputet quod habet, & imputet iustitiam quam non habet. Iustum enim, & secundum ueritatem est iudicium eius. Iustitiam autem Christi homo non habet, ut dicitis: quomodo igitur conueniat iusto Dei iudicio, ut peccatum homini non imputet, quod illi inest: filij autem sui iustitiam imputet, quæ in eo non est.

RESPONSIO.

Ad Maiorem. hanc primum simpliciter negamus. Nec enim potest esse absurdum, aut indignum Deo, id ei tribuere, quod ipse sibi tribuit, & ducit sibi laudi. At spiritus sanctus in Dauide & Paulo hoc tribuit Deo, quod iustitiam filij sui credentibus imputet, & peccatum eis non imputet, quod tamen dum hic uiuunt, habent, cum in se inhabitans

Peccatum
semper san-
ctis inhæ-
ret, & ori-
ginale &
actuale.

Rom. 7.

1. Ioan. 2.

Vt peccatū
propriū nō
imputetur,
& iustitia
Christi im-
putetur.

Fidē impu-
tari in iusti-
tiam, pro-
pter obie-
ctū fidei di-
citur, non
propter fi-
dem in se.

originale, tum illicito uel dicto, uel facto, uel cogi-
tatu, aut officij præteritione commissum actuale. Et-
enim & Paulus queritur in se inhabitare peccatum.
Et Ioannes se & omnes sanctos mendaces pronun-
ciat, si unquam dum hic uiuunt, dicant se peccatum
non habere. Tum scribit idem Paulus ad Romanos
quarto.

Non operanti uerò, sed credenti in iustificantem
impium, deputatur fides eius ad iustitiam: quemad-
modum & Dauid beatificationem hominis dicit, cui
Deus imputat iustitiam sine operibus. Beati quorum
sunt remissæ iniquitates, & quorū tecta peccata. Bea-
tus uir cui non imputat Dominus peccatum.

Ecce idem spiritus sanctus dicit peccatum sanctos
semper habere, & tamen illud eis non imputari: & im-
putari iustitiam, quam non fecerunt ipsi, sed Chri-
stus pro eis. Hæc enim iustitia est, quam Deus im-
putat credentibus sine operibus, cum credūt Christo.

Quod enim Paulus scribit, Credenti in iustifican-
tem impium, atque ita se impium confitenti, fidem
imputari ad iustitiam, id non sic accipiendum est,
quod fides ipsa in se, quæ accommodatur Euange-
lio, atque per hoc ipsi iustificanti impium Deo, re-
putetur ei pro iustitia, (qua scilicet ita iustus sit, ut il-
li Deus propter hanc iustitiam uitam æternam da-
turus sit. Est enim, ut saepe iam diximus, etiam hæc
fides ex parte, & legi Dei non satisfacit) sed est ita
intelligendum, quod fides deputetur pro iustitia,
quatenus illa apprehendit, atque ut suam, amplecti-
tur iustitiam Christi. Nam Dominus simulatque im-
misso spiritu fidei, dat homini credere Euangelio
suo, in quo offert remissionem peccatorum, & com-
municationem iustitiæ Christi sui, facit etiam illi ita,
ui

uti dat ei credere, remissionemq; peccatorum & iustitiam filij ilico impertit: hoc est, peccatum, tam quod ei adhuc inhæret, quam quod continenter admittit, non imputat, (dat enim ueniam omnis peccati) & Gal. 3. Christi filij iustitiam imputat, induens eum filio suo, Eph. 3. & gratum faciens in filio suo dilecto. In hoc enim fecit filium suum, qui peccatum nullum nouit, peccatum, id est, hostiam pro peccato, ut nos iustitia Dei efficeremur, sed in ipso Christo Domino, non in nobis, nisi inchoatè & imperfectè.

Deinde ad ampliorem explicationem huius mysterij respondemus etiam hæc ad Maiorem. Deum, iustus cum sit, & uerum iudicium eius, non imputare homini, quod nullo modo habet, nec non imputare, quod omnino habet. Reconciliamur quidem Deo per sanguinem, id est, obedientiam, atque iustitiã Christi, cum adhuc impij & inimici Deo sumus: sed simul atque afflatis spiritu fidei, datum est fide hanc reconciliationem excipere, iam nec impij, nec inimici Deo sumus. Non habemus quidem in nobis iustitiam, quam lex requirit perfectam: cum autem Christo Domino credimus, qui istam iustitiam perfecit, ea nobis propter ipsum imputatur, & nostra sit, habeturq; iam etiam à nobis, sed fide.

Quomodo
iustitiam
Christi ha-
bent creden-
tes.

Quod autem habetur fide, uerè habetur: nititur enim fides certo uerbo Dei. Ita quanquam omnes sancti habeant adhuc reipsa peccatum, & tractum à deprauata origine, & ab ipsis quoque commissum, tamen non habent id uoluntate sua. Non uolunt enim, sed oderunt illud, & quod in eis habitat, & quod ab eis fit. Non quod uolo, inquit Paulus, hoc facio, sed quod odî, id facio.

Quomodo
credentes
peccatū nō
habent.

Ad Minorem ergo: Cum dicimus nos imputari Rom. 7.

credenti iustitiam, quam in se non habeat, intelligimus, quam non habeat sibi inhærentem, & à se factam: non quam nullo modo habeat. Omnis enim verè credens in Christum, habet fide & Christum, & iustitiam eius in se habitantem & manentem. Ita non dicimus homini peccatū non imputari, quod habeat omnino, id est, etiam sua uoluntate: ut quod non oderit in se, & à quo se liberari non petat.

Deus in isto iudicio trahit ad filiū suum quos uult, eisq; huius iustitiā imputat

De eo autem, quod iudicium Dei nihilominus est secundum ueritatem, etiam si imputet sanctis iustitiam, quæ non ipsorum, sed filij sui propria est, & peccatum, quod adhuc habent aliquo modo non imputet: dicemus in responsione ad ea, quæ sunt de hac re à Collocutoribus alterius partis relata in Acta. Nec enim hoc Dei iudicium non secundum ueritatem est, quo secundum immensam suam bonitatem eligit è perditâ hominum massa quos uelit, hisq; destinatis salutem, & tractis ad filium suum donat fidem Euangelij sui, eaq; fide filio suo iam insitis iustitiam filij sui imputat, & quod in eis adhuc hæret peccatū, non imputat, sed remittit, & iustitia filij sui tegit. Dominus est omnium, iureq; facit quicquid uult in cælo & in terra. Cumq; sit solus bonus & misericors, nihil facit hac sua clementia & benignitate se indignum. Sed de hoc infra.

REPLICA VI.

Insolens uidetur locutio, Dicere iustificari hominem non ea iustitia, quæ in se habet, sed quæ extra ipsum sit.

RESPONSIO.

Insolens uidetur hæc oratio ihs quidem, quibus iustificari apud Deum idem sonat, atque iustitia inhærente

hærente donari, non autem his, qui uerbum hoc accipiunt significatione apostolica, pro remitti peccata, & reconciliari Deo. Quæ peccatorum remissio, & cum Deo reconciliatio, si ulla potuisset iustitia confici, quæ in homine sit, filius Dei esset frustra incarnatus, & tanta pro expiandis peccatis nostris, & reconciliandis nobis cum Deo, perpeffus. Ipsius autem obedientia & iustitia necesse erat iustos constitui, qui unius transgressione & inobedientia facti sumus omnes peccatores.

REPLICA VII.

HAec Christi iustitia applicatur hominibus per gratiam. At gratia est non fides tantum, sed & spes, & charitas, cæteræq; uirtutes diuinitus infusæ. Et his ergo iustificari nos fatendum est.

RESPONSIO.

Ad Maiorem. Gratia quidem nomine significatur in apostolicis scriptis, quicquid nobis à Deo gratuito donatur, unde ipsa quoq; regeneratio, cunctæque uirtutes, hoc nobis nomine commendantur.

Sed cum Apostolus dicit, nos gratia iustificari, & saluari, intelligit hoc nomine ultroneam Dei misericordiam, & gratiam Christi, qua hic patri adeò est gratus & gratosus, ut eius gratia & dilectione pater nos quoque sibi gratos & gratiosos faciat. De quo Paulus 1. Ephes.

Quemadmodum elegit nos in ipso ante cõditum mundum, ut simus sancti, & irreprehensibiles coram ipso in dilectione, cum præsinisset nos ad adoptionem per Iesum Christum in ipsum, secundum beneplacitum uoluntatis eius, in laudem gloriae gratiae eius, qua gratos nos fecit in dilecto.

Hic facile quilibet cernit Paulum per gratiam, qua

Rom 3.

Gal. 3.

Ephes. 2.

Gratiæ nomen significat dona Dei, beneuolentiam Dei, gratiam Christi apud patrem. Gratia Dei id est, gratuita misericordia.

qua dicit nos à Deo in dilecto filio suo gratiosos factos, ut hæc gratia eius gloriosa esset, & omnium hominum laude celebraretur, esse gratuitam illam Dei benevolentiam, secundum quam nos ad id elegit, & præfinit, ut in filios sibi adoptaret, adoptatosq; spiritu suo sanctos, & irreprehensibiles efficeret.

De gratia Christi subiicit ibidem: In quo, Christo scilicet, habemus redemptionem per sanguinẽ eius, remissionem delictorum secundum diuitias gratiæ eius, quæ abundauit in nos in omni sapientia & prudentia, &c. Gratia enim Christi, qua ipse flagrat apud Patrem, fit, ut nobis, sicut remissio peccatorum, ita etiam gratiæ huius dona, spiritualis sapientia, & prudentia donantur.

Gratia Christi.

De hac Christi gratia scripsit etiam Tito suo, ut iustificati illius gratia hæredes sumus secundum spem, uitæ æternæ. De gratia, id est, benevolentia gratuita patris in nos. Romanorum 5. Iustificati gratis eius gratia, Dei scilicet, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu. De utraq; Rom. 5. Si unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei, & donum in gratia ea, quæ est unius hominis Iesu Christi, in multos abundauit.

Gratia patris.

Gratia filij apud patrem

Eodem significatu utitur hoc nomine gratiæ Apostolus, cum passim sanctis precatur gratiam Dei, & Domini Iesu Christi. De hac gratia erat & illud angeli ad Mariam: Inuenisti gratiam apud Deum. Sed innumera sunt loca, quibus hoc nomen, gratuita Dei misericordiam, benevolentiam & fauorem significat.

Ad Minorem igitur dicimus: Fidem, spem, & charitatẽ, & cætera omnia *χρησίσματα*, id est dona spiritus sancti, ipsamq; totam nostram regenerationem, & in-

noua.

novationem. gratiam recte dici more loquendi apostolico (gratuita enim dona Dei sunt) uerum hæc gratia non ea est qua seruamur & iustificamur: imperfecta enim in nobis sunt hæc Dei dona uirtutum & regenerationis, legiq; eius non satisfaciunt. Ideo saluari ac iustificari nos est necesse ea Dei gratia, quæ est ultro nea eius erga nos beneuolentia & misericordia, & gratia Christi, qua ille patri ita dilectus, beneplacens, & gratus est, ut pater nos quoq; in ipso, & per ipsum gratos sibi, & gratiosos fecerit & habeat.

Gratia infusa imperfecta est, igitur gratia Dei et Christi seruari necesse habemus.

Manet ergo immotum, non nos, etiam spe & charitate iustificari, sed nec fide, ut uirtus & iustitia quedam nostra est, sed ut apprehendit gratiam Dei & Christi: id est gratuitam patris misericordiam, & filij eius meritum & iustitiam. Ipsum enim unicum pater nobis proposuit propitiatorem in sanguine suo, per quem sanguinem purgari oportet omnem nostra iustitiam.

REPLICA VIII. COLLOCUTORUM alterius partis.

Quia sanguine Christi nostra constat iustificatio, ideo dicimus homines etiam uirtutibus atq; bonis operibus iustificari, quia hæc sanguine Christi tincta sunt.

RESPONSIO COLLOCUTORVM

Confessionis Augustanae.

Dicimus autem nos, & ex uerbo Dei, non esse hæc sanguine Christi pertincta & perpurgata, ut legi Dei possent satisfacere. Ideo in gratiam a Deo recipimur, & in ea persistimus, consummationemq; eius expectamus, non propter nostras uirtutes aut bona opera sanguine Christi tincta, sed propter unum sanguinem Christi illa tingentem & purgantem, quem fide sola, id est fide, quæ sola Dei gratia omnino gratuita, unoq; merito

Gg

merito

merito Christi nititur, apprehendimus.

REPLICA IX. COLLOCVTORUM
alterius partis.

EX hac autem Dei misericordia, & hoc Christi merito donantur nobis fides, spes, charitas, ut his iusti simus.

RESPONSIO COLLOCVTORUM
Confessionis Augustanae.

Donantur quidem, & hic iusti reddimur, sed inchoatè, & imperfectè, ut toties iam dictum est: Ideo, ut coram Deo ita iusti habeamur, ut uitam æternam ab eo expectemus, necesse est ut credendo Euangelio apprehendamus gratiam Dei, & iustitiam Christi, hacq; una nitamur.

REPLICA X. COLLOCVTORUM
alterius partis.

CRedere Christo eo modo, de quo Dominus ait: Qui credit in me, habet uitam æternam: significat etiã fidere Deo, sperare in Deũ, & amare Deum, iuxta illud D. Augustini in Ioannem Tractat. 29. Quid est ergo credere in eum? credendo amare, credendo diligere, credendo in eum ire, & eius membris incorporari. Ideo cum credẽtibus uita æterna promittitur, id ita intelligendum est, ut sciamus eam promitti ijs, qui simul confidunt Deo, sperant in Deum, amant Deum. Non igitur sola fide uitam æternam percipimus & saluamur.

RESPONSIO COLLOCVTORUM
Confessionis Augustanae.

Fidei, qua Euangelio Christi solidè creditur, & fiducia & amor Dei, ac spes in Deum, inseparabiliter cohærent, & quodammodo in ea continentur, ea ratione, quam explicauimus suprà, tamen credere illud, quo

quo uitam æternam primùm apprehendimus, & habemus, est, quo Euangelio Christi uerè assentimur, & ex eo, pro indubitato agnoscimus & tenemus, Dominum Iesum esse Christum, & seruatorem omnium electorum Dei: iuxta illud Ioan. 20. Hæc uerò scripta sunt (loquitur Euangelista de ijs, quæ Euangelio suo de Domino nostro Iesu Christo est complexu.) ut credatis, quod Iesus est Christus filius Dei, & ut credentes habeatis uitam æternam. Hinc cum Dominus ipse doctrinæ salutaris summam proponeret Marci 1. dicebat: Pœniteat uos, & credite Euangelio. Et Paulus cum nominatim de saluatrice & iustificante fide scripsit Rom. 10. hæc tradidit: Si confessus fueris ore tuo Dominum Iesum, & credideris in corde tuo, quod Deus ipsum excitauit, saluaberis. Verè igitur & solidè credere Christo Domino, & in Christum, si propriè & præcisè accipiatur, est Euangelio Christi ita assentiri à spiritu sancto persuasum, ut uera esse & indubitata non dubites, quæ illo de Domino Iesu prædicantur omnia. Quocirca Dominus ipse fidem saluificam definiuit Ioan. 17. esse, qua creditur ipsum esse orbem saluatorem. Verba, inquit, quæ dedisti mihi, dedi eis, & ipsi acceperunt, & cognouerunt uerè, quia à te exiui, & crediderunt quod tu me misisti. In quem locum scripsit D. Augustinus, Crediderunt uerè, id est, quomodo credendum est, inconcussè, firmè, stabiliter, fortiter.

Distinguit quidem alicubi D. Augustinus inter credere Christo, & in Christum: negatq; eum, qui credit Christo continuo credere etiam in Christum. Constat autem phrasi Ebraica credere in Moysen, idem ualere quod credere Moysi, ut in Euangelij, credere Deo, atque in Deum, Nam Ioannis quinto ait Dominus,

Quid uerè credere.

Quid credere præcisè.

Quid Augustinus uerè credere.

In Ioan. tra. stat. 51.

Augustini distinctio inter credere Christo, & in Christum.

Exod. 14.

Et 19.

Credere

Scripturis,

Euangelio,

Christo,

in Deum et

Christum,

idè ualeat.

Qui audit sermonem meum, & credit ei qui me misit, habet uitam æternam. Et eodem capite: Si crederetis Moſi, & mihi crederetis: ſi illius literis nō creditis, quomodo meis uerbis credetis? En Dominus ipſe pro eodem uſurpauit, credere uerbis ſuis, credere ſcriptis Moſi, credere Deo patri qui ipſum miſit, credere in Deū, credere in ſe. Intellexit autem id, quod eſt Euangelio uerè, firmè, & ſtabiliter credere, ut D. Auguſtinus hoc eſt rectè interpretatus.

Qui enim accepto ſpiritu fidei habet Euangelio ut uerbo Dei fidem ſolidā, ſc. ut & ſuprà expoſuimus, primū hoc ipſo fidei ſpiritu doctus, dubitare nō po- teſt, ſe, & propter ſua peccata in æternum eſſe perdi- tum, & à peccatis & æterna morte, niſi per mortem filij Dei liberari, Deoq; patri reconciliari non poſſe. Quo fit, ut talis nequeat non dolere de peccatis ſuis, & uera eorum compūngi pœnitentiā, totoq; corde experere peccatis, per eundem Chriſtum liberari, & cum Deo in gratiam reſtitui, ita ut exemplum docet eorum, qui- bus Apoſtoli Hieroſolymis Chriſtum primū prædi- carunt. Id uerò eſt uenire ad Dominum Ieſum, & per eum ad patrem, ipſumq; Dominum ut Chriſtum & ſaluatorem agnoſcere & amplecti. Deinde nec de eo unquā heſitauerit, qui iſtam fidē habuerit, Dominum Ieſum uelle, & ſe ſicut omnes alios afflictos & perdi- tos, qui ad ipſum confugiunt, ſuſcipere, atq; ſibi quo- que dare remiſſionem peccatorum, & adoptionem in filios & heredes Dei. Itaq; nemo tali fide præditus, po- terit non in Chriſto Domino ſalutis fiduciam colloca- re, eumq; ex toto corde amare, & præceptis eius ſtude- re: manet enim omnis ſic credens in ipſo Domino, & ab eo, ceu palme à uite ſuccum percipit, omnis pie- tatis & iuſtitix: Ioan. 15.

Cum

Cum igitur hæc omnia, dono Dei patris ad filium suum per Euangelium & spiritum suum uocantis & trahentis, fidei uiuæ necessariò cohærent, ut & supra exposuimus, non malè dixit D. Augustinus, credere in Deum, esse credendo amare, credendo diligere, credendo in eum ire, &c.

Quomodo intelligendū illud Augustini, credere in Deum, est credendo amare Deum.

Verùm illud nec ex isto Augustini dicto potest concludi, nec ex ulla scripturarum auctoritate, quæ fidei spem & charitatem connectunt, credere Christo, uel in Christum, idem esse quod sperare in Christum, & amare Christum: aut quod uerbū Credere in scripturis hæc quoq; Cōfidere Deo, & amare Deum, ex æquo significet. Diuersa enim sunt hæc dona & opera spiritus sancti in electis. Quanquam sint semper reipsa in illis cōiuncta, quod ut D. Augustinus ostenderet, scripsit, credere in Deum, esse credendo amare Deū, credendo diligere Deū, &c. Non uerò scripsit, credere esse amare Deum, aut ire in Deū. Proinde utrunq; & credere & amare, sua propria uoce expressit. & credere his præposuit, ut quo Deū ita apprehendimus & cognoscimus, ut inde demum in eum speremus, & eum amemus.

Credere Deo.

REPLICA XI. COLLOCVTO-

rum alterius partis.

Dicitis fidem effici in nobis per spiritum fidei, rursum dicitis nos fide accipere spiritum sanctum: hæc pugnare inter se uidentur. Nec enim potest aliquid esse eiusdem rei, & causa & effectus.

RESPONSIO COLLOCVTO-
RVM

Confessionis Augustinæ.

Diuinæ literæ docent utrunq; , & fidem inspirari nobis per spiritum sanctum, & fide nos spiritum sanctum percipere. Illæ uerò nihil tradunt pugnant, aut parū inter se consentaneū. Docet D. Paulus 1. Cor. 2.

Et per spiritū in fundi fidem, et fide recipi spiritū sanctum.

Animalem hominem, & spiritu Dei destitutum, quæ sunt spiritus Dei, adeò intelligere non posse, ut habeat ea pro stultitia. Est igitur necesse spiritu Dei afflari nostras mentes, ut quæ Euangelio nobis de Christo & salute nostra prædicantur, intelligamus & credamus 1. Cor. 2. Hunc itaque spiritum, quem Dominus electis suis, dum incrementum prædicationi Euangelicæ adspirat, uocat Apostolus 2. Cor. 4. spiritum fidei, spiritumque quo credimus Euangelio. Habentes uerò, inquit, eundem spiritum fidei, quemadmodum scriptum est, Credidi, propter quod locutus sum, & nos credimus, propterea & loquimur, scientes quod qui excitauit Dominum Iesum, excitabit & nos per Iesum, &c. Hoc itaque spiritu fides nobis afflatur.

Spiritus fidei.

Spiritus uirtute in Christo.

Porro cum hoc spiritu afflati homines Euangelio credunt, eundem spiritum sicut orant cotidie dari sibi opulentius, ita etiam accipiunt indies plenius. De quo Paulus ad Rom. 8. Vos non estis in carne, sed in spiritu: siquidem spiritus Dei habitat in uobis. Si quis spiritum Christi non habet, is non est eius. Et rursus, Si uerò actiones corporis spiritu conseceritis, uiuetis. Quicumque spiritu Dei aguntur, ipsi filij Dei sunt. Non enim accepistis spiritum seruitutis rursus in timore, sed accepistis spiritum adoptionis, in quo clamamus, Abba pater. Et paulo post, Spiritus succurrit infirmitatibus nostris. Spiritus ipse intercedit pro nobis inenarrabilibus gemitibus. Et ad Tit. Apparuit bonitas & humanitas seruatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiæ, quæ nos fecissemus, sed seruauit nos secundum suam ipsius misericordiam, per lauacrum regenerationis, & inuolutionis spiritus sancti, quem effudit in nos opulenter. Item 2. Tim. 1. Non enim dedit nobis Deus spiritum timiditatis, sed uirtutis, & dilectionis, & modestiæ. De hoc spi-

Spiritu Apostolus 1. Cor. 6. Gal. 5. & Ephes. 3. 4. 5. &c multis alijs locis prædicat. Hunc spiritum, ut dixi, oramus, fide infundi in nos semper uberius, & quod fide oramus, percipimus etiam iuxta illud Domini Luc. 11. Vos cum mali sitis, nostis tamen bona dona dare filijs uestris, multo magis dabit pater cœlestis spiritum sanctum petentibus eum.

Præterea dabat Dominus credentibus initio Ecclesie, sicut Apostolis in die pentecostes, uim singularem spiritus sancti, ut uarijs linguis loquerentur magnifica facta Dei, & facerent etiam ipsi mira opera pro confirmatione Euangelij: ut de Samaritis, qui crediderant & baptizati erant, legimus Act. 8. Tunc imposuerunt eis manus, & acceperunt spiritum sanctum. Et de Cornelio, & ijs qui cum eo domi eius audiebant Euangelium à Petro nondum baptizatis, sed tamen credentibus, Act. 10. Adhuc loquente Petro uerba hæc, cecidit spiritus sanctus super omnes qui audiebant sermonem. de quo dono spiritus sancti scripsit etiam Apostolus Gal. 3. Ex operibus accepistis spiritum, an ex auditu fidei: Proinde quod etiam ad hæc spiritus sancti dona attinet, de quibus Apostolus 1. Cor. 12. & 14. multa disseruit, spiritus sanctus percipitur fide, quæ tamen fides non nisi ex spiritu sancto, spiritu credendi est inspirata, & retinetur atq; augetur.

Spiritus
prouehēdē
regnū Chri
sti.

Nihil itaque absurdi, nihil quod sibi non consentaneum sit, eo diximus, quod affirmauimus Euangelio neminem posse uerè credere, nisi afflatus sit ac persuasus à spiritu sancto: & tamē credentes accipere fide, & hunc ipsum spiritum sanctum cum credendi, tum uiuendi Deo plenius, deniq; etiam dicendi, & faciendi, quæ ad ædificationem Ecclesie conferunt.

Conclusio
responsio-
nis.

REPLICA XII. COLLOCVTORUM
rum alterius partis.

CUM igitur spiritu sancto afflati, ut credimus, ita & iam innouamur, & hec nostri innouatio habet gradus, ac perficitur, non fide tantum, sed etiam spe, et charitate; cur negatis dicendum esse, nos ex his uirtutibus iustificari, dum in iustificatione illis proficimus?

RESPONSIO COLLOCVTORVM

Confessionis Augustanae.

Iterum ingerit se *ἐπινομή* in uerbo iustificationis Si per iustificationem intelligamus iustitiæ inhærentis collationē, non negamus ut & antea diximus, hanc constare & spe & charitate, & progressum huius iustitiæ. progressionem harum ipsarum uirtutum. At non hoc significatu utitur uerbo isto scriptura, dum de iustificatione uitæ, de qua nos agimus, uerba facit.

Habet tamen & hæc iustificatio: id est reconciliatio nostri cum Deo, gradus suos, quod ad nos attinet, sicut fides ipsa, qua hanc reconciliationis gratiam, & Christi meritum amplectimur. Vt enim quidam fidei pueri sunt & infirmi, quidam adulti & robusti, pro ut Dominus cuiq; dispensat spiritum fidei, ita etiam recipitur à nobis & tenetur ista nostri iustificatio, nunc debilius, nunc firmius. Sed quocumq; hæc recipiatur & teneatur gradu, semper sola fide, & recipitur & tenetur, ut supra fusius est expositum, atq; demonstratum.

REPLICA XIII. COLLOCVTORUM
rum alterius partis.

Percipiendo promissionem salutis, iustificamur & saluamur. Promissio autē salutis facta est non credentibus tantum, sed etiam sperantibus & amantibus. Ergo promissam salutem etiam spe & charitate percipimus, adeoq; ex his uirtutibus iustificamur.

RE-

Gradus iustificationis perceptæ à nobis, prout gradus fidei sunt.

RESPONSIO COLLOCVTO

rum Confessionis Augustanæ.

Hæc obiectio a syllogistica est: Minorem ita forma re oportebat. Promissionem autem salutis etiam spe et amore in Deum percipimus. Ad hanc uerò obiectio- nem iam responsum est, et si obiectio- nem reuocare ad syllogismi rationem uelis, ut sic formetur. Eis faculta- tibus & uirtutibus salutis promissionem percipimus, quibus est illa facta: Facta autem est etiam spei & amo- ri. Maior syllogismi non consistit: nam & bonis ope- ribus salus promissa est. nec tantum his, sed fide hanc ipsam è bonis operibus promissionem primùm per- cipimus.

REPLICA XIII. COLLOCVTO

rum alterius partis.

Iustificari nõ possumus ea re, quæ secũ fert peccatũ alienans à Deo, & damnans hominẽ. Fides tale pec- catum secum fert: Igitur ea non iustificamur si sola sit.

RESPONSIO COLLOCVTO-

rum Confessionis Augustanæ.

Minorem negamus. Peccatum enim contra con- scientiam, uel, ut Augustinus loquitur, uastans consci- entiam, uera fides secum non fert, nec unquam in tali peccato potest hærerẽ, qui uera & iustificante fide ui- uit. Hoc uerò primum absurdorum est, ad quæ Bil- lickius, Latomus, scribunt adactum Bucerum per Maluendam.

An pecca-
tum uastãs
conscienti-
am possit
consistere
cum fide
iustificãte.

REPLICA XV. COLLOCVTO

rum alterius partis.

Fides non tollitur, nisi per contrarium assensum: Non omne peccatum damnans infert assensum si dei catholice contrarium. Non igitur omne tale pec- catum submouet fidem.

RESPONSIO COLLOCVTO-

rum Confessionis Augustanæ.

Rursus negamus Minorem, & dicimus omnem hominem, qui tale peccatum admittit, aut in peccato tali hæret, habere in animo suo assensum fidei Catholicæ contrarium. Et hoc alterum absurdū à nobis Maluenda expressit, quo etiam non parum commouebatur.

COLLOCVTORVM ALTERIVS PARTIS

replica decimasexta.

QVI homicidium perpetrat, uel furtum, uel adulterium, quæ assensum habeat is fidei Catholicæ contrarium? Qui enim non queat eiusmodi homo, etiamsi in tali peccato hæreat, nihilo secius assentiri articulis fidei omnibus?

RESPONSIO COLLOCVTO-

rum Confessionis Augustanæ.

Nemo uerè assentiens
Euangelio
peccato cō
sentit, et
contra.

Quandiu quis in peccato damnante hæret, nō assentitur uerè ulli fidei articulo, aut ulli uerbo Dei, imo nec credit Deum esse, eum nimirum, qui se nobis in scripturis reuelauit. habet igitur assensum contrarium fidei Catholicæ. Hoc tertiu absurdum est, ad quod gloriantur nos adactos esse per Maluendam.

REPLICA XVII. COLLOCVTO-

rum alterius partis.

EXperientia ipsa docet, peccatis talibus implicatos, tamen obtinere fidem omnium articulorum Christianæ religionis. Videmus enim quotidie multos grauiā admittere peccata, & in eis detineri, qui nullum tamen fidei Catholicæ articulum non constanter teneant, & confiteantur.

RESPONSIO COLLOCVTO-

rum Confessionis Augustanæ.

Confitentur quidem, sed nō tenent uerè; non enim cre-

credūt uerbis Dei omnibus: nec esse eum Deū uerum credūt, qui omnia flagitia pronunciat indubitato adferre perpetrantibus ea, presens & sempiternū exitium, nisi fide mortua, quod non est uerè credere. Nam uera fides non est, qua non creditur omni uerbo Dei, & solidè. Proinde quod homines eiusmodi, qui scientes in peccatis hæret, de rebus diuinis, atq; Euangelio uel sentiunt, uel loquuntur, id non est ex fide, sed ex inani quadam & euanida opinione, à maioribus imbibita, & consensu uulgarī confirmata. Ita Aristoteles nec ueram & practicam rei agendę cognitionem illis tribuit, qui manifesta peccata uitę admittunt. Aut enim non exercent, inquit, hī quam habent uirtutum cognitionem uniuersalem, aut certè non adhibent eam iudicio de rebus agendis singularibus. Quapropter dum de uirtutibus præclare loquuntur, faciunt id ceu dormientes, uel ebrii. Hęc rationē Aristoteles scitè explicuit 7. Ethic. ad Nicomachū. Et Thomas Aquinas 12. q. 76. ar. 2. Quocirca & Cotta apud Ciceronē optat persuaderi sibi esse Deos, non opinione solum, sed etiā ad ueritatē. Nec enim dubitat, sacrilegis, impijs, & periuris, id nō esse persuasum. Nam si ad ueritatem persuasum haberent esse Deos, & cōtemptores suos ulcisci, existimabat eos ab omni sacrilegio, impietate, & periurio fore alienos. Sed hoc Socraticum esse, & habeat recti scientiam uniuersalis is, qui agit contrariū particulare, propterea quod non ex maiore scientiā recti, sed ex contrariā & falsa opinione prauī assumat, & concludat contrarium eius, quod ex maiore scientiā cōcludi debebat. De fide tamen qua iustus uiuit, secus est. Hanc enim qui habent, filij Dei sunt, & hos agit spiritus sanctus ad ea quę sancta & recta sunt, ut contraria scientes & prudentes non agant, multoq; minus in

Inanis opinio, non fides est, de articulis fidei in ijs, qui hærent in peccato contra conscientiam.

his perseverent, tametsi ex carnis imbecillitate sepe numero & ipsi non ex fide agant, & peccent: sed peccata non uastantia conscientiam, non illa quæ regno Dei statim excludunt.

Hinc & in Psalmis tribuitur impijs & maleficis hominibus, dicere in cordibus suis, non esse Deum: Non habere Deum in oculis suis, & in conspectu suo: Dicere in corde suo, Deum non curare, non uidere, non intelligere, quæ homines iniuriosi agant, & peccent. Psalm. 14. Psalm. 10. Psalm. 94. Nemo itaq; uera uiuacq; fide credens in Deum, & agnoscens Deum esse suum quoq; Deum, eum quidem, qui est pater Domini nostri Iesu Christi, & qui scripturas suas nobis tradidit, potest in ullo peccato sciens & uolens hære.

Maluenda hic subinde prouocabat ad experientiam: nos uerò toties scripturam requirebamus & obijciebamus, Maluendæq; experientia negabamus confici demonstrationem in Theologia, & præcipuè urgebamus eum hoc syllogismo, ex apertissimis spiritus sancti uerbis, concluso, Qui credit quod Dominus Iesus est Christus, eum natum esse ex Deo, 1. Ioan. quinto: Qui autem natus est ex Deo, hunc non peccare, nec posse peccare, ut testatur idem Apostolus in eadem Epist. cap. 3. Ergo qui uerè uiuacq; Euangelio Christi credit, ille in nullo potest peccato uastante conscientiam permanere: & qui in tali peccato perstat, in eo fidem Christi ueram consistere possibile non est. Omnis enim qui tale peccatum peccat, Deum nec uidit, nec cognouit: & Omnis non faciens iustitiam, non est ex Deo. 1. Ioan. 3.

REPLICA XVIII. COLLOCVTO,

QUEM contrarium fidei catholicæ assensum habet

beat committens adulterium, uel aliud graue peccatum: Si is omnibus interim fidei articulis constanter assentiatur, & tantum prauè statuat de illicita uoluptate, lucro turpi, uel re alia, in qua peccatur:

RESPONSIO COLLOCUTORUM
Confessionis Augustanae.

Omnis qui sciens & uolens ullum Dei præceptum transgreditur, is habet non contrarium modò, sed planè contradicentem fidei catholicæ assensum, tum sanè quando præceptum Dei transgreditur. Verbum enim Dei pronunciat omnem omnis præcepti Dei transgressionem, esse omnibus hominibus & semper, & extremè noxiàm, atque sempiternum inferre exitium. Qui autem statuit nunc sibi esse adulterandum, aut furandum, aut aliud quicquam contra certum Dei præceptum admittendum, is animo suo pronunciat, nunc sibi bono fore, si adulteretur, si furetur, aut alia in re suæ indulgeat libidini, lege Domini uetita. Quis iam non uideat, hæc esse inter se contradicentia: Adulterium aut furtum, alicui & aliquando bonum, & faciendum est: &, adulterium furtum, aut alia huiusmodi lege Dei prohibita, nemini, & nunquam bona, aut facienda sunt, imò fugienda & horrèda semper, & omnibus hominibus, magis quam mille mortes corporis.

Addebamus his exempla. Neminem sanè mentis, cui sitienti quispiam oblati duobus calicibus ad bibendum, affirmet esse in altero salutare uinum, in altero uerò præsens uenenum posse ullam (siquidem uerè credat indicanti, quid utroq; poculo offeratur) concipere cupiditatem bibendi ex eo calice, quem audiret, & crediderit continere uenenum, altero calice reli-

Nemo sciens planè & solidè rem aliquã sibi noxiã esse, potest eam appetere.

Ho, quem audierit & crediderit continere bonum & salutare uinum. Ita multo minus posse eum animum ullius rei à Deo prohibitæ cupiditate titillari, taceo impelli ad prosequendâ rem à Deo uetitâ, qui Deo solide, uicq; credit affirmanti, transgredi suum ulla in re præceptum, esse omni homini semper aeterno exitio. At qui Euangelio ueram uiamq; fidem habet, eum credere necesse est omni uerbo Dei. Qui enim uerbo non credat, is nulli omnino credere potest, uera scilicet & Christiana fide.

Hinc itaq; satis patet cuiq; uel sensum cõmunem cõsultenti, in omni homine, qui scienter admittit quod sit lege Dei prohibitũ, esse necessariò assensum assensui ueræ fidei omnino contradicentem: qui si preualeat, & faciendum contra præceptum Dei in re singulari concludat, assensum fidei omnino submouet. Inde Dominus in scripturis omnis à se defecionis, & præceptorum suorum transgressionis caput & primam causam facit, uerbis suis non credere, legis suæ obliuisci, prophetis non habere fidem.

Multa quidem contra hæc uerba offundebantur, uerũ nihil ex scripturis Dei, quas nos perperuò requirebamus, uicissim identidem obijcientes illud: Qui credit Iesum esse Christum, eum esse natum ex Deo, Natum autem ex Deo non posse peccare: peccantem igitur scienter, non esse natum ex Deo, eoq; nec habere fidem Christi. Cum uera itaque fide Christi, nullum posse peccatum contra conscientiam cohærere.

REPLICA XIX. COLLOCVTO.

rum alterius partis.

PAulus credidit uerè Deum esse, credidit legi Dei, & tamen fuit in peccato uastante conscientiam.

R. E.

RESPONSIO COLLOCVTO

rum Confessionis Augustanae.

Hoc argumentum ad rem pertinet, & ad explican-
dam hanc disputationem idoneum est. Obseruetur
ergo primum illud: Paulum, quatenus credidit uerbo
Dei, hactenus nihil contra illud facere potuisse. Præ-
ceptis Dei per Mosen traditis credebat secundum lite-
ram: ideo ita illis, quod ad literam attinet, obediebat, *Philip. 3.*
ut in iustitia, quæ est secundum legem, esset planè irre- *Gal. 1.*
prehensibilis. Qua etiam de causa tam uehemens erat
paternarum traditionum æmulator, ut Ecclesiam Dei
propterea persequeretur, quam putabat legem Mosi
destruere, Dominumq; Iesum autorẽ Euãgelij, quod
arbitrabatur legi contrariũ, blasphemaret. Quod itaq;
credebat Dei esse, id sectabatur, & colebat: quod aduer-
sari Deo ex ignorãtia putabat, id blasphemabat, & per-
sequebatur. Sed quia Dominũ Iesum adhuc ignora-
bat finẽ legis, ideo nec uerbo Dei reuera credebat, nec
Deum ipsum. Nam qui in Christũ nõ credit, is nec in *Ioan. 14.*
Deum credit. Hanc suam incredulitatem Apostolus *15.*
ipse de se fatetur: Misericordiam, inquit, consecutus
sum, quia ignorans feci in incredulitate. Igitur uera *1. Tim. 1.*
Dei fide Paulus tum quando in Christum & Eccle-
siam eius scirebat, præditus non erat, qua simulatque
fuit donatus, Christum cœpit prædicare, & sectari o-
mnium ardentissimè, & constantissimè. Habebat,
ut diximus, fidem literæ legis, huic igitur studiosè ob-
temperabat. Et ex hoc ipso Pauli exemplo eviden-
tissimè cernitur, ueram uiam que Christi fidem e-
os habere nullo modo posse, qui peccant contra con-
scientiam.

Quandoquidem igitur hæc præcipua causa est
multis, cur ab illis fidei præconijs, quæ fidei Christus
Domini

Dominus ipse & Apostoli tribuunt, tantopere abhor-
 reant, quod uident uulgarem illam de articulis fidei
 persuasionem, admodum firmiter teneri à multis, qui
 sceleratè nihilominus & flagitiosè uiuunt. Volo hic a-
 liqua loca scripturæ subiicere, ex quibus quisq; clarissi-
 me uideat, neminem omnino hominū qui ullo in pec-
 cato contra conscientiam hæreat, posse credere Deum
 esse, eum in quā, qui est pater Domini nostri Iesu Chri-
 sti, sanctamq; nobis scripturā tradidit: credere inquam
 uerè, & ea Christi fide, qua nos Christum & Aposto-
 lum secuti, cōfitemur & prædicamus nos iustificari &
 seruari, percipereq; & habere uitam æternam.

Ioan. 5.

Nemo uel
 Mosi cre-
 dit qui non
 credit uerè
 uiueq; Chri-
 sto.

Dominus ipse dixit Iudæis: Quomodo potestis
 uos credere, cum gloriam à uobis inuicem accipitis, &
 gloriam quæ à Deo est, non quaritis? Constat autem
 omnem peccantem contra conscientiam, gloriā quæ
 à Deo est, non solum non querere, sed abijcere etiam,
 & conculcare, suamq; ipsius gloriam querere, & spe-
 ctare. Et paulo pōst ibidem; Si crederetis Mosi, crede-
 retis utiq; & mihi, de me enim ille scripsit: si uerò illius
 literis nō creditis, quomodo uerbis meis credetis? Ec-
 ce qui Domino Iesu non credit, & nō ita credit ut eum
 suscipiat seruatorem, habeatq; per ipsum, & in ipso ui-
 tam æternam, is nec legi Dei credit traditæ per Mo-
 sen, eoq; nec credit Deū uerum esse eum, qui pater est Do-
 mini nostri Iesu Christi, & autor legis. Constat itaque
 neq; Paulum uerè credidisse in Deum, nec Deum ue-
 rum esse, tum quādo Christum blasphemabat, & per-
 sequebatur, quia nec Mosi literis uerè credidit: nec
 quicquam ultra literam occidentem fuit complexus,
 id quidem fide, & non uulgari fide (admodum enim
 firmus erat in assensu legis, quia studio legis erat tam
 uehemens) tamen nōdum fide in Deum uera & uiua,
 fide

fide iustificāte, de qua nos agimus, donatus erat, quia nondum credebat Domino Iesu, nondum esse hunc Christum agnoscebat.

Item Paul. 1. Tim. 5. Si quis suorum, & maximè domesticorū curam negligit, fidem abnegauit, & est infideli deterior. Et Tit. 1. de fallis Christianis: Confitentē se nosse Deum, factis autem negant. Hæc ille. Ecce, qui non faciunt, quæ requirit uera proximorum dilectio, & omnem uitam ex sententia Dei comparant, ij fidem Deumq; abnegarunt, & sunt infidelibus, qui scilicet uerbum fidei nunquam audierunt, uel amplecti uoluerunt, deteriores. Opponuntur quidem hi infidelibus, tanquam ipsi haberi debeant inter fideles, nam fidem uerbis profitentur, & dum adherent uel aliquatenus Euangelio, hæcenus etiam aliqua Euangelij fide præditi sunt. Verum quoniam hæc istorum fides solida nō est, & uī pietatis destituitur: Apostolus rectè dixit, eos fidem & uim pietatis abnegasse. Quē igitur his uerum fidei Catholicæ assensum tribuetis?

Proinde D. Ioannes cap. 2. Epistolæ suæ: In hoc cognoscimus quod cognouimus eum, si mādāta eius seruamus. Qui dicit, noui eum, & mandata eius non seruat, mendax est, & ueritas in hoc non est. Loquitur autem Apostolus hic de notitia fidei. Mendax igitur est, & non est ueritas in eo, quicunq; fidem Christi iactat, & non seruat præcepta Dei: unde & Dominus Iudæis dicebat: Est pater meus qui glorificat me, quem uos dicitis quod Deus uester sit, & nō nostis eum, notitia scilicet fidei ueræ, de qua nos disputamus. Ita de eisdem Iudæis, ac primis Iudæorum sacerdotibus, scribis & pharisæis, qui ipsum scilicet maximè persequabantur, dicebat Ioan. 15. Non nouerunt eum qui misit me. Item: Nunc & uiderunt, & odio habuerunt,

& me & patrem meum.

Vides ergo pie lector, Dominū ipsum ihs, qui sibi uel maxime uidebant credere Deū esse, & uerū Deū, fidem ueram scilicet Dei notitiā ad eō ademisse, ut illis etiā odiū Dei, quem ore & ceremonijs confitebant & colebant, attribuerit. Verā itaq; & uiuā fidem (de qua nimirū nos, secuti Apostolum & Dominū, loquimur: agimus em̄ de fide qua iustificamur & saluamur) habere nemo potest, qui præcepta Dei sciēter trāsgredit, & in ullo peccato contra conscientiam perseveret.

Est quidem cognitio quædā Dei ex consideratione operū Dei, de qua Rom. 1. & fides etiam ex uerbo Dei temperaria, eorū quos dixit Dominus credere ad tempus, & tempore tentationis recedere: Luc. 8. Est & fides ad confitendū Deū inefficax, qualē Ioannes tribuit principibus Iudæorū, qui in Dominū crediderant: Ioan. 12. Est deniq; & fides mortua, quæ nulla efficit bona opera: sed nulla harū persuasione, uel opinio num est fides illa, & notitiā filiorū Dei, quam Christus & Apostolus intelligit in his locis de iustificatione, de quibus inter nos disputatur.

REPLICA XX. COLLOCUTORVM

partis alterius.

ET nos hoc agnoscimus, nō posse in peccato mortali manere, qui fidem Dei habent dilectione formatam. Secus autem est de fide sola.

RESPONSIO COLLOCUTORVM

rum Confessionis Augustanæ.

Verē fidei charitatē Dei abesse nō posse inter nos cōuenit, ut dictū est supra abunde: forma tamen & uis si dei, est à spiritu fidei, qui mentem de uerbo Dei solide persuadet, nō à charitate, quæ ex fide gignitur & existit, fidemq; consequitur. Nos de fide, & fidei notitiā

scri

Scripturas adduximus, illas sequimur, certū veritatis lumen: & ex his affirmamus, eos qui in peccatis hærent contra conscientiam, nec uerè credere Deo, & Christo, nec nosse Deum, aut Christum, sed fidem, & Deum, & Christū abnegare, habereq; ideo assensum fidei Catholicæ planè cōtradicentem, eamq; omnino euertentem, & ex animis illorum exterminantē. Quæ cum sint adeò clarè & copiosè diuinis literis tradita & contestata, nō uiderentur his Collocutoribus tam absurda, si possent scholarum suarum inuentiones sententijs posthabere D. scripturarum.

Toties testati sumus, nos loqui de fide iustificatrice, de qua Dominus intellexit, cum dixit: Qui credit in me, habet uitam æternam. Vos quidem dicitis hoc credere, esse charitate formatū: & ut uitam æternā habeant credentes, id nō esse fidei per se, sed charitatis fidei formantis & perficientis. Sed dicitis hoc sine uerbo Dei. Quocirca nos meritò ducimus, & tutius & religiosius, sequi in prædicando salutis nostræ mysterio, formam loquendi Magistrī nostrī cœlestis Christi, & spiritus sancti, in omni sua scriptura, q̄ uos & uestros magistros. Atq; ideo simpliciter dicere studemus: Omnes qui credunt Christo, habere iustificationē, salutē, & uitā æternā, simulatq; credūt: ac proinde sola fide, id est, tantū credendo Deo, illos hanc eius gratiam, ut eam Euangelio suo offert, primū apprehendere & cōplecti, priusquā Deo inuicē quicq; præstare ualeant, siue per dilectionē, siue per opera. Quanquā nec dilectio, nec opera huic fidei queant deesse, nec esse uera fides possit, cui hæc desint: sed potius fidei per facta abnegatio, aut fides mortua, uel tēporaria, uel nondū ad Christū cōfiteri, quarū per suasionū nulla ut dictū, fides est simpliciter & propriè Christo & Apostolis.

Sic itaq; cum nostra diligenter explicemus, nemo profectò Christianus poterit nobis uicìò dare, quod in prædicando & explicando mysteria Christi, malumus formam loquendi usurpare Christi & spiritus sancti, quàm scholæ hominum, philosophia & traditionibus humanis nimum fermentatæ.

REPLICA XXI. COLLOCVTO-
rum alterius partis.

De uoce so-
la.

VOcem (sola) uos ipsi, & præstantiores uestri ordinis uiri iudicatis scandalosam, ac proinde mittendam: Cur igitur hanc non & modò & perpetuò condonatis publicæ paci, & edificationi Christiani certè hominis est, omne scandalum uitare, quoad omnino possit. Iam hæc uox (sola) est magnæ offensionis multis hominibus, nec est in scripturis tradita, quamobrem omitti potest sine ullo doctrinæ salutaris detrimento. Est igitur officij uestri eam missam facere. Et hic recitauit Hofmeisterus Colmariensis ex scriptis Lutheri, sanctæ memorię Philippi, Brentij, & meis, quædam loca, in quibus taxauimus eos, qui se et alios inani fidei opinione seducunt, & fidem prædicant sine pœnitentiâ, & debita adhortatione ad bona opera. Copiosius uerò recitabat mea uerba in secundum psalmum, ubi scripsi, non debere nos homines offendere hac uoce (sola) meq; habere satis, uti uocibus scripturæ, & dicere, iustum fide uiuere, fide nos iustificari & saluari, iustificari nos & seruari gratis, non ex operibus, interim omissa, quæ tantopere offendit, uoce (sola) &c. Tum me nihil pigere hæc ipsa scripturæ dicta sic interpretari & explicare, ne quis inde ullam concipiat mortuæ fidei fiduciam,

RESPONSIO COLLOCVTORVM CON-
fessionis Augustanæ.

Adhuc in ea sententia sumus, & fuimus à cognito Euangelio Christi semper, quod sit poenitentia prædicanda cum fide, & homines diligenter adhortandi, ut per dilectionem bonis operibus totis uiribus incumbant: quicq; ista non adiungat prædicationi fidei, eum iudicamus, nec fidem ipsam ritè docere posse. Verùm non ideo quod alij non plenè tradunt doctrinam salutis, alij eam rectè traditam prauè intelligūt, potest nobis licere, damnare formulam loquendi, sicut & scripturæ Dei consentaneam, ita à patribus piè usurpatā. uti est hæc: Nos fide sola iustificari & saluari. Benim & Christus ipse dicebat patri lunatici, Tantum crede: Marci 5. & Lucæ 8. Et Paulus, iustificari & saluari nos per fidem sine operibus. Ex quo dicto, quis non uideat concludi locutionem hanc: Seruari nos sola fide, apprehendente scilicet iustitiam Christi, non iustitia operum nostrorū, nec etiam fidei ipsius. Hoc sanctissimi & doctissimi inter sanctos patres ita agnouerūt, ut & ipsi hanc ipsam loquendi formam, iustificari & seruari nos fide sola, pleriq; omnes usurparint in tractatione de iustificatione, & Paulinæ de hac doctrinæ explicatione. Quod uerum sciunt quicunq; libros eorum Patrum legerunt, ut Hilarij, Basilij, Ambrosij, Chrysostomi, & similibus.

Nihilominus si qui pij homines ista uoce offenderentur, qui rem ipsam admitterent, nos scilicet iustificari sola Dei gratia, & Christi merito, nulla nostra uirtute, nulloq; nostro merito, his uoce ista nolumus esse molesti, aut offendiculo, qua aliàs perrarè utimur, sicut nec in confessione nostra posita est. Atqui eam propterea abijcere, usumq; eius dānare, id ut fas esse

Fides sine poenitentia, & doctrina bonorū operū tradi recte nō potest.

Quibus remitti cōueniat uocem (sola.)

Quibus cō
cedi uox
(sola) non
possit.

non potest, ita requirere id à nobis nemo debet. Om-
nium autem minimè ijs hanc uocem concedere licet,
qui ex ea concessione conentur hominibus eum con-
firmare errorem, quo non est alius nocentior, iustifica-
tionē non constare nobis sola Dei gratia, & solo Chri-
sti merito, uerum etiam aliqua ex parte nostris uirtuti-
bus, & operibus, iustificationem inquam uitæ, & fi-
duciam salutis aeternæ.

Nec uox illa ὁμοῶς est in scripturis his elementis
expressa, tamen, quia id, quod ea commodè exprimi-
tur, est ex primarijs fidei nostrę articulis in diuinis scri-
pturis clarè, certò, & copiosè traditū: & Ariani ideo
petebant eam uocem reiñci, quo suam impietatem fa-
cilius alibi tegerēt, alibi simplicibus obtruderent, san-
cti patres piè fecerūt, eam uocē retinendo, quantum-
uis Ariani reclamarent, & non haberi eam in scriptu-
ris, trahiç; à multis in occasionē erroris, uociferarent.

Nos itaq; de uoce hac per se nō contendimus, nec
id ullo modo docere uolumus, fide nos saluari, quę sit
absq; spe & charitate, nec etiam quicquā detractum
uolumus his ipsis uirtutibus & donis Dei. Quæ con-
tendimus in hac disputatione, hæc duo sunt. Vnum,
ut probè teneatur, nostram iustificationem & salutem
percipi, & constare nobis nulla ui aut merito ullius
nostræ uirtutis aut operis, sed sola gratuita Dei mise-
ricordia, & donata nobis gratis Christi iustitia, dum
Deus nobis spiritū fidei, quo hanc fide solida appre-
hendimus, inspirat. Alterum quod contendimus est,
ut caput hoc doctrinæ salutaris perspicuè & plenè ex-
plicetur atq; prædicet, & maximè uerbis scripturæ, &
uerba scripturæ q̄ explicatissimè declarantibus. Vbi
ergo ex cōcessiōe huius uocis (sola) periculū sit, ut hac
puriss. Euangelij Christi doctrina obscuret, & cōtra-
ria

ria illi dogmata fucō uerborū picta, stabiliant, ibi ipsa Christi religio postulat, ut uocis huius usum uerū pi- umq; nobis & ecclesiæ liberū retineamus: nec dānari propter eum ecclesiā Dei in sanctiss. patrib. patiamur.

Nūc ad argumentū præcipuū. Omne, inquitis, scan- dalū uitandū est, q̄ad fieri potest salua pietate. Vox (so- la) in tractatione iustificationis fuit, & est scādalo mul- tis: alijs, ut sibi persuadeant, se etiā si sceleratē uiuant, tamē posse fide, licet mortua posse seruari: alijs quod uobis offenduntur. Potest quoq; salua pietate omitti, cum neq; sit in scripturis tradita, neque ad explican- dum mysterium iustificationis necessaria. Ergo uox hæc meritò uobis repudianda est.

Maiorē admittimus. Debent enim ab omni Chri- stiano homine studiosē euitari quæcunq; salutē proxi- morum, & eorum in pietate progressionē ullo modo obesse uideantur, siquidem uitari illa queant citra of- fensam Dei, atq; ideo scandalum multo grauius.

Ad Minorem. Si quibus scandalum sit hæc uox (so- la) ut nos quidem illa utimur, usumq; eius defendi- mus, illi scandalum illud sibi ipsis sumunt, non acci- piunt datum à nobis. Nec potest, ut in præsentiarum res ecclesiæ habent, uox ista à nobis salua pietate, & ci- tra grauius scandalum penitus repudiari.

Ad Minoris uerò probationem. Fatemur id qui- dem, uocē hanc nō esse in scripturis his elementis ex- pressam, nec diffitemur mysteriū iustificationis sine ea posse explicari. Negamus autē nos mysteriū iustifica- tionis posse debita libertate cōsiteri & adserere, si hæc uocem ad uestram & similium uestri postulationem, abijciamus. Eo enim tria admitteremus, quæ admit- ti à nobis citra offensam Dei non possunt. Vnum, quod multorum fidelium Christi ministrorum, &

Scandala
quæ affer-
ret, si uox
sola, aduer-
sarijs cōce-
deretur.

san-

sanctorum patrum, iniquam condemnationem propter pium huius uocis usum, comprobaremus. Alterum: quod Christianam libertatem impie utendis, ut rebus, ita & uocibus proderemus.

Tertium, quod impiae contra doctrinam pietatis insultationi, tum etiam obscurandae & opprimendae uerae & salutaris tractationi, huius summi capituli doctrinae Christianae de iustificatione occasionem scientes praebereamus.

Haec nemo non uidet admitti à nobis inoffenso Deo non posse. Scandala enim scienter daremus, & multo nocentiora, quam sibi ab usu huius uocis sumant, siue ij, qui propterea nobis irascuntur, siue, qui ex ea falsam sibi fidei mortuae fiduciam fingunt. Etenim ut nos ista uoce uel ipsi utimur, uel usum aliorum defendimus, nemini ullam causam praebemus, uel confidendi mortua fide, uel irascendi nobis: nam & uerum piumque uocis huius usum abunde explicamus, fiduciamque mortuae fidei perpetuo damnamus, & abunde rationem cuique beneuolè reddimus, ob quas, & quam necessarias causas consentire in condemnationem uel abiectionem huius uocis, salua pietate non ualeamus.

REPLICA XXI. COLLOCUTORVM
partis alterius.

Falsa acta Augustani Colloquij allegata, et producta à Collocutoribus partis alterius.
Augustinae tamen, inquit Cochlaus, remissa à uobis haec uox fuit, ut acta eius colloquij restant, quae rex Ferdinandus mihi exhibuit Hagenoë.

RESPONSIO COLLOCUTORVM

Confessionis Augustanae.

Nullus fuit isti Augustano Colloquio Notarius adhibitus: nec sunt ulla eius Colloquij acta legitime conscripta, Hagenoë quidem nobis exhibita sunt farago

rago quædam de eo Colloquio, cui subscriptum erat:
 Eccius contraxit: cuius contractoris fide nos nihil in
 his rebus recipere debemus. Eandem farraginem ex-
 hibuit nobis postea Billickius, sibi, ut aiebat, traditam
 à D. Bernardo ab Hagen, Cancellario Colonienſi.
 Verùm Collocutores cùm eam farraginem expendif-
 ſent, agnouerunt ex ea nihil probari poſſe. Ego quo-
 que teſtatus ſum, Cancellarium Colonienſem mihi
 Hagenoæ, cum illa conſarcinatio nobis eſſet obiecta,
 eſſe confeſſum, nulla fuiſſe Auguſtani Colloquij acta
 conſcripta, nec quicquam etiã tum nos conſeſſiſſe,
 nihil enim omnino in eo colloquio fuiſſe conciliatum
 aut tranſactum.

Iſtis ferè argumentis, quantum noſtri quidem ex-
 ceptores dicta aduerſariorum ſunt excipiendo affecu-
 ti, oppugnata eſt à Collocutoribus partis alterius hæc
 noſtra confeſſio: Nos ſola fide iuſtificari & ſeruari. Et
 hæc quæ commemorauimus, ad ea argumenta, quod
 quidem ad ſententiã attinet, reſpondimus: nam &
 uerba noſtra repræſentare, non eſt noſtræ memoriæ.
 Si quod uerò argumentorũ, quod tum illi obiecerũt,
 eſt hic à nobis prætermiſſum, aut non ſatis commodè
 uel acutè relatum (quod utruq; tamen ſicubi cõtigit,
 nolentibus contigit) iſtis integrum eſt, utruq; ſarci-
 re, imo etiã ſi uolent obijcere argutiora, noſtrasq; hic
 deſcriptas reſponſiones nouis conſutationibus reſel-
 lere. Nos interim quæ attulimus, iudicio deferimus
 ſanctorum: & quo illa hi penitius poſſint
 perſpicere, & certius dijudicare,
 paulo fuſius ea exponere
 uifum eſt.

*De certa fi-
ducia salu-
tis, quam fi-
des uera ne-
cessariò af-
fert credēti*

¶ **ALTERVM ENVNCIATVM NOSTRÆ** Confessionis, quod Collocutores alterius partis in familiarī Colloquio oppugnare uoluerunt, erat, quod dicimus fidei Christi propriū esse, omnē de æterna salute dubitationē, opus spiritus sancti, per fiduciā Christi, & gratiæ Dei, in Christo promissæ, ab animo credentis depellere. Et qui fidem Christi synceriter docent, hos docere, homines eò totis uiribus eniti debere, ut cunctam de gratia Dei, & uita æterna hæsitatiōnem à se remoueant & profligent.

Explicationem & confirmationem huius enunciatī præmissimus suprā pag. 71. 72. 73. Et repetita utraque est paucis quidem pagina 80. & 81. 82. fusius autem, à pagina 130. usq; pag. 137.

ARGVMENTVM COLLOCVTORVM AL-
terius partis primum.

Nihil debet in doctrīna Euangelij affirmari sine uerbo Dei: At quod uos docetis, hominē, quantum & quotiescūq; firmiter statuerit sibi peccata esse remissa propter Christū, oportere de remissione peccatorū nihil dubitare, certumq; esse de gratia Dei, & uita æterna, hoc nullo Dei uerbo traditū est: Non igitur iure à uobis ista salutis certitudo docetur.

RESPONSIO COLLOCVTORVM CON-
fessionis Augustinæ.

Maiores, dogma esse non nostrum, sed Dei, agnoscamus. Minorem autem non admittimus, quæ negat esse traditum diuinis literis, quod nos docemus, eorū quæ admittere dubitationē debere, quibuscūq; datū fuerit, ut certò statuāt peccata sibi esse remissa propter Christū, Etenim constat hoc diuinis scripturis præcipue

pue traditū esse, autore & interprete Christo Domino
 ipso, adnunciari debere in ipsius nomine, & offerri o-
 mnibus hominibus pœnitentiā, & peccatorū remis-
 sionē. Pertinere quoq; ad omnes homines præceptū
 illud Domini, Pœnitentiā agite, & credite Euange-
 lio. Atqui credere Euāgelio, & adnūciationi pœniten-
 tiæ, & remissionis peccatorū: quid dicemus esse aliud,
 q̄ certò statuere Euāgelium ipsum uerū esse, atq; ideo
 Dominū Iesum uerē Christū esse, & seruatorē omnium
 sibi credentiū, uereq; offerre, quibuscunq; id facit præ-
 dicari eū pœnitentiā, tū remissionē peccatorū. Cumq;
 qui uerē credūt, de eo quod credunt, nihil addubitāt,
 oportebit certē, quicūq; Euāgelio Christi uerē credūt,
 de eo, qd peccatorū percipiāt remissionē per Christū,
 nō ambigere. Fatendū est igit, præceptū Dñi esse, ut
 doceant homines, sicut ut uerē, solideq; credāt Euāge-
 lio, ita etiā ne dubitēt se peccatorū remissionē percipe-
 re Euāgelio credētes. De q̄ qui homines docet ambi-
 gere, is docet Deū nō agnoscere in promissis suis uera
 cē, & fallere homines Euāgelio suo. Rectē itaq; ac piē,
 diuinisq; scripturis omnino cōsentaneē dicit à nobis,
 homines nihil debere hesitare, peccata sibi omnino es-
 se remissa, quādocūq; & quotiescūq; certò statuerint,
 ea sibi esse, ppter Christū remissa, hoc est quādocūq; &
 quotiescūq; in D. Iesum Christū crediderint firmiter ac
 solide. Nunq̄ enim non uerū est, quod dixit: Qui cre-
 dit in me, habet uitā æternā: & facit ille omnibus, ut
 secundū uerbū eius ei crediderint. Verū cū nō sit in
 manu hominis de remissionē peccatorū suorū per Chri-
 stū certū statuere, id est, Euāgelio firmiter credere, sed
 sit opus Spiritus S. Spiritus fidei, quo soli filij Dei obli-
 gnant, adijcimus isti doctrinē semp, homines ppetuò
 orare debere patrē cœlestē per Christū, ut hunc suum

ipsis spiritū plenius adspiret, ac ita fidem hanc Euangelij sui in eis, omni depulsa dubitatione, in dies magis confirmet & augeat.

Perturbat perpetuò D. Collocutores, quod uerbo credendi intelligunt simplicem quandam credulitatē, & inanem opinionem, nō ut scripturæ, assensum Euangelij totius: & eiusmodi assensum, qui inspiratur diuinitus, & inspiratur tam efficax, ut hominem regnat, & Christo Domino inserat: atq; sine dilectione Dei, & studio omnium uirtutum esse nō possit, ut antè demonstratum est. Quis autē Christo domino credens, non iudicet debere nos in negotio Christi uti uerbis Christi, non abusu & falsa hominū opinione, sed usu & sensu eo, quo scimus illa usui passe Christū ipsum, & Apostolos eius.

Cū igitur constet Dominum ipsum & Apostolos eius dixisse: Qui credit in me, qui credit Euangelio, habet uitam æternam, non potest pudesceri, spe sua nequit frustrari, sanè impiè faceremus, si putaremus nobis non ita de fide esse loquendum & prædicandum. conaremur enim linguā corrigere Christi, et spiritus sancti. D. Petrus prædicauit in domo Cornelij de Domino: Huic omnes prophetæ testimonium ferunt, quod remissionem peccatorū accipiat per nomen eius, quisquis crediderit in eum. Paulus prædicauit Antiocheæ Pisidiæ in synagoga: Notum sit uobis uiri fratres, quod per hunc uobis remissio peccatorū adnunciatur: & ab omnibus à quibus non potuistis per legem Mosi iustificari, per hunc omnis qui credit, iustificatur.

At si omnis qui credit in Iesum, id est, qui uerè credit Euangelio eius, accipit per hunc ipsum seruatorē nostrum remissionem peccatorū, & iustificatur, certè nemo

nemo potest esse in eum credentium, qui per eum peccatorum remissionem non percipiat, id est, non iustificetur. Iam scriptum est: Quos Deus iustificat, hos & glorificat. Ex hoc igitur facile omnes pii homines percipiunt, docere, credentes uerè in Christum, dubitare tamè debere, & non certò statuere peccata sibi propter Christum esse condonata, receptosq; se esse in gratia Dei, & scriptos hæredes uitæ aternæ, docere, Christo Domino non credere, Euangelion eius reiicere, ipsum negare. Quocirca interrogabamus hoc loco Maluendam, an putaret ipse homines docendos esse, debere de Dei misericordia desperare? nam qui non possit certò statuere Deum sibi peccata remisisse, & se in gratiam filiorum suorum recepisse, eum oportere, sicut de salute sua, ita etiã de misericordia Dei desperare, ac ita perire in æternum, quia non credit in filium Dei.

Qui nõ docent salutis certitudinẽ ij docent Christi uerbis non esse credendũ.

RESPONSIO MALVENDÆ.

Respondere homines docendos esse, non quidẽ de Dei misericordia desperatè, sed nec esse de ea securos: docendos autẽ esse ut plus sperent, q̃; desperent.

COLLOCVTORVM CONFSSIONIS

Augustinæ obiectio.

Christus Dominus præcepit nos orare, & in primis *Mar. 11.* remissionẽ peccatorũ, gratiam patris sui & nostri celestis: præcepit etiã, ut in orando non dubitemus nos accepturos, quod secundum uerbum eius oramus. Idẽ docet Iacobus, cum iubet postulare à Deo sapien. *Iacobi 1.* tiam cum fiducia, & nihil hæsitare: facitq; eum qui hæsitet, similem fluctui maris qui uentis exagitur, negatq; huiusmodi quicquam à Deo accepturum.

MALVENDA.

Non est quidem dubitandũ de promissis Dei: sed

eum homo nō sit certus, an se peccatorū suorum satis
pœniteat, an satis credat promissis Dei, satisq; amee
Deum, quæ omnia homini necessaria sunt ad id, ut
promissam peccatorū remissionē, & salutē percipiat,
hinc est, ut etiā de percepta peccatorum remissione
& salute dubitare cogatur, sed sua ipsius causa, non
promissionis diuinæ, quæ, cum fallere Deus nō pos-
sit, habenda est omnibus certissima.

KESPONSIO COLLOCVTO.
rum Confessionis Augustinæ.

Quomodo certissima? Cum de eius impletione cer-
tum esse pro se neminē uelitis, sed iubeatis de ea om-
nes semper dubitare, imo planē desperare? Nam diui-
næ promissionis impletionē defigitis in hominis suffi-
cienti pœnitentia peccatorum, & fide atq; dilectione
Dei, & negatis certos esse debere, & securos de salute
sua, quos peccatorū suorum nō satis pœniteat, quiq;
Deo non satis credant, eumq; non satis ament. Quo
quid aliud facitis, q̄ ad perpetuā salutis desperationē
adigitis omnes homines? Nam nemo hominū est, qui
nō debeat, dum hic uiuīt, de eo esse certissimus, nec
quicq; addubitare se peccatorū suorū hic nunq; satis
pœnitere, nunq; Deo satis fidere, nunq; satis eū ama-
re. Si igit̄ spes de salute sua nulli certa atq; secura est cō-
cipienda, nisi quorū animos eiusmodi humiliat pecca-
torū pœnitētia, ea sustollit fides, & ea inflāmat Dei di-
lectio, q̄ satis sit, hoc est, quæ legi Dei satisfaciāt, ut uos
docetis, nullis sanē hominib. qui uestrū dogma admi-
serint, nō abijciēda erit spes omnis salutis. Itaq; nemi-
nē nō in desperationē hoc uestro dogmate depelletis.

At diuinæ scripturæ docent contrā, omnes homi-
nes debere, & agnoscere se nunquā dum hic uiuūt, sa-
tis uel de peccatis dolere, uel de Dei bonitate fidere,
Deumq;

Deumq; diligere: & tum cum horū ipsorū delictorū,
 tum omniū, quæ ex his uicijs promanāt peccatorū re-
 missionē. & salutē petere à gratuita misericordia Dei,
 per mortē filij eius, & petere hęc sine hesitatione, quā
 tacunq; sint ipsorū delicta & peccata, cum cetera, tum
 hęc ipsa, quod eos nō satis nec peccata cruciāt, nec fi-
 ducia in Deū recreat, nec dilectio ad obediendū Deo
 incitat. Si enim ob nulla quouis grandia peccata de mi-
 sericordia Dei desperandū est, semper de ea sperandū
 est, ac ideo ea perpetuò imploranda, idq; cum fiducia
 eam impetrandi, & omni reiecta hæsitatione. Etenim
 scripturæ nusquā nec perfectiā, nec certi alicuiusmo-
 di pœnitentiā, fidē & dilectionē poscunt, sed simplici-
 ter pœnitentiā & fidem, quam dilectio Dei indiuidua
 comes consequitur. Et ut fidei, ita & pœnitentiæ, &
 fidei incrementum iubet petere à Domino iugiter.

Et unde subeat homini de gratia Dei, & salute sua
 dubitatio, nisi à peccatis & delictis suis, ab eo quod
 non satis, nec peccata detestatur, nec Deum & iustitiā
 amat: Deum enim ueracem & bonū, atq; propitium
 omnibus inuocātibus ipsum, omnes fatent. At dum
 homo seipsum respicit, & magnitudinē cōsiderat pec-
 catorū suorū, eaq; legi Dei confert, minarūq; Domini
 recordat, inde subit animū eius trepidatio & anxietas
 de iudicio Dei, & de salute sua diffidētia. Dñs autē cum
 ante omnia precipit nobis, ut se amplectamur ut Deū
 nostrū, hoc est seruatorē, qui nobis pœnitētib. & cre-
 dentibus, quanq; infirmiter, tamē uelit peccata nobis
 omnia cōdonare, & salutē cōferre ppter filiū suū, hęc
 ipsam in nobis anxietatē, & trepidationē damnat, pre-
 cipitq; ut ea profligata, undecunq; illa existat, creda-
 mus Euāgelio suo firmiter, & confidamus misericor-
 diæ suæ securi. Cumq; nostra nobis obstat innata
 incre-

Incredulitas erga uerbū eius, iubet ut se oremus, quō nostram hanc incredulitatem & diffidentiam, suo ipse à nobis spiritu dignetur depellere, fidemq; Euangelij sui in nobis confirmare & augere, ac nobis, quicquid huius in nobis incredulitatis, & de promissis Dei dubitationis hæserit reliquum, ut semper dum hic uiuimus aliquid nobis adhæret, condonare.

ARGUMENTVM COLLOCVTORVM ALTERIUS PARTIS SECUNDUM.

NON omne quod promittit ilico præstat, ergo ex eo, quod nobis à Deo salus promittitur, nō consequit, eā ideo statim teneri. Quocirca ex facta nobis salutis pmissiōe cōcludi nō potest, oportere nos de ea esse securos, tanq; præstita iam nobis esset & perfecta
RESPONSIO COLLOCVTORVM CONFESSIOIS AUGUSTINÆ.

Quicquid promittit is qui nō fallit, hoc ipsum præstat etiam indubitato, siquidem possit, non quidem semper euestigio, semper tamen eo tempore, in quod promissit. Deus uerò noster & uerus est, & omnipotens: Ideo quicquid nobis pollicetur, id omnino exhibet, in illud inquam tempus, in quod promissit. Remissionem peccatorum pollicetur, & ilico præstandam cum credit Euangelio: perfectam uerò iustitiam atq; salutem pollicet perficiendam nobis in regeneratiōe, cuius tēpora & momenta in sua posuit potestate: præstat igitur Dominus peccatorū remissionē nobis, simul atq; crediderimus: perfectam aut iustitiam & salutē, cū tēpus huius aduenerit, certo aut, nisi nos spem eius abijcimus. Glorificabit enim quos iustificauerit, & spes in Deum non confundit, speq; salui iam sumus.

Ro. 8. et 5.

Hæc ferè acta inter nos sunt, in familiari colloquio, quantū equidem memoria teneo, & exceptores nostri

noſtri exceperūt. de 2. iſto cap. inter nos hoc Colloq̄o
agitato, de certitudine ſalutis, q̄ fides uera adfert, Ter
tiū caput, de q̄ in hoc Colloq̄o eſt diſputatū, fuit, q̄ di
cimus, neminē in hac uita poſſe legi Dei ſatisfacere.

Cōtra hoc Catholīcū & orthodoxū dogma in diuī
nis ſcripturis paſſim traditū, & à D. Paulo Rom. 7. cla
rē expreſſum, & à D. Auguſtino, & Hieronymo non
minus ſolidē q̄ piē Pelagianorū ſophiſmatis adfertū,
hæc ferē obiecerunt Collocutores partis alterius.

ARGUMENTVM I. COCHLAEI.

Boni principis eſt, ſubditis leges imponere poſſibi
es: tyranni, impoſſibiles. Deus bonus princeps eſt,
non tyrannus: Ergo, &c.

RESPONSIO COLLOCUTO-

rum *Confefſionis Auguſtanæ.*

Boni principis, ut & patris, & boni præceptoris
eſt, tradere leges ſuis ſubditis, quibus uocentur & im
pellantur ad bene, fœliciterq̄ uiuendū, ac ideo ad per
fectam iuſtitia, etiã ſi ſubditi, filij, & diſcipuli, ad eiuf
modi iuſtitia, & fœlicitatē peruenire non ualeant Ita
eſt etiã boni & fidi doctoris bonarū artiū, artes perfe
ctas proponere, etiã ſi nulli eas artes poſſint perfecte
aſſequi. Tum etiã boni principis, patris familiã &
præceptoris eſt, boni cōſulere, ſi ſubiecti, filij familiã
& diſcipuli legibus propoſitis fideliter ſtudeãt, & con
donare quæ propter uirium imbecillitatē non fue
runt aſſecuti. Tyrannorum eſt, præcipere quæ nō mo
dò ſunt factu impoſſibilia, ſed etiã ſubditis inutilia,
ac plerūq̄ noxia, eaq̄ ideo præcipere, ut cauſa ſit mul
ctandi, & puniēdi ſubditos: decetq̄ nihil remittere de
legibus ſuis, quanquam enixē illis implendis ſe ſub
diti impendent.

*Leges im
pletu im
poſſibiles
imponunt
ſuis omnes
boni princi
pes, patres,
& præce
ptores.*

Deus autē dedit legē nobis quanq̄ impletu, in hac
LI quidem

Ad quē u-
sum Deus
præceperit
impossibi-
lia.

quidem uita, & nostris uiribus impossibilē, salutarem tamen ac necessariā, cuiusq; obseruandę facultatē dare dignatur ad se conuersis: & ne pœnasumat de his legis non impletæ, filiū suum dedit in mortem, ut is legem pro illis impletet. iuxta illud Pauli: Cum esset impossibile legis, id est, cum premeret hominē illa legis impossibilitas, quatenus infirmabatur eius obseruatio per carnē, per quam scilicet fit, ut legem implere non possimus, misit Deus filiū suum in similitudine carnis peccati, qui de peccato cōdēnauit peccatū in carne, ut impleret in nobis iustificatio, id est, obedientia legis.

Bono itaq; nostro data est nobis lex, quanquam illa uires nostras adeò superet, ut nisi in Christo renati, ne uoluntatem quidem eius implendæ cōcipere ualeamus: docet enim nos agnoscere innatam nobis miseriam, & impossibilitatē præstandi eam iustitiā, quam Deus à nobis iure suo requirit: eoq; nos compellit cōfugere ad Deum per filiū eius, & ab eo petere, cum facultatem obeundi præceptis eius, tum ueniā eius, quod his dum hic uiuimus, nunquam satisfacimus: denique perfectam nostri inuouationem, & ad legem suam conformationem, quam perficiet Deus in regeneratione, cum corpus mortis aboleuerit. Itaq; utitur lege sua Dominus per omnia ad salutem nostram, & incipiendam & perficiendam, non ad perniciem nostram, non ad inutilem nostri humiliationem, uel oppressionem, quod tyranni legibus suis facere solent.

Nihil igitur nos tyrannicum Deo tribuimus, eo quod dicimus, dedisse eum nobis legem cui in hac uita satisfacere nemo hominū potest: sed id, quod Deus ipse de lege sua, in lege sua, ad salutem nostram attestatur, & quod agnoscit per se omnis homo, qui legem ipsam Dei, & innatam sibi imbecillitatem recte considerat.

derauerit. Nemo enim huiusmodi non deprecatur iudicium Domini cum Dauide, propter legis transgressionem, quam in se multiplicem deprehendit, & confitetur neminem hic uiuentium iustificari coram Deo, nisi hic fide mortis & crucis Christi, præmente nimirum omnes maledictio legis, quæ maledictos facit, qui cunq; nõ eius præcepta omnia perfecerint. Quæ cum in eo cuncta continentur, ut diligamus Dominum Deum nostrum ex toto corde, & tota anima, & cunctis uiribus, & proximum sicut nos ipsos, quis ea sit de se confidentia, ut legi Dei se putet in hac uita satisfacere posse?

ALTERVM ARGVMENTVM COLLOCVTORVM alterius partis.

Deus agnoscens nostram infirmitatem, nõ requirit à nobis absolutam legis suæ impletionem, sed eiusmodi, quam adiuti eius gratia possimus præstare, si uelimus, & si annitatur. Inde est ut Lucas de Zacharia & Elizabeth uxore eius prædicauerit, quod fuerint ambo iusti coram Deo, & in omnibus iustificationibus Domini irreprensibiles. Malè igitur dicitur, legem hic neminem posse implere, aut ei satisfacere, pro eo scilicet modo, quem Dominus à nobis postulat in hac uita. Luc. 1.

RESPONSIO COLLOCVTORVM Confessionis Augustinæ.

Quem modum Dominus legis suæ implendæ præscripserit, & à nobis requirat, is non est statuendus nostra imbecillitate, sed uerbo ipso Dei. Iam Dominus in scripturis suis clarè, disertèq; præcipit omnibus hominibus, ut se diligant toto corde, tota anima, totis uiribus. Clareq; maledicit omnibus, qui nõ in omnibus uerbis legis manserint. Et Paulus aperte testat, huic legis Gal. 3.

maledicto omnes homines esse subiectos : Indubiè quia nemo hominū legi Dei satisfacit, nemo præstat ea, quæ Deus lege sua ab omnibus hominibus iure suo postulat. Inde etiam illud Paulus ibidem rectè infert: Scripturam omnes homines sub peccato concludere, id est, peccati cōdemnare, & Deo totū mundum reum constituere : Ro. 3, ut promissam salutē omnes homines nullis suis operibus, nulla sua legis obedientia, sed fide percipiant, Domini nostri Iesu Christi, per quem factū propter nos maledictum, necesse habent legis maledicto liberari omnes homines.

Quod igitur de Zacharia & Elizabeth testatur Lucas, quod coram Deo iusti, & in iustificationibus Dei fuerint irreprehensibiles, hoc ita intelligendū est, ut nihilominus intelligamus & his ipsis sanctis, quibuslibet iustis & irreprehensibilibus coram Deo, omnē iustitiam & salutē cōstituisse fide Christi, qui se patri hostiā pro peccatis, ut cæterorū omnīū, ita & ipsorū, obtulit: *Act. 5.* cōprehensosq; & ipsos fuisse illo Petri dicto: Iugum legis nec nos possumus, nec patres nostri potuerunt portare, sed credimus seruari nos per gratiā Domini Iesu Christi, quemadmodū & illi. Deniq; pertinuisse & ad hunc sacerdotem Zachariam, quod *Epistola ad Heb. 7.* Hebræos de omnibus sacerdotibus scripsit, necesse nimirū illos habuisse, hostias offerre primū pro suis delictis, indubiè & pro delictis uxoris, totius domus suæ, quantalibet sanctitate illæ excelluerint.

Ex hac igitur laude Zachariæ & Elizabeth, & similibus sanctioribus laudibus, id quidem concludit, esse aliquē iustitiæ modū in hac uita, quē Deus ipse, sed propter filiū suum, approbet, magnāq; laude dignet, ac uita æterna remuneret. Id autē concludi ex his laudibus non potest, aliquid iustitiæ coram Deo ullis unquā san-

sanctis, ullam uel iustitiæ laudē & remunerationē con-
stituisse sua ipsorū obedientia, aut legis impletione, &
nō remissione potius peccatorū suorū, & iustitiæ Chri-
sti imputatione. Nullus enim sanctorū nō necesse ha-
buit orare pro uenia peccatorū, & deprecari iudicium
Dei, Pro hac enim orabit omnis sanctus inquit Psal.
32. atq; agnoscere, ut neminē hic uiuentē, ita nec se iu-
stificari corā Deo posse, sua iustitia, & sua legis obediē-
tia, quantacūq; illa fuerit. Hæc cū copiosē admodū D.

Aug. differuerit, & euidentiss. scripturis cōfirmarit, di-
ximus mirari nos, cur Cochlaus ista auderet obijcere.

Libro 2. de
peccatorū
meritis &
remiss. cap.
13. Et cōtra
Pel. & Ce-
lest. de gra-
tia, libro 1.
cap. 48.
Conclusio.

Hæc ferē agitata sunt de hoc tertio capite, de im-
pletione & impossibilitate legis. Equidē ut argumen-
ta ipsa aduersariorū, & uim illorū bona fide hic repo-
nerem, fidelem operam dedi, nec quicquā eorū sciens
præterij, quæ uel annotata à nostris sunt, uel memo-
ria ipse retinui. Si autem aduersarij putauerint quic-
quam eorum, quæ ipsi dixerūt, à me uel omissum, uel
non dextrē satis explicatum, ut & suprā dixi, id profe-
rant ipsi & explicēt, qua uelint, ac possint dexteritate.
Mihī sanē hoc propositum fuit, & in ipso Colloquio,
& in hac Colloquiū descriptione, hoc unum agere, &
quanto licuit studio, ut hæ religionis controuersiæ, de
quibus est inter nos disputatum, explicētur & cogno-
scantur quàm planissimē, quò cuiq; electorum Dei o-
mnino pateat, & solidē constet, utri sententiā & do-
ctrinam Domini nostri Iesu Christi profiteantur.

Si uerò quispiam in his nostris responsis adhuc ali-
quid desideret, quod ad rei ipsius explanationem per-
tineat, ei confido à nobis satisfiet, ubi legerit nostram,
quam nunc subiiciemus, responsionē, ad ea, quæ ad-
uersarij dictauerunt, quæ suprā his actis inserta sunt.
Etenim cum tribus diebus contulissimus nostra do-

gmata colloquio familiari, ab sc̄q; dictatione, & uideremus, quod & ante abūdē perspexeramus, nos cum his Collocutoribus, nullam piam de dogmatis Christi conciliationē posse constituere, uoluimus dictando progredi, ut Imp. M. & ordinibus Imperij materiam offerremus, de his controuersijs certius diiudicandi. Verebatur enim quod & iam accidit, ne nobis tempus pertexendi nostrā responsionem, ad illaque aduersarij contra Confessionem in acta iam cōtulerant, amputaretur.

ACTIO COLLOC. CONFES. AVGVST. VI.

Ethuius actionis nostræ capita modò cōsignata habeo, nō totā ad uerbū descriptā: rē ipsam itaq; bona fide reponā, de uerbis nemo pius morabitur.

Diximus itaq; primū nobis perpensis diligenter omnibus, quæ Collocutores alterius partis attulissent cōtra nostra dictata, adhuc aliud nō uideri, q̄ tres modò reales hærere inter nos controuersias, circa articulos iustificationis fidei & operū, quos scilicet ipsi permiscuerant, ut suprā testati essemus. Vnā, de uī & merito operum, quæ dicunt illi iustificationē præcedere. Alterā, de natura & certitudine fidei. Tertiam, de precio & mercede operū bonorū, quæ fiunt à iustificatis. Ac proinde uelle nos ad has tres controuersias reuocare, quæ uterq; Maluenda & Billickius contra sententiam nostræ Cōfessionis attulissent omnia. quantum enim hi actiones inter se distribuissent, circa eadem tamē nostra axiomata utriusq; uersata oppugnatio fuit, ut ostendemus.

Verū cum Maluenda uoluisset reprehendere etiam quam præmisimus explicationem uerborū, quæ in primo Confessionis axiome posita sunt, diximus nos uidere cōtrouerti inter nos etiā de his uocibus, iustifi-

ustificari, iustitia, & gratia, has itaq; uerborum contro- *De triū uo-*
 uersias esse primū nobis expediendas, deinde transf. *cū germa-*
 eundum ad controuersias rerum. *na significa-*

Reprehenderat uerò Maluenda nostrā illam uo- *tione motæ*
 cum interpretationē de tribus rebus, primū, quod in *controuer-*
 explicādo uerbo iustificari suam explicationē iniuria *sie, iustifi-*
 suggillassemus: deinde pro Apostolica eius uocis si- *cari, iusti-*
 gnificatiōe nō apostolicā supposuissēmus: postremò, *tia, gratia.*
 quod quid per proprias uires, merita, & opera intelli- *Tria Mal-*
 gamus, in explicatum reliquissēmus. *uēda repre-*
hendit in

Quod ergo Maluenda primo loco questus de no- *explicatio-*
 bis fuerat, erat, se indignē a nobis fuisse reprehēsum, *ne uocum*
 quod interpretando uerbum iustificari, non omnes *primæ the-*
 eius attulisset significationes, quibus hoc uerbo diui- *sis.*

næ scripturæ utuntur. Nam cum adiecisset (quod ad
 hanc quidem rem attinet) uideri uolebat se satis mo-
 nuisse, in primis hominem circumspectum, se alias
 significationes huius uocis prætermisisset partim stu-
 dio breuitatis, partim quod ad argumentum propo-
 situm non facerent. Ad hæc nos respondimus, nos
 non reprehendisse, quod non omnia uerbi huius si-
 gnificata, quæ in diuinis scripturis reperiuntur, expo-
 suisset, sed quod ea quoq; prætermisisset, quæ ad pro-
 positum argumentū omnino pertinent, & ad expedi-
 endam quæstionem de iustificatione inter nos cōtro-
 uersam omnino requiruntur. Nam ipsum eam quo-
 que uerbi huius significationem prætermisisset, qua illo
 Apostolus in doctrina de iustificatione utitur, & nos
 in Confessione nostra usi sumus Apostolum secuti.

Dixerat præterea Maluenda hoc loco, qua nos si-
 gnificatione hac uoce iustificari uteremur, nos uidere
 debere. Quod q̄ dixerit præter rationē, ex eo facile in-
 telligit̄, si cogitē, quod ea potissimū de causa cōmissi

ab Imperatore eramus, ut excuteremus, quid in nostra Cōfessione recipiendū, uel reiiciendū uideretur. Ad quam sanè rem necessariū, & nostri utriusq; officij erat, explicare & cognoscere, qua significatione nos quibusq; uocib. in nostra Cōfessione uti sumus. Quo modo enim de ea Cōfessione iustū faciāt iudiciū, cuius uerba non rectè intelligant. Sed istud modò omit-
tamus, & quæ de prima uerbali controuersia, de significatione scilicet uera & paulina, uerbi iustificari, respondimus, referamus.

DE PRIMA VERBALI CONTROVERSA,
quid Apostolo significet uerbum Iustificari, cum
dicit nos iustificari fide.

Cū itaq; Maluēda dixisset, se eā uerbi huius Iustificari significationē reddidisse, q̄ & Paulo fuerit familiaris, et ab Orthodoxis patrib. usurpata, & negasset eā q̄ nos attuleramus, esse apostolicā; ut exploratius cognoscere, utra interpretatio huius uerbi, Maluēde, an nostra, cū uerbis Apostoli cōsentiret, repetiimus primū & scripturis cōfirmauimus, q̄ antè de significationib. huius uocis breuius p̄strinxeramus. Deinde q̄ cōtra hæc Maluēda dixerat, excussimus & cōfutuimus. Et priore loco de 1. deinde de 2. uerbi huius significatione. Quia uerò, quæ de significatis uerbi iustificari tū diximus, supra in descriptione Colloquij familiaris ferè omnia relata sunt, pag. 179. & seq. nō est ratio ut hic repetant. Sūma erat: affirmauimus ab Apostolo uocē hanc (in ea scilicet doctrina, qua de disputabamus, de iustificatione) usurpatā esse significatione forēsi, p̄ iudicari se cūdū aliquē, sed cōdonādo malā causā, nō ap̄ pbādo bonā. i. p̄ remitti peccata, recōciliari deo, recipi in gratiā Dei: idq; nō ob ullā, quæ in homine reperiat, iustitiam, sed ex mera gratiā Dei, & propter iustitiam, ac
meri-

meritum filij Dei. Adiecit autem, quò plenius de omni uerbi istius usu, quo illud quidem diuinæ literæ usurpant, constaret accipi uerbum hoc aliquando & pro approbari alicuius bonam causam, pro laudari scilicet & remunerari à Deo aliquè ob iustitiam, & præstitam ipsi obedientiam. Sic diximus usurpatum hoc uerbū à Paulo, cum scripsit, Non auditores, sed factores legis iustificari coram Deo. Et à D. Iacobo quando dixit, Abrahā & Rahab iustificatos esse ex operibus, non tantum ex fide: itaq; iustificari omnes pios homines. Nec illud dissimulauimus, uocē ipsam in Apocalypsi cap. 22. usurpatam esse, pro proficere in iustitia.

ET S. PATRES SENSISSE VOCE IV.
stificationis apud Paulum primū significari peccatorum remissionem.

PORRO quia aduersarij nobis inuidiam nouitatis mouere semper conātur: & Maluenda ad comprobendam suam interpretationem, aliquot D. Augustini dicta adduxerat, uisum fuit, & nos aliquas sanctorum Patrum sententias afferre, in quibus perspicitur, & S. Patres & uerbo iustificationis pro peccatorum remissione, & non iustitiæ inhærentis donatione, usurpasse.

Cæterum diximus nos non inficari, S. Patres plerumq; maxime latinos per iustificari hominem, intellexisse, donari hominem cōdonatis peccatis, iustitia ipsi inhærente: secutos enim esse etymologiam latinam, & id considerasse, quod peccata à Deo nemini remittuntur, nisi cui simul spiritus fidei, & iustitiæ inhærentis infunditur. Sed addidimus eos nec illud ignorasse, aut tacuisse, quod his uerbis, iustificari, & iustificatio, Apостоło primū significatur, & exprimitur peccatorum remissio, & in gratiam Dei receptio, De eo itaq;

Mm adduxi.

adduximus testimonia duo ex D. Ambrosio, unū ex D. Augustino ni fallor. Prius D. Ambros. testimoniū quod adduximus, est ab eo scriptū in 5. cap. Ro. Gratia uero Dei, inquit, per Christum, non ex uno delicto sed ex multis iustificauit homines, dando illis remissionem peccatorū. Alterū in cap. 8. Quomodo autē impletur in nobis iustificatio, nisi cum datur remissio omnium peccatorum, ut sublati peccatis iustificatus appareat, mente seruiens legi Dei. His sanē uerbis clarē uidemus D. Ambrosiū nomine iustificatiōis intellexisse remissionem peccatorum, quam quidem sensit eo in homine apparere, quod seruiat mente legi Dei, constare autem illam homini, peccatorum remissione.

D. Augustini testimonium est in 2. lib. contra Iulianum: iustificatio porrò, inquit, in hac uita nobis secundum tria ista confertur: primū, lauacro regenerationis, quo remittuntur cuncta peccata, deinde congressione cum uicijis, à quorum reatu absoluti sumus: tertio, cum nostra exauditur oratio, qua dicimus, Dimitte nobis debita nostra.

Et hic quis non uideat D. Augustinum quoque per iustificationem intellexisse peccatorum remissionem, & in prima hominis cum Deo reconciliatione, & quoties à patre nostro coelesti uentiam precamur peccatorum & delictorum nostrorum condonationem. Quod certē faciendū nobis est, dum in hoc mundo uersamur perpetuò.

Verū quia non S. Patrum, sed D. scripturarum autoritate niti debet fides nostra, & consistere omnis doctrina religionis nostræ, iudicio offerimus priorum demonstrationem nostram de uocum harum interpretatione, quam supra ex D. scripturis depromptam exhibuimus, à pag. 203. usque ad pag. 208.

RESPONSIO AD SCRIPTURAE

loca, quæ Maluenda pro sua, contra nostram

interpretationem adduxit.

NUNC ad ea respondere uolumus, quæ Maluenda contra hanc nostram interpretationem uoluit obijcere. Et priore loco ad illa, quæ attulit contra primam istam iustificationis significationem, qua diximus significari hac uoce, malæ causæ condonationem: id est peccatorum remissionem.

Maluenda itaq; conatus probare, non quam nos, sed quam ipse exposuisset, uerbi, Iustificari, significationem esse Apostolicam, quod scilicet significaret, fieri aut ex iniusto iustum, aut ex iusto iustiozem, & id iustitia inherente: priore loco protulit quædam Apostoli dicta, deinde & D. Augustini.

Primum Apostoli dictum quod citauit, erat illud: Iustificati per gratiã eius, Rom. 3. Hoc cum adduxisset, subiecerat Apostolum hic per gratiã planè donum infusum intelligere, idèq; Apostolum docere alio loco, ubi scripsit Rom. 5. Charitatẽ Dei diffusam esse per spiritum sanctum in cordibus nostris. Quam gratiã alibi donũ appellari, cum dixit: Non sicut delictũ, sic & donum. Hæc Maluẽda pro imaginatione sua adduxit ex Apostoli uerbis. Quò itaq; appareat nihil concludere ista pro Maluẽda, resoluamus argumentationẽ, quam ex his Apostoli dictis putauit se concludere. Ea sic habet resoluta. Paulus disserẽs de iustificatione uite, dixit iustificari nos gratia: Hanc aut gratiã docet ipse esse donum infusum: Ergo uerbũ iustificari significat Paulum primũ, nõ peccata alicui cõdonari, sed infundi iustitiam inherentem. Minoris probatio. Idem Apostolus alibi scripsit, Charitatem Dei esse diffusam in cordibus nostris. & Non sicut delictum, sic & donum.

Hæc uerò minoris probatio, quid quaeso habet argumenti? Nam etiam si demus Paulū per charitatem, quam scripsit esse diffusam in cordibus fidelium, intellexisse charitatem, qua nos Deum diligimus, & nō potius eam, qua Deus prior nos dilexit, & diligit perpetuò: & donum Christi, quod opponit delicto Adæ, non de dono recōciliationis nostrī cum Deo, sed de infusa & inchoata in nobis iustitia. tamen quid omnino in his uerbis est, quod probet Paulum in isto suo dicto, iustificari gratis, gratia illius, gratiæ nomine significasse, non gratuitam Dei in nos beneuolentiam, sed donum in nobis inchoatæ iustitiæ. Nec enim suscepit Paulus his locis 5. cap. interpretandū, quod antè dixerat, cap. 3. iustificari nos gratis gratia Dei: nec est apud ipsum gratia Dei, idem quod nostra charitas erga Deum. Nemo itaq; nō uidet, Maluendam nullam potuisse Minoris suæ cōfirmationē afferre ex his Pauli locis. Veruntamen cum horum Pauli locorum iusta explicatio ad pleniorē causæ huius cognitionem aliquid sit collatura, uindicare ea uolumus falsa Maluendæ interpretatione, & suæ illa naturæ interpretationi restituere.

Explicatur
Iustificamur gratis gratia.

Primum itaq; Pauli dictum sic habet. Omnes peccauerunt, & destituuntur gloria Dei, iustificantur autem gratis, gratia eius, per redemptionem factam per Christum Iesum, quem proposuit propitiatorem, per fidem, intercedente sanguine eius, ad ostendendam iustitiam suam, per remissionem peccatorum antè factorum, &c. In his uerbis quid non sonat remissionē peccatorum? per redemptionem, inquit, Christi Iesu. At unde nos hic redemit, nisi à peccatis, & peccatorū condēnatione? Quæ sit quoq; alia propitiatio illa, quā hic sanguine suo perfecit, quā ipsa peccatorū remissio?

De-

Denique cum dicat, ostensionem iustitiæ diuinæ erga nos, quæ utiq; est nostri iustificatio, fieri per remissionem peccatorum: quid possit dici Paulum uoluisse aliud significare in hac oratione, per uerbum iustificari gratia Dei homines, qui omnes peccauerūt, & gloria Dei beneuolentiā & cōmuniōne destituūtur, quā iustificari eos, ex gratuita Dei beneuolentiā.

Et gratiam igitur Dei, quæ dixit Apostolus nos iustificari, quam dicamus Apostolum intellexisse aliam, quā gratuitam illam Dei misericordiam, qua Deus, & à Christum filium suum nobis donat propitiatorem, & à peccatis redemptorem, & propter sanguinem eius peccata nobis condonat: Etenim quantalibet sit illa gratia, quam Maluenda intelligit, nostri scilicet inuatio & sortis diuinæ cōmunicatio, tamen ea iustificari coram Deo non possumus, iustificatione scilicet uitæ, qua æterna Dei gloria & uita nobis addicitur. Sed hæc sola nobis Dei gratuita beneuolentiā constat & misericordiā, meritoq; seruatoris nostri Iesu Christi. Hanc igitur Dei gratiā Apostolus & scriptura omnis, ubiq; præcipuè celebrat, quanquam huius gratiæ donum, inchoatam in nobis iustitiam non taceat. Contrā Maluenda ad hanc donatam gratiam, ea detorquet, quæ sunt encomia propria gratiæ donantis Dei.

Secus faciunt D. Patres, scripturam secuti. D. enim Ambrosius in hunc ipsum locum: iustificati gratis gratia ipsius, ita scripsit: iustificati sunt gratis, quia nihil operantes, neq; uicem reddētes, sola fide iustificati sunt, dono Dei, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu. gratiam Dei in Christo esse testatur, quia uoluntate Dei, à Christo redempti sumus, ut manumissi iustificaremur.

Quid nomine gratiæ.

Gratia non donum iustitiæ, sed beneuolentiæ donantis Dei. Ambrosius.

Vides ergo hunc uirum Dei, nomine gratiæ intellexisse

lexisse uoluntatem Dei, qua à Christo redempti sumus.

De eadem gratia & D. Augustinus hunc locum intellexit: Sic etiam scripsit de Spiritu & litera cap. 27. Et ideo, quia nō est distinctio, egent gloria Dei, iustificati gratis per gratiam ipsius. Qua gratia in interiore homine renouato iustitia scribitur, quam culpa deleuerat, & hæc misericordia super genus humanum per Christum Iesum Dominū nostrum. Vides quā clarè Augustinus expresserit se per gratiam hoc loco non iustitiam donatam, sed eam Dei misericordiam intellexisse, qua hæc iustitia in cordibus hominum inscribitur.

His consentit & Gennadius scribens in hunc eundem locū, Διὸ πάντες πισθοντες ἐς χεῖρὸν δωρεὰν δικαιοσύνης, ὅτι πισθίην μόνον σωφροσύνην. πῶς δὲ δικαιοσύνη; Ἄπολυτοί ἐσμεν τοῖς ἁμαρτίαις ἡμῶν. Ἄλλο τίς δὲ ἀπολυτῶς μὴ; Ἄλλο ἵος χεῖρὸς. πῶς ἀπολυτῶνται ἑαίνε; ὅτι ἰδὲ ἁμαρτίας. Item paulo post. πῶς δὲ δικαιοσύνη; Ἄλλο τίς ἀφίεσθαι τῶν ἁμαρτιῶν, ἢς τυχεῖν οὐκ ἐστιν ἵος: hoc est, Propterea omnes qui credunt in Christum gratis iustificantur, tantum fidem adferentes. Quomodo uerò iustificamur? cum à peccatis redimimur, per quem uerò redimimur? per Iesum Christum. Quo redimente illo? Proprio sanguine. Item: Quomodo iustificamur, scilicet credentes? per remissionem delictorum quam consequimur in Christo Iesu. Hæc de loco primo per Maluendam adductio. Non tantum igitur uerbi Dei, sed etiam sanctorum Patrum autoritas fiat à nobis contra Maluendam, quod attinet ad hunc locum. Nam & illi in hac Pauli sententia per gratiam qua iustificamur, non inchoaram in nobis iustitiam, ut Maluenda, sed ut nos, Dei gratuitam misericor-

Nota, Tò πισθῆναι μὲν ἕρ.

Gennadius.

Tantum fidem adferentes.

Iustificatio à peccatis redemptio.

Iustificamur per remissionem peccatorū.

cordiam intellexerunt.

Alter locus Pauli, qui loquitur, ut diximus, de claritate, non de gratia, sine causa à Maluenda adductus est, cum docendum ei esset, quid Paulus alio loco intellexerit, per nomen gratiæ. Tamen qui hunc locum rectè intuetur, facile uidet Apostolum eo non esse locutum de charitate, qua nos Deum diligimus, sed qua Deus prior dilexit, & diligit nos. Ita ut & D. Ambrosius, & Chrysostomus, eum enarrauerunt. Subiecit enim Apostolus hoc dictum, ut probaret, quod ante dixerat, Nos fide iustificatos, stare, & gloriari sub spe gloriæ Dei, & gloriari de afflictionibus, scientes scilicet quod afflictio patientiam, patientia probatio nem, probatio spem efficiat, & spes non pudeat. Ad hæc uerò comprobanda, quis non uideat multo plus argumenti afferri ex eo, quod admonemur dilectionis Dei erga nos, quam si admoneamur dilectionis nostræ in Deum: illius enim, ea quæ commemorauit, dona sunt, patientia, probatio, spes. Tum ex eo solo, quod Dei erga nos charitas in cordibus nostris per spiritum sanctum diffunditur: id est, solidior huius charitatis fides, & sensus plenior nobis inspiratur, in fiducia misericordiæ Dei, quicquid aduersi nos pre mat, solide corroboramur. Tamen si enim confirmet hanc fiduciam non nihil etiam id, quod sentimus nos diligere Deum, ut D. Iohannes docet (est enim hoc ipsum præclarum diligentis nos Dei donum, & opus in nobis) tamen perfectam non potest id nobis consolationem, & spei nostræ confirmationem afferre, propterea quod nostra in Deum dilectio nunquam tanta est, in hac quidē uita, quin de eius imminutione necessario metuemus, necesseque habeamus, fiduciā ac spem salutaris rotā figere in dilectione Dei erga nos, qua ille nos præ-

Explicatur
locus chari-
tas Dei dif-
fusa in cor-
dibus no-
stris.

præuenit, & cōdonare dignatur, propter filium suum, quod nostræ in ipsum dilectioni adhuc & hic semper deest. Hanc interpretationem cōprobant, & quæ huic suo dicto Apostolus subiicit. Nā pro ratione & causa dicti sui, de diffusa Dei in cordibus nostris charitate, & eorum quæ huic dicto præmisit, quod scilicet fide iustificati pacem habemus erga Deum, & aditum in gratiam hanc, ut gloriemur de gloria Dei, ac etiam in afflictionibus eius, cōmemorauit, quod Christus mori uoluerit pro nobis, adhuc infirmis & impijs, & quod hæc tanta dignitate commendet Deus suam erga nos dilectionem: sicut & Dominus ipse dixit Ioan. 3. Sic dilexit Deus mundum, ut filium suum unigenitum daret, &c. Et Apostolus 8. cap. in eadem Epist. Si Deus pro nobis, quis cōtra nos? Qui filio suo non pepercit, sed tradidit eum pro nobis omnibus, quomodo non & cum eo donaret nobis omnia? Qui igitur uerba Apostoli ipsa ritè considerat, & in hoc ipso quem Maluenda adduxit, & in alijs locis, is satis ipse uidebit, hoc Apostoli dictū, Diffusam esse in cordibus nostris charitatem, &c. intelligendum esse, nō ut Maluenda illud interpretatur, de charitate nostra in Deum, sed ut nos interpretati sumus, de charitate Dei erga nos.

Augustinus charitatem nostri in Deum intelligit.

Sed dicit Maluenda, autorem habeo meæ interpretationis D. Augustinum. Habet quidem, sed nos nostræ habemus Paulū ipsum, & ad stipulatores D. Ambrosium, Chrysostomum, Photiū. Ambrosius enim in hunc locū scripsit: Fidele esse promissum Dei, pro quo spiritus sanctus datus Apostolis, qui diuersis linguis imperiti loquerentur cum interpretationibus, quæ præstitit & nobis ad confirmandam spem, & ut charitatem Dei commendaret in nobis: ut quia charos falli impossibile est, securos nos faceret de promissione: quia

quia & Deus est qui promissit, & ijs quos charos habere uult, promissit.

Chrysoſtomus uerò: Et si non ualde dignus sis, ne despondeas animum, habens magnum patronum dilectionem iudicatis. Et propterea cum dixisset, Spes non confundit, totum salutis negotium, non in probè factis, sed in dilectione Dei posuit potius. Vnde manifestum, inquit, quod illic dabit nobis Deus bonæ. Vnde: Ex his quæ hic dedit. Quid dedit? Spiritum, inquit, qui ex sola dilectione Dei qua dilexit nos, nobis prouenit. Non enim ex proprijs benefactis gratiam spiritus attraximus, &c. Hæc ille: Et Origenes hanc ueritatem loci huius interpretationem cõprobat, tamen si alterã, quam & Augustinus secutus est, nõ improbet.

Vides, etiam si Patrum autoritatibus agendum sit, stare à nobis, & grauiores inter eos & plures. Nam quantum meritò pondus habeat unius Chrysoſtomi autoritas in interpretandis scripturis, præsertim noui Testamenti, non ignorant, qui illius & cæterorum S. Patrum enarrationes in scripturas legerunt. Sed nos ad Paulũ ipsum prouocamus, & lectorem hortamur, ut probè perpendat, quæ ille huic, de quo agimus dico, Dilectio Dei diffusa est in cordibus nostris, & præmiserit, & subiunxerit, illa nimirum de iustificatione si dei, de pace cum Deo, de accessu per Iesum Christum in gratiam filiorum Dei, de gloriatione sub spe gloriae Dei, de gloriatione in afflictionibus, de spe non confundente, de cõmendatione dilectionis Dei erga nos, per traditionem filij sui in mortẽ, pro nobis adhuc impijs, & inimicis suis. Hæc de altero Pauli loco, qui est de dilectione Dei diffusa in cordibus nostris, Rom. 5.

Videamus iam & tertium locum per Maluendam citatum, quẽ ex eodem 5, cap. ad Rom. protulit. Non

Explicatur locus, Non sicut delictū sic & donum. sicut delictum, sic & donum. Quod hic donum latine redditum est, id est ab Apostolo Grece scriptum χάρις, quod & δωρεάν, καὶ δωρεὰν ibidem uocat, dicitur conferri illud nobis ex gratia: id est, beneuolentia gratuita patris, qua pater filium suum gratum sibi habuit, & propter eum nos, & ex iustitia & obedientia filij: id est immolatione in mortē propter nostra peccata expianda.

Si enim, inquit, unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei, et donum in gratia ea, quæ est unius hominis Iesu Christi, in multos abundauit. Et non sicut per unum qui peccauit, ita donum habet: iudicium enim est ex uno ad condemnationem, donum uero ex multis delictis ad iustificationem. Si enim unius delicto mors regnauit per unum, multo magis regnabunt in uita per unum Iesum Christum, qui acceperunt abundantiam gratiæ & doni iustitiæ.

In his uerbis Pauli, quis non uideat, primum eum aliud significare uoluisse nomine doni, quod χάρις, δωρεάν, καὶ δωρεὰν uocat, aliud per nomen gratiæ, id est, χάριτος. Scribit enim, Gratia Dei, & donum in gratia: item, Qui acceperunt abundantiam gratiæ, & doni iustitiæ. His sanè uerbis donum à gratia, ut effectum à causa separat. Deinde hoc quoque ex his Apostoli uerbis planum est, eum, hoc ipsum iustitiæ donum, quod ex gratia Dei contigisse nobis prædicat, nullum aliud intellexisse, quàm nostram cum Deo per mortem filij eius reconciliationem, id est, nostri iustificationem. De hac enim iam differuerat, & dixerat, Multo magis nunc iustificati sanguine eius seruiabimur per eum ab ira. Si enim cum inimici essemus reconciliati sumus Deo, per mortem filij eius, multo magis

magis iam reconciliati seruabimur per uitam eius. Et his subiecit. Non ut delictum, sic & donum. Hinc quis non uideat Apostolum per hoc donum nihil uoluisse aliud dicere, quam nostri cum Deo reconciliationem, hoc est nostram iustificationem? Quod donum nobis Deus nulla nostra iustitia, id est, charitate in ipsum, sed sua in nos charitate contulit, qua scilicet nobis filium suum donauit placatorem, atque conciliatorem, & nos propter mortem filij sui in gratiam recepit, hæredesq; uitæ æternæ constituit. Et hanc uocat Apostolus gratiam, cum Dei, tum Christi: Dei patris, ut cuius sit ultronea & omnino gratuita beneuolentia: filij, quia in hoc dilectio filio suo, & ex charitate erga hunc immensa, & nos sibi gratos fecit, acceptos & charos, donans nobis donum iustitiæ, quæ apud ipsum iusti habeamur, hoc est eo loco eaq; gratia, ut hæreditatem nobis addicat uitæ æternæ.

Nam hanc iustitiam dicit constare nobis, nulla nostra uirtute, aut obedientia legis diuinæ, sed per obedientiam Christi, & iustitiam eius. Sicut per unius inobedientiam, inquit, multi peccatores constituti sumus, ita & per unius obedientiam iusti multi constituentur.

Non deest quidem, ut dictum saepe est, iustificationis, & in gratiam Dei receptis, id est, dono reconciliationis, per obedientiam Christi, in filios Dei adoptatis, donum inhærentis iustitiæ. uerum quia per hoc donum, & hanc inchoatam in nobis iustitiam, iustificari coram Deo, & admitti ad hæreditatem uitæ æternæ, propter eius imperfectionem non possumus, maluit Apostolus sermonem suum hoc capite totum consumere in prædicanda gratia & charitate illa Dei, qua

suum nobis filium donauit in mortem, & nos sibi per hanc filij sui mortem reconciliauit, hæredesq; fecit uitæ æternæ. In sequentibus autē capitib. 6. 7. & 8. nō pauca & de eo gratiæ diuinæ dono disserit, quo & in nobis iustitia hic inchoatur: hoc est, de uitæ nostræ, ad placita Dei in nouatione. Ex his igitur abunde liquet Apostolum, quanquam alibi etiā ipsam inchoatam in nobis iustitiam gratiæ & doni Dei nomine intelligit, ut sanè præclarum Dei & gratuitum donum est, tamen in hoc 5. cap. gratiæ nomine significare gratuitam illam Dei in nos charitatem, qua filium suū nobis dedit, & per eum nos sibi reconciliauit. Doni uerò nomine hanc ipsam nostri cum eo reconciliationem, id est, nostri iustificationem.

Conclusio. Itaq; planum factum est, Maluendæ opinionem qua in dicto Pauli, iustificantur gratis gratia eius, opinatur, per gratiæ nomen, donum debere intelligi inchoatæ in nobis iustitiæ, & eodē dono rationem consistere nostræ iustificationis, ex his Pauli locis quæ ad iuxta, tam non confirmari, ut ea ex his ipsis locis euidentissimè refutetur: confirmetur autem & demonstretur clarissimè, uerum esse, quod nos confitemur, & iustificationem uitæ, apud Paulum significare peccatorum remissionem, id est nostri cum Deo conciliationem, iustitiæq; Christi communicationem: & nomen gratiæ, cum dicit, nos iustificari per gratiam Dei, significare ultroneam illam & gratuitam Dei erga nos beneuolentiam & charitatem, qua nos Deus prior propter filium suum dilexit, gratosq; sibi fecit & acceptos. Hæc, de quibus iudicent omnes spiritu Dei præditi, respondere uoluimus ad autoritates D. literarū, quas Maluenda pro confirmanda falsa sua imaginatione adduxit, cum illam hæc reuera cōfutant. Videri possimus

mus plura, quàm par sit, in hæc explicanda uerba profudisse: Verùm qui considerauerint, quàm densas tenebras aduersarij doctrinæ Apostolicæ de iustificatione, apud multos offundant ex eo, quod per nomē gratiæ docent intelligere, non quod Paulus eo significauit, charitatem in nos gratuitam Dei, uerum donum inchoatæ iustitiæ in iustificatis, ac deinde per iustificationem, huius eiusdem doni collationem, non nostri cum Deo reconciliationem, id est, peccatorum remissionem, hi non dubitabunt, hæc non frustra explicari tam copiosè.

RESPONSIO AD LOCA D. AVGVSTINI, quibus Maluenda uoluit ostendere, D. Augustinum sensisse, per uerbum iustificationis, donationem iustitiæ inherentis, primum intelligi debere.

Nunc de D. Augustini autoritatibus quas Maluenda adduxit uideamus quid probent. Sex adduxit: duas ex Epistola ad Sixtum. unam ex libro de Spiritu & litera, cap. 23. unam primo libro contra Pelagium & Cœlestium. unam ex primo libro de peccatorum meritis & remissione. unam extractat. in Ioan. Jam loca hæc inspiciantur, & diligenter ponderentur, supra in Maluendæ actione descripta sunt, certè nihil his aliud docetur, quàm hunc uirum Dei, per uerbum iustificari intellexisse, fieri ex homine peccatore iustū, & ex impio pium. Et hoc ipsum fieri occulta quadam inspiratione & communicatione gratiæ spiritualis: id est, infusione charitatis, qua nos Deū diligamus. Nos uerò neutrum horum inficiamur, ultro enim diximus initiò nos agnoscere & hunc, & alios S. Patres. uocem & rem iustificationis ad hunc modum, non uno in loco explicare. Sed nec illud negare nos, qui iustificantur, fieri iustos & pios, ex peccatoribus iniustis & im-

Excutiuntur d. Sta Augustini à Maluenda adducta.

pijs. Et id quoque ut iusti & pii sint, consistare eis in-
 spiratione, communicatione & infusione gratiæ spiri-
 tualis, charitatis indicium noui hominis. De his itaq;
 diximus nos nihil pugnare.

Illud autem addidimus, ut homines ex peccatori-
 bus iniustis & impijs iusti & pii fiant, hoc primum cō-
 stare omnibus gratia Dei, & reconciliatione per Chri-
 stum, qua Deo reconciliatur, cum adhuc impij & ini-
 mici eius sunt, & nihil adhuc in se iustitiæ obtinēt. Et
 quanquam Deus omnibus sibi per filium suum re-
 conciliatis, & in filios adoptatis ex inimicis, infundit
 spiritum filiorum Dei, suiq; dilectionem, id est inchoa-
 tam iustitiam, hanc tamen a deo, dum hic uiuimus, esse
 imperfectam, ut per eam iustificari coram Deo, hoc
 est peccatis omnibus liberari, & uitæ æternæ fieri ca-
 paces, nunquam possimus, iustificariq; semper ne-
 cesse habeamus, iustificatione uitæ, id est, qua condo-
 natis peccatis in gratiam Dei recipiamur, propter iusti-
 tiam Christi, & numeremur inter iustos, quibus Deus
 aditum patefecit, ad percipiendam plenā hæreditatem
 regni sui. Hinc declarauimus id non controuerti in-
 rint, hominem donari inherenti iustitiæ: & An hæc ne-

*Quid in cō-
 trouersia,
 quid non.*

*Ignoratio
 elenchi.*

cessario insit iustificatis: sed an hæc inchoata iustitia il-
 lud sit, quod hac uoce iustificari in Apostolo primum
 significatur, quoq; ratio nostræ iustificationis coram
 Deo primum constat. Cum iam ex adductis per Mal-
 uendam Apostoli dictis, neutrum concludatur, nec
 quod collatio iustitiæ ullius inchoatæ primum illud
 sit, quod Apostolo his uerbis, iustificari & iustificatio
 significatur, nec id primum quo constat iustificatio
 uitæ planum est, Maluendam adducendo D. Augu-
 stini sententias lapsum esse ignoratione elenchi, cona-
 tumq;

tumq̄ probare, quod ultro damus: ad id autem, quod in controuerso est, nihil attulisse argumenti. Tam enim abest, ut Maluenda per citatas à se D. Augustini sententias demonstrauerit, Augustinum sensisse ab Apostolo iustitiam à nobis inchoatam primum uel intellectum esse in uerbo iustificari uel positā in iustificationis uitæ ratione, ut in altera, quam adduxit, sententia clarè perspiciatur. Diuum Augustinum fuisse in ea sententia, in qua nos sumus, & quam Maluenda uoluit oppugnare, peccatorum scilicet remissionem non iustitiam inchoatam esse, id quod Apostolus primum; cum in uoce iustificationis uitæ intellexit, tum in ratione iustificationis uitæ collocauit.

Nam D. Augustinus in hac sententia secutus Apostoli locutionem supra adductam ex 13. Actorum dixit homines iustificari à peccatis, & ab originali, & ab ijs malis, quæ unusquisque in uita propria congregat, non dicit iustificari eos iustitia infusa. Item dicit iustificari homines remissione peccatorum. Addit quidem. Non hac solum, sed prius ipsius inspiratione fidei & timoris, impertito salubriter orationis affectu, & effectu. Sed his uerbis quid aliud uir Dei, quam operum Dei nos iustificantis ordinem descripsit, idq̄ ita ut iustificationem in peccatorum remissione constituerit. Dicit enim nos iustificari à peccatis, inspiratione, non propriæ iustitiæ, sed fidei & timoris Dei, ut eim oblatâ Euangelio iustificationē, à peccatis, & expectamus, & amplectamur, opus est fide, qua Euangelio assentiamur, & timore à iudicio Dei, propter peccata nostra, quorū nisi pōdus sentiamus, opē medici Christi, nec exoptamus, nec admittimus. Necesse est igitur, ut ante omnia Dominus ihs, quos dignatur iustificare, fidem

Fidem inspiret, & timorem iudicij sui, impertiatq; orandi peccatorum ueniam affectum, quem cum frustrari nō possit, impartitur etiam orationis huius effectum: id est, peccatorum remissionem, qua à peccatis omnibus iustificantur.

Manifestum igitur est, D. Augustinum hic idem docere, quod nos confitemur, Iustificationem scilicet primū constare peccatorū remissione, atq; ideo hanc iustificationis nomine primū significari. Copiosissime enim in libro contra Pelagianos omnibus docet, nullam posse in homine inesse inchoatam iustitiam ante fidem remissionis peccatorum: & post peccatorum remissionem nullam posse in eo esse, in hoc quidem seculo perfectā iustitiam. Confirmat enim passim neminem unquam sanctorum fuisse nec esse absque peccato, hoc est, legis diuinæ transgressione, ac ideo omnium spem & fiduciam salutis, una niti oportere misericordia Dei, & iustitia Christi.

At in quinta sententia, inquires, scribit D. Augustinus, iustificari in Christo, qui credunt in eum propter occultam communicationem, & inspirationem gratiæ spiritualis, qua quisquis hæret Domino, unus spiritus est. Ita scribit: sed quid pugnat istud cum eo, quod nos asserimus, uocē iustificationis Apostolo primū significare peccatorum remissionem, & rationem iustificationis constare primū peccatorum remissione, & in gratiam filiorum Dei receptione. Agnoscimus & nos, neminem percipere, neminem tenere peccatorum condonationem, qui non perceperit communicationem & inspirationem gratiæ spiritualis, qua adhaereat Domino, id est fidem Euangelij ueram. Remissio enim peccatorum non nisi fide percipitur: fidem uerō habet nemo, nisi cui ea ex gratia Dei inspiratur. Et cui
inspi

inspirata fides fuerit, is non potest nō adhaerere Domino, fieri q̄ ita unus cum eo spiritus. Nam ex fide agnoscit eum scilicet suum, certō suū esse seruatorem, boni q̄ omnis largitorem. Quocirca hic uir Dei in eadem Epistola scripsit, fidem nos trahere ad Christum.

Hinc quis non clarē cernat, nihil esse in ista Augustini sententia, quod uel nostrae aduersetur Confessione, uel patrocinerur opinioni Maluendae: esse autem & in priore, & in hac quod nostram sententiā aperte confirmet, & destruat opinionem Maluendae.

Sicut etiam illud imaginationi eius de gratia aduersatur, quod uir hic Dei in quarta sententiā per Maluendam adducta docet. Maluenda enim contendit, cum Apostolus dicit, nos gratia Dei iustificari, gratiae nomine intelligi debere, donum inchoatae in nobis iustitiae, id est, charitatem Dei, qua nos diligimus Deum.

D. Augustinus autem gratiam hanc intellexit, in hac quidem sententia, sicut etiam multis alijs in locis, esse gratuitam Dei charitatem erga nos, qua illa nobis charitas donatur, qua uicissim & nos diligimus Deū. Nam sic habent eius uerba: Istam gratiam, qua iustificamur, id est, qua charitas Dei diffunditur in cordibus nostris, per spiritū sanctum nondum audiui confiteri. Hic uidemus uirum Dei charitatem nostram intelligi uult, facere effectum gratiae iustificantis, quam alibi uocat gratiam regenerantem. Manifestū igitur est, quod hic uir Dei gratiae iustificantis nomine non

*Charitas
nostra in
Deū, iustifi-
cationis ef-
fectus est.*

id, quod Maluenda intellexit, donum iustitiae infusae, sed quod nos cau-

sam huius, charitatem

Dei in nos.

Oo

Hucusq̄

Interrup-
tio Collo-
quij.

¶ HVCVSQVE PERDVCTA FVIT NO-
stra actio eo die, post quē nullus nobis agendi locus
concessus est propter rescriptū, quod ab Imp. erat alla-
tum, de quo postea suo loco memorabimus: nunc ut
extet nostra ad singula aduersariorū obiecta respōsio,
uolumus hic eam ordine totam subtexere, ut eam di-
ctaturi eramus in acta, si nobis id fuisset permissum.

RESPONSIO COLLOCVTORVM CON-
fessionis Augustanæ, ad Maluendæ rationes,
quas contra illorum interpreta-
tionem adduxit.

Prior Mal-
uendæ ratio
cōtra inter-
pretationē
Colloc. Cō-
fess. Augu-
stanæ.
Maluendæ
obiectio si-
ne omni ar-
gumento.

PRæter scripturarū, & D. Augusti. autoritates, ad-
duxit Maluēda duas quoq; ratios, quibus cona-
tus est ostēdere nostrā interpretationē, de uerbis iusti-
ficari & iustificatio, nō cōgruere cū sentētia, & usu a-
postolico, quæ quantū probabilitatis habeant, etiā in-
dicandū est. Prior ratio habet suprā pag. 87. Forensis
inquit significatio in uerbo iustificari, nō potest in ijs
scripturis, quæ loquuntur de priore iustificatione,
eum habere sensum (forsan locum, uel usum dixit)
quem in foro, ubi homines iudicant, & iudicantur:
nam iudices frequenter sceleratum & flagitiosum ho-
minem pro iusto pronunciant. Hoc de Deo cogitare
nefariū est. Hæc ille. Vides pie lector, quale argu-
mentū homines solēt, in foro suo nonnuncq; peruerse
iudicare, tam remittendo uel approbando malas cau-
sas, q̄ reprobando bonas: igitur Deo non debet attri-
bui iudiciū, facere ratione forensi, quò remittat creden-
tib. peccata & cōprobet eorū benefacta. Ergo ne, cui
tribuit aliqua actio, eidē necesse est etiā attribuere ui-
ciū, quodcūq; in ea actiōe admittit alijs. Atqui nisi hoc
uerū sit, quā quæso speciē habet argumenti Maluendæ
obiectio: nullā enim habebit uniuersalē proposi-
tionem.

flonē. Deus quo se nobis & suas actiones pro no-
strae infirmitatis captu melius patefaciat, ipse sibi per
totam scripturā suam tribuit omnes ferē hominum a-
ctiones, & maximē actionē forensē iudicij, & uer-
bis idem re ipsa significantibus, quod significāt in usu
nostro, uicij modo seclusis (nec enim doceret nos cer-
tò de se, sed *ὁμοθυμῶν* falleret, nisi ita faceret) ob id ta-
men nihil ei attribuitur uiciorum, quę homines in his
suis actionibus omnibus admittunt, promittit Deus,
minatur, diligit, prosequitur odio, benefacit, malefa-
cit, punit, remittit pœnas, pascit, regit, abijcit, perdit.
Hęc omnia faciūt homines peruersē & iniustē: Deus
autem rectē & iustē.

Subijcit Maluenda hoc loco, Deū neminē habere
pro iusto, nisi quē ipse gratia sua per Iesum Christū iu-
stum fecerit. Rectē hoc quidē, si rectē intelligat. Sed
est duplex iustitia, qua sancti iusti in scripturis uocant
& sunt, qua de re paulo post dicendū erit fusius, in re-
sponstone ad Billickij sophismata. Vna Christi, quę
sanctis imputat, qua ita corā Deo iusti habent, ut hæ-
reditatē eis Deus adiudicet uitę æternę. Ro. 5. Alia
est, hic in sanctis inchoata, qua faciūt quidē quę iusta
sunt. Id aut tam & imperfectē & impurē, ut adiudicari
eis propterea uita æterna nō possit. Neminē itaq; pro-
nūciat Deus iustū ea iustitia, qua ius percipit heredita-
tis æternę, nisi quē hac ipsa iustitia, iustū fecerit, i. iusti-
tia filij sui induerit: neminē etiā iustū pronūciat iusti-
tia inchoata, nisi cui & hęc inspirauerit. Sed de hac du-
plici iustitia dicemus paulo post plura.

RESPONSIO AD ALTERVM PARA-
logismum Maluendę.

HVnc habes suprā in eius actione pag. 88. ab ini-
tio. Sūma eius hæc est: Cū interpretando uerbū
iusti-

*Dictū ambi-
guū, Deum
nō habere
iustum, nisi
quē iustum
fecerit.*

Iustificari, dicimus eo significari hominem condonatis peccatis recipi in gratiam, adoptari, regenerariq; in filiū Dei, & hæredem uitæ æternæ, ait Maluenda, nos quidem ponere receptionem in gratiam, regeneratio- nem, & adoptionē, qui effectus sint in homine iustifi- cato, nō tamē sibi uideri nos satis explicare, quid in ho- mine iustificato ponat, per quod sit iustus: quibus uer- bis innuit huiusmodi argumentationē. Iusta expli- catio uerbi iustificari ponit in homine iustificato ali- quid, per q̄ sit iustus. Id in uestra explicatio- ne non ap- paret esse factū: Igit̄ ea nō satisfacit. Pro Minoris con- firmatione subiicit: Tamen si ponat uestra interpreta- tione, in homine iustificato, receptio eius in gratiā, re- generatio & adoptio, non tamē satis explicari, quid in homine iustificato ponatur, per quod sit iustus.

R E S P O N S I O.

Ad Maiorem. Assumit rursus Maluenda, de qua cōtrouersia est, quodq; nōdū probauit, nec probabit unq̄, uerbū scilicet iustificari, Apostolo, cū agit de iu- stificatione uitæ, significare primū & proprie, aliquē ita fieri iustū, ut iustitia ei aliqua inherēs conferat, per quā iustus iudicetur corā Deo. Nos aut̄ probauimus per euidentēs scripturas, iustificari ab Apostolo, cū do- cet de iustificatione uitæ, significare primū & proprie absolui hominē à peccatis, & recōciliari Deo, idēq; pro- pter unā filij Dei iustitiā, nō propter ullā, quæ insit in ipso homine. Demōstrauimus & illud, quanq̄ Deus omnes, quos per sanguinē filij sui, peccatis absoluit, sibiq; recōciliat. in nouā etiā & sanctā uitā regenerat, spiritūq; iustitiæ illis adflat, ut legis eius obediētia in il- lis inchoet, tamē neminem sanctorū eō iustitiæ in hæ- quidē uitā proficere, ut propter eam iustitiā possit ha- beri iustus corā Deo, hoc est, uitæ æternæ particeps, sed

sed ut hanc percipiāt, necesse habere omnes, ut eis im-
perfectæ iustitiæ ipsorū condonetur, & absoluta Chri-
sti iustitia imputetur.

Ad Minorem. Hæc & eius probatio adhuc magis
cum recta ratione pugnat. Posita enim in homine iu-
ustificato receptione eius in gratiam Dei, adoptione in
filios Dei, & regeneratione, quas nos in omni iustifica-
to homine ponimus, quid nā iustitiæ fingi possit, per
quod homo iustificatus haberi iustus queat, & apud
Deū, & apud homines, quod nostra interpretatione
in illa nō posuimus? Dum enim ponit in homine iu-
ustificato receptio eius in gratiā Dei, & adoptio, ponit
in eo iustitia Christi, ipsi imputata & donata. Cum ue-
rò addit & regeneratio, an nō eo ponitur etiam noua
Dei creatura & uita, omnisq; iustitia inchoata? Quid
igitur possit Maluendæ satis uideri explicari, si non-
dum cernere potest, quid nostra interpretatione po-
natur in homine iustificato, per quod sit iustus.

*Quidponatur in homi-
ne iustifica-
to, quo iu-
stus sit.*

De receptione in gratiā, adoptione, & regeneratione
dixit præterea, qui effectus sunt in homine iustifi-
cato: cuius uerò rei effectus hæc Dei opera, & dona di-
cat, mihi nō liquet: nec scio an ipse id nō expresserit di-
cendo, an exciderit nobis inter excipiendū. Effectus
quidem & opera hæc sunt diuinæ misericordiæ, & iu-
stitiæ Christi, nullius aut rei, quæ sit in hominibus iu-
ustificatis: harū aut misericordiæ Dei effectionū effectus
est, omnis illa quæ in illis iustitia inchoatur & uiget.

Subiecit hic Maluenda loca scripturarū, quæ nos
pro nostra interpretatione adduximus, ipsorū magis q̄
nostrā interpretationē probare, id qd ex D. August.
interpretatione cognoscat. Nos uerò ostendimus Au-
gust. dicta, quæ Maluenda citauit, nihil nostræ omni-
no apostolicę interpretationi aduersari. De eo uerò, et

an loca scripturarū, quæ adduximus, nostrā, uel Maluendæ interpretationē confirmet, sit iudiciū penes pios lectores. Hęc respondere uoluimus ad duas, quas Maluenda rationes obiecit contra nostrā interpretationē, atq; ita finire hic totam nostrā responsionem ad ea, quibus conatus hic est, nostrā illam interpretationē refutare, qua uerbū iustificari in locis Apostoli, in quibus agit de iustificatione uitæ, diximus, idem significare, quod peccata hominibus remitti, reconciliari eis Deo, & absolui peccatorū reatu. Nunc est & altera uerbi huius significatio, quam usurpatam diximus, item D. Paulo Rom. 2. & D. Iacob. 2.

RESPONSIO COLLOCUTORVM

Confessionis August. ad ea quæ Maluenda obiecit, contra alteram significationem uerbi iustificari.

Dixeramus nos uerbū iustificari aliquando in scripturis accipi etiā pro laudari & remunerari aliquē propter bona opera. Exempla huius adduximus ex 1. Reg. 8. ex Rom. 2. & Iacobi 2.

Hęc habes suprā pagina 64. & 65. Item pag. 183. Contra hęc sumit Maluenda sibi ostendere, Iacobū uerbo hoc iustificari eiusmodi significatione usum nō esse: sed cum scripsit Abraham, & omnem hominem iustificari ex operibus, intellexisse iustitiam in Abraham fuisse auctam per bona opera, eamq; augeri per bona opera in omni homine iustificato. Videamus igitur nunc, qua ratione Maluenda, imō qua imagine, hoc sibi uisus sit adstruere. Quæ in hęc rem imaginatus sit, lege suprā pagina 88. & sequentibus. Quæ si in formam Enthymematis resoluas, sic habent. Diuus Iacobus præcipua parte huius epistolæ docere uoluit, non fidem solū, sed etiam bona opera esse ad

ad salutē necessaria. Ergo cū induceret iustificatiōē
Abrahā, docuit illius in iustificatiōe profectū, & A-
brahā non solū laudatū fuisse à Deo ob præclarū fa-
ctum, uerū etiā iustificatū, id est, iustitiā inhærente au-
ctum. Quis uerò tam lynceus, qui aliquod in his uer-
bis uideat argumentū, ex quo concludat, Iacobum,
cum scripsit hominē ex operib. iustificari, nō ex fide
solum, intellexisse, ex bonis operibus nō laudari & re-
munerari hominē, sed augeri in eo iustitiā inherētē.

Docet sanē Iacobus in hac Epistola tota, tamē in
hac parte de qua agimus, præcipuē, necessitatē bono-
rum operū: & fidem quamcūq; homo iactet, neminē
qui opera bona nō habeat, seruare posse: sed esse mor-
tuam in seipsa: proinde in fidelibus fidem esse demō-
strandam per bona opera. cumq; uellet demonstrare
fidem sine operibus mortuā esse, & ad salutem ineffi-
cacē, assumpsit Abrahā patrem nostrū fuisse iustifica-
tum etiā ex operibus. Sic enim scribit: Vis cognoscere
ō homo uane, quod fides sine operibus mortua est?
Abraham pater noster, non ne iustificatus est ex ope-
ribus, cum obrulisset filium suum super altare?

Hic sumpsit Iacobus ad probandum propositum
suum, id quod diuina scriptura testatur, Abraham pa-
trem nostrū esse iustificatū ex operibus, operibus scili-
cet fidei, obedientiæ eius, quā exhibuit, cū tam prom-
ptē filiū suum Domino offerre uoluit. Videamus igit
hunc ipsum D. scripturæ locū, quem D. Iacobus hic
notauit, & consideremus, quidnam ibi scriptura de
Abrahā, & quam eius iustificatiōē cōmemoret, an
eius propter tantā fidem & obedientiā comprobatio-
nem, laudem & remunerationē, an iustitiā inhæren-
tem, quæ erat iam in eo inchoata: scriptura uerò de A-
braham ista hoc loci prædicat.

Voca

*Iustificatio
Abrahæ ex
operib. si-
dei & obe-
diencie fuit
eius à Deo
collaudatio
& promif-
sionis cõfir-
matio.*

Vocavit Angelus Dñi Abrahã secũdò de celo. Per memetipsum iuravi dicit Dominus, Quia fecisti hãc rã, & nõ pepercisti filio tuo unigenito, benedicã tibi, & multiplicabo semen tuũ sicut stellas cœli, & velut arenã, quæ est in littore maris. Possidebit semen tuum portas inimicorũ suorũ, & benedicent in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti uoci meæ.

Quid hic scriptura: non ne prædicat Abraham à Deo esse collaudatũ de obediẽtia sua, quod obedit uoci eius, paratus ad iussuẽ eius offerre ipsi unigenitum filiũ suũ. Et ornatũ præclara illa promissione, de benedictione eius, & seminis eius, qua nimirũ Deus ei promissit, se ipsum & posteros eius aucturũ, tum multitudine, cum potẽtia et felicitate: summoq; illo beneficio incarnati filij sui, per quẽ cuncti per orbẽ electi, maledicto legis, ad uitã æternã liberant, & benedictioẽ uitæ æternæ donant. Cum ergo D. Iacobus dicat hoc scripturæ loco doceri Abrahã ex operibus iustificatũ, illis nimirũ, quæ fecit offerendo Deo filiũ suũ, operibus scilicet fidẽi & obedientiæ, nec legitur hoc loco quicquam ei à Deo aliud factum, quàm esse laudatũ, propter hanc ipsam filij sui oblationem, & promissione optatissima ornatum: quid possit dici hic Iacobum cum scripsit Abraham patrem nostrum ex operibus esse iustificatum, intellexisse aliud, quàm id ipsum, quod scriptura commemorat, quam citauit, ornatum scilicet esse à Deo magnifica laude, & promissione amplissima remuneratum.

Verũ dicet fortassis Maluenda, Dominũ, cũ dixit Abrahæ: Benedicã tibi, eo promississe incrementum iustitiæ, hoc em̃ esse opus, & donũ diuinæ benedictionis. Esto. Verũ tamẽ est, quod iustificatio Abrahæ, de qua Iacobus & scriptura hoc loco memorant, aliud nihil

*Demõstra-
tio quod iu-
stificari D.
Iacobo si-
gnificet à
Deo cõpro-
bati & re-
munerari.*

nihil fuit, quàm comprobatio, & laus Abrahæ, & pro
missio de benedictione, quã ei Dominus repetijt & cõ
firmavit. Vtrinq; hanc Domini benedictionem intel
ligamus fuisse, non solum posteritatis eius amplificac
tionem, sed etiam augmentum iustitiæ in ipso.

At subiicit Iacobus huic testimonio scripturæ: Vi
des quod fides cooperatur operibus, & ex operibus fi
des perfecta est, & scriptura impleta est quæ dicit, Cre
didit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam,
& amicus Dei uocatus est. Videtis ergo, quod ex ope
ribus iustificatur homo, & non ex fide solum?

His sanè uerbis dicit Iacobus fidem Abrahæ per
fectam esse ex operibus, & scripturam, quæ testatur
eum ex eo fuisse iustificatum, quòd credidit Deo, esse
hoc facto completam. Rectè. Sed dicit etiam fidem
cooperari operibus. Ex fide enim Abrahã hoc ipsum
tantæ obedientiæ factum præsentit, quod offerre Deo
unigenitũ suum nõ dubitaret: cogitans scilicet ex fide
quod Deus illum à mortuis posset reuocare, ut de eo
Epistola ad Ebræos prædicat, Fide itaq; fide inquam Ebræor. ii.
Gen. 15.
in promissionem de semine suo, id est, de Christo Do
mino, & omni Ecclesia fidelium, atq; de ipsa à mortuis
resurrectione iustificatus Abraham est, simul atque
Deo ista promittenti credidit: hoc est, in gratiam Dei,
& communionem iustitiæ filij Dei receptus est. Hæc
uerò fides Abrahæ in hac ipsa filij eius tam prompta,
& alacri oblatione maximè uiguit, uimq; suam exeruit
& ad homines demonstrata est, atq; adeò perfecta est.
Non quod illa non uera & iustificans fides iam tum
fuerit, quando Abraham istam salutis æternæ promis
sionẽ primùm est amplexus, sed quod in hoc tam in
signi fidei & obedientiæ opere, ea præcipuè efficax &
solida cum fuerit, tum apparuerit. Hæc enim illa fidei
P p Abrahæ

Vnde fidei
augmentū
et omnis
iustitiæ.

Abrahæ fuit perfectio, quam Iacobus intellexit, cum scripsit: Et ex operib. fides perfecta est, id est *τελειώθη*. Ita ut omnes uirtutes sua iam præstantes officia, rectè dicantur, *τελειώθη*, id est ad finē suū peruenire & perfectionem. Vis tamē illa omnis fidei, & eius ad finē usq. suorū munerū & officiorū pertingentes in agendo uigor & perfectio, nō ab operibus ei, quæ ipsa facit, sed à spiritu aduenit fidei, qui efficit in credentib. eiq. inspirat assensum promissionū Christi tam firmū, & ad pia opera tam efficacē. Non igit. præclarū illud factū fidei & obedientiæ Abrahamicæ, iustitiā illius, id est fidem, spem, & charitatē Dei, ac proximi, ex se auxit, & perfectit, effectus, causam suam. Sed fuit opus & argumentū iustitiæ in ipso, iam tum auctæ, & efficacis factæ per spiritū S. ut opus tam eximīū ederet, perfectior causa, effectū quoq. perfectiorē. Sed dicit Iacobus etiā scripturā illā, quæ prædicat Abrahæ fidē suā esse reputatam ad iustitiā, in hoc facto fuisse cōpletam. ita fuit. Ex hoc enim tā eximio fidei Abrahamicæ officio declaratū & demonstratū est, quā uerū Abrahæ de fide & iustificatione sua testimoniū scripturæ tulerit. Nam ex hoc tam præclaro fidei eius opere, omnib. manifestū factū est, quā firma fide Deo Abrahā credidit, & quā solidā spiritus S. persuasione fuit complexus promissionem illam Dei, de sancta sua posteritate, & benedictio. semine, per quod redimeretur, & à morte reuocaretur. genus humanū: q̄ deniq. fuerit à Deo, credens ei, iustificatus, id est, in quam magnā gratiā cōdonatis peccatis receptus, quantumq. Dei amicus (ita Iacobus hic ipse fidei iustificationē interpretatur) sicut uocatus, ita & factus fuit. Dicunt em̄ dicta & oracula scripturarū, tunc impleri, quando eæ res, de quibus illa prædixerūt, uel testata sunt, plenius exhibent. Quoniā igit. in illa tam eximīa Abrahæ obedientia, & tam admirabili fidei facinore,

cinore, ut maximo diuinæ in eum charitatis argumēto
cōspicienda singulariter apparuit, & exhibita fuit rei-
psa eius iustificatio, id est in gratiā & amicitia Dei rece-
ptio, in quā simul atq; credidit Deo, receptus fuit, elo-
gium illud, de iustificato eo ex fide, rectē dictū est, mo-
re loquēdi scripturis usitato, fuisse impletū, id est, reip-
sa euentissimē exhibitū, & declaratū, in præstantissi-
mo illo obsequio, quod Deo præstitit, paratus ad ius-
sum eius immolare filiū suū. Hoc enim tā præclarū o-
pus fidei, Abrahā nō ex suis uirib. præstitit, sed fuit exi-
mium beneficiū excellentissimæ Dei in eum charitatis
& benignitatis, adeoq; magnificæ eius iustificationis.

Quid feri-
pturam in
αληθῶς
impleri.

Etenim nec Maluendā, quamlibet prædicationē gra-
tiæ circūscribere conetur, existimo inficiari hoc scriptu-
ræ, de iustificato ex fide Abrahamo testimoniū uerū,
& in Abrahamo ipso etiā tantū fuisse impletum, cum
Deo ille credidit, priusquā filiū immolandū suscepis-
set natum. Sed cum ille sicut fidē suā ita etiam Dei in se
mirificam adeo charitatē, exhibuisset cōspiciendam o-
pere fidei suæ tam eximio, munereq; Dei, qui & fidem
ipsam, & opus hoc fidei ei largitus erat, adeo magnifi-
co, impletū fuit illud de fide & iustificatione eius, testi-
monium etiā apud alios homines, adeoq; uniuersum
orbem, cui factū hoc & munus diuinissimum adhuc
prædicatur. Videtis ergo Iacobum eo quod dixit ho-
minem iustificari etiā ex operibus, nō ex fide solū, quo
argumentationē suam de iustificatione operū cōclusit,
nihil aliud docere, q̄ sicut de Abraham scriptura præ-
dicat, quod iustificatus sit, id est à Deo amicus uocatus,
cōprobat, & laudatus, nō ex fide solū, uerū etiam
ex operibus, tam præclare obedientiæ, & testificatione
fidei eius, quæ prædicatur Gene. 22. Sic etiam cæteros
homines à Deo iustificari, id est, comprobari, lauda-
ri & remunerari, non ex fide solum, uerū etiam ex

operibus, hoc est, iustificari eos, & ex operibus & ex fide. Quod utrunq; & nos confitemur & prædicamus. Verum quia in illo loco Gen. 22. scripturæ nullam aliam Abrahamæ iustificationem legimus, quàm laudis, & repetitæ amplissimæ illius promissionis, de multiplicatione, potentia, & fœlicitate gentis illius, atque de benedicto semine Christo, perspicuum omnino est ex his Iacobi, & Mose uerbis, Iacobum, cum cõclulit hominem iustificari ex operibus, per uerbum iustificari, nihil aliud intellexisse, quàm hominem à Deo propter bona opera laudari, & comprobari, atq; ampliter remunerari, sicut propter mala opera etiã damnantur à Deo homines, & pœnis cum uitæ huius, tum gehennæ addicuntur.

Idem cognoscitur ex historia de Rahab, quam adduxit Iacobus, de qua ad eundem modum scripsit: Similiter uerò, inquit, & Rahab meretrix, nunquid ex operibus iustificata est, cum susceptos nuncios dimisit alia uia. Quid enim & de hac muliere scriptura aliud commemorat, quàm & laudatam & remuneratã esse propter beneficium quod præstitit exploratoribus populi Rahab cauponem, inquit scriptura, & donum patris eius, & omnia quæ habebat, seruauit Iosua, & habitauerunt in medio Israel usq; in presentem diem, eo quòd absconderint nuncios, quos miserat, ut explorarent Iericho, Iosue cap. 6. Hic uerò, & cap. 2. ubi memoratur, quomodo, & qua fidei suæ professione, exploratores populi Dei receperit, quid aliud de hac Rahab legimus, quàm laudem fidei, & charitatis, qua diuinitus donata fuit, atq; præclaram huius à Deo per Iosue remunerationem.

Hæc igitur illa Rahabæ iustificatio est, qua Iacobus prædicat eam fuisse iustificatam ex operibus suis, quæ tamen

De iustificatione Rahab.

Quæ iustificatio Rahab, Iacobi 2. & Iosue 2. & 6.

tamen ipsa iustificatio ex operibus huic mulieri non nisi fide constitit, ut Epistola ad Ebræos testatur. Fide, inquit, Rahab non perijt cum incredulis, cum suscepisset exploratores in pace, fide enim agnouit Deum Israelis, uerum Deum esse, & præstiturū populo suo, quæ promississet, unde & adiungi se, ac suos domesticos omnes populo Dei expetiuit, abnegato & reiecto populo reliquo suo. Cum autem ex his operibus eluxerit huius mulieris fides, & celebrata est in diuinis scripturis, rectè & huius historiam sicut & Abrahamæ Iacobus adduxit, cum uellet docere, non satis esse iactare fidem uerbis, sed oportere eam etiam demonstrare factis. Et hæc Deum requirere in sanctis suis, atq; illos propterea laudare, remunerare, & exempla fidei totū hominum generi proponere, uti in historia Abrahamæ & Rahab uidere sit, iustificari quidem hominem ex fide, prima iustificatione, qua in gratiam, & amicitiam Dei recipitur, & amicus Dei uocatur. fidem autē hanc oportere esse uiuam, nō mortuam, bonorum operum feracem, non sterilem, ita ut fides fuit Abrahamæ & Rahab: requiri enim ut homo à Deo etiam propter bona opera iustificetur, sicut Abraham & Rahab iustificati à Deo esse, in scripturis leguntur.

Hoc ipsum itaq; uoluit his docere Iacobus, quod Dominus ipse docuit, quando de suo ipsius iudicio prædixit se repensurum cuique facta sua, & in extremo die uocaturum ad possessionem uitæ æternæ plenè percipiendam, & perfruendā, qui ex fide, qua ius hereditatis uitæ æternæ, quia adoptionem in filios Dei primū receperunt: ipsum etiam pauissent in famelicis, potassent in sitientibus, recepissent hospitio tecto carentem, domo uestiuissent nudum, &c.

Quocirca qui locum istum Iacobi diligenter ex-

*Conclusio
de iustifica
tione ope
rum, ex D.
Iacobo.*

*Iacobus,
Abrahā fi
de iustifica
tus est, in
terpreta
tur per A
micus Dei
uocatus est.*

*Explicatur
Quomodo
ut corpus
sine spiritu
mortuū est
ita fides
mortua est
sine operi
bus.*

pendent, ille planè uidet eum, et uoce hac iustificari uisum esse eadē, qua Paulus, & quam nos exposuimus, significatione, & de re ipsa quoque eadē, & sensisse & docuisse. Iustificari enim fide, quæ iustificatio prima & uita est, interpretatus est per uocari amicū Dei, hoc est, condonatis peccatis recōciliari cum Deo, & recipi ab eo in gratiam & amicitia qui antè erat inimicus Dei, & filius iræ. Iustificari autē ex operibus docuit idem esse, quod ea percipere à Deo propter bona opera, quæ ab eo percepit Abraham, & Rahab, hoc est, probationem, laudem, & remunerationem. Nec enim quicquam aliud scriptura factum his à Deo illis locis, quos Iacobus notauit, cōmemorat. Iudiciū sit penes pios lectores. Superest in hoc Iacobi loco dictum unum unde forsan Maluenda, & qui cum illo faciūt, possint uideri habere aliquod suæ doctrinæ patrociniū, qua de significatione uocis huius, Fides, & de fidei ueræ natura & ingenio docent, contra quam Apostolus & omnis scriptura, quare nec illud præterire hic debeo. Quemadmodum enim, inquit Iacobus, corpus sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est. Hoc uideri queat ita propemodum dictum esse, ut aduersarij dicunt charitate fidem reddi uiuam, & animari, ut forma sua. Quasi fides uera possit esse, & in spirata charitate, ac ita quasi uitam suam obtinere, possit etiam hac uita carere, & nihilominus rationem obtinere fidei solidam.

Hæc autem uocis huius, Fides, peruersa interpretatio totam fidei prædicationem, & uim eneruat, ut illa nobis à Christo Domino & Apostolis eius commendatur & describitur: sicut etiam pugnat cum his ipsius Iacobi, & uerbis, & sententia. Nam Dominus simpliciter dicit, Qui credit in me, habet uitam æternam.

nam, & Fides tua saluum te fecit: & Paulus, Fide iustificati & saluati sumus, &c.

Cunq̄ Dominus & Apostoli fidem etiã ijs tribuere uidentur, qui hac uera & saluifica fide præditi non fuerunt, adiungunt ferè, unde clarè cognoscitur, quod his fides non simpliciter, sed uel temporaria, uel mortua attribuatur. Ita & D. Iacobus cum fidem sine operibus dixit esse mortuam, satis & ipse expressit, se fidem sterilem honorum operum, tam non agnoscere esse fidem ueram, quã corpus sine spiritu nemo agnoscit esse hominem.

Quod ergo D. Iacobus scripsit: Sicut corpus sine spiritu mortuũ est, ita esse etiã mortuã fidẽ, quã sit sine operibus, aliũ sensum habere nõ potest, quã, Sicut corpus, quod non spirat, non homo est, sed hominis cadauer, ita fides quã non operatur per dilectionem, non esse fidem, sed inane fidei simulachrum.

Cæterum, cum ut diligamus Deum, necesse sit eum cognoscere, idq̄ fide Euangelij, fide gratiæ & misericordiæ eius, qua ipse nos prior dilexit, satis liquet fidem formam, & efficaciam suam non posse habere ex dilectione, aut operibus, quorum ipsa causa est. Sicut in homine anima & uita, causa spirationis est, non spiratio causa animæ & uitæ. At quia fides sit donum & opus spiritus sancti in electis, quis credentium scripturis, & fide uera præditorum queat de eo dubitare, omnem fidei naturam, formam, uim & efficaciam, & ad diligendum Deum atq̄ proximum, & per hanc dilectionem bona opera faciendi esse, & inspirari à spiritu sancto, à spiritu fidei, à spiritu inuatore hominis, per quem & dilectio Dei ac proximi, cunctaq̄ cum uirtutes, tum uirtutum actiones omnes inspirantur, uigent & perficiuntur.

Dilectio ex fide nascitur, non est igitur fidei forma. Vnde uis & uita fidei.

Ex

Ex his omnibus ritè perpenſis, quiuis Chriſto Do-
 mino credēs ſatis perſpiciet. Primùm cum fides in ſcri-
 pturis ſimpliciter ponitur, fidē uerā, uiuamq; intelligi
 debere; & hanc fidem, uitam & efficaciā ſuam habere,
 non ex cōſequentē eam natura, & coerente dilectio-
 ne, aut operibus effectis eius, ſed ex ſpiritu Dei, ipſam
 animis ſanctorum inſpirante. Deinde qui hac fide ui-
 ua carent, eos non poſſe numerari inter filios Dei, &
 membra Chriſti, id eſt Chriſtianos, ſed haberi oportere,
 inimicos Dei, membra diaboli, & qui Chriſtum ſa-
 ctis ſuis negant, quicquid de eo ore cōfiteantur. Eoq;
 nullum etiam locum his, nullum munus, cum manife-
 ſtos ſe fecerint, concedi debere in regno Dei, quod eſt
 Eccleſia eius, iuxta præceptum Domini: Si Eccleſiam
 non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus. Et
 illud Pauli, Tollite malum à uobis.

*Aduerſarij
 ideo cōten-
 dunt fidem
 mortuā eſſe
 ueram fidē,
 ut locum in
 Eccleſia, et
 imperiū in
 Eccleſia
 contra Dei
 legē, & Ca-
 nones reti-
 neant ſibi,
 & Prælatiſ
 ſuis, quan-
 tumuis ſce-
 leratiſ.*

His Dei præceptis nituntur Canones illi, qui uerant
 palàm uicioſum hominem, imò qui flagitiū aliquod
 amiſiſſe ſit deprehenuſ, in nullo ſacri miniſteriſ gra-
 du tolerare, minimè uerò omnium in ſummo eius gra-
 du. ut episcopali, & preſbyterali. Horum Canonum
 diſciplina quo minus reuocetur, excogitarunt pridem
 uiciati doctores, hoc impium & pernicioſum dogma,
 fidem ueram, & Theologicam haberi poſſe, etiam à pa-
 lām flagitiouſ, eoq; tales adhuc eſſe membra Eccleſiæ
 & poſſe eccleſiſ utiliter præeſſe, nec ob ullum ſceluſ
 à populo Dei in miniſteriſ eccleſiæ debere uitari, niſi
 his deiecti antè fuerint, per ſuos ſuperiores, & ipſum
 Romanum Pontificem: qui cum ſitcum ſua curia hor-
 ribilibuſ uiciſ, & flagitiſ immerſuſ, plerūq; ſummaſ
 Eccleſiæ dignitateſ iſſ confert & tuetur, qui palàm im-
 piè & flagitiouſ uiuunt. Deinde quæ ſcelera, quæ fla-
 gitia non pro pecunia cōdonat, iſſ quoq; qui nullam
 ad-

adhuc solidam impietatis suae egerunt poenitentiam? Ex hoc itaque dogmate, fidem mortuam, veram & catholicam fidem esse, id quaeritur, ut ecclesiae Dei uenundatae maneant, & seruiant ijs qui eas indies horribilius evertunt & uastant. Proinde uisum est de hoc D. Iacobi loco paulo copiosius hic disserere, ut minus exercitatis lectoribus semel dispellerentur eas nebulas, quas aduersarij ex istis D. Iacobi uerbis per sophisticam suam offundunt.

Adnectit uero hic Maluenda calumniam in nostra dicta, quae praeter eunda nobis non est. Adduxerat in sua prima actione quaedam scripturarum loca, quibus uolebat probare, bona iustificatorum opera iustificationem uitae consummare & perficere. inter quae adduxerat etiam locum hunc Iacobi, & Gen. 22. Cum uero ex his locis aliud nihil possit concludi, quam Deum pro suo gratuita benignitate, et propter perfectam Christi iustitiam, sanctis suis per bona opera augere inchoatam in ipsis iustitiam, et certiores eos reddere de sua in eos charitate et dignatione, hoc ipsum in prima nostra ad haec responsione uno & altero uerbo ut essemus breuius, testati sumus, & summam respondimus: Ea loca, quae Maluenda adduxerat, docere, iustitiam inchoatam augeri in nobis per bona opera, non autem consummari eam & perfici bonis sanctorum operibus.

Istud meum dictum arripuit postea Maluenda, tanquam eo concesserim, uerbum iustificari apud D. Iacobum in tractato a nobis loco, non significare, comprobati & laudari, atque remunerari propter bona opera, sed augeri iustitiam. Et tamen paulo ante dixerat ipse, me locum hunc Iacobi eo consilio citasse, ad ostendendum quod uerbum iustificari in scripturis aliquan-

Maluenda dicit in eadem oratione, per paruum interuallo uerborum interiecto, me suam interpretationem de uerbo iustificari, uoluisse eundem, et ueram agnoscere.

do accipiatur etiam pro laudari, & remunerari, ut auctoritate huius loci, incrementum iustitiae probantis eluderet. Vides uero pie lector, quae sit in istis hominibus grauitas, & sinceritas in tractando tantas res Christi & ecclesiae. Certe, si adducendo hunc locum, uolui auctoritatem eludere, qua Maluenda loci huius interpretationem, & sensum quem ipse confixit, conatus est probare, ipsamque eius interpretationem & sensum confutare, qua quaelo ratione dici potest, quod hunc ipsum Maluendae sensum suum in hoc loco agnouerim.

Sed propositum forsan ei fuit me arguere incogitantem, & contra agnitam ueritatem peruicaciam, ut qui eludere ante uoluerim, quod tamen postea adactus ueritatis, ipse agnouerim esse uerè recteque dictum. Tanti autem si Maluenda me uoluit criminis reum facere, debebat mea dicta, & quae inter nos agitabatur, controuersiam, paulo accuratius considerare.

Dedi iam supra hoc, & libenter do, etiam per hunc Iacobi locum doceri, Deum in sanctis suis, per bonorum opera, inchoatam in eis sanctitatem augere. Cum enim dixit ad Abraham: Benedicam tibi, quamquam istam suam benedictionem ipse mox exposuerit, se praecipue in eo fuisse Abrahae exhibiturum, quod eius posteros auget numero potentia & uera foelicitate, idque per benedictum semen eius, filium suum: nihilominus tamen recte intelligimus, ex his ipsis uerbis, ut & supra indicauimus, Dominum Abrahae per hanc suam benedictionem iustitiae quoque in ipso tum inchoatae incrementum, cum promississe, tum exhibuisse. Domini enim benedictio erga fideles suos semper hoc auctae iustitiae beneficium cum primis adfert. Hoc uero quid refragatur ei, quod de propria uerbi, iustificari, significat

tionē hic à Iacobo usurpata, attulimus: quòd nimirū is dixerit, Abrahā & Rahab à Deo fuisse iustificatos, pro eo quod est, fuisse eos à Deo comprobatos, laudatos & remuneratos: cum nihil prorsus aliud his sanctis esse factum à Deo, illa quæ Iacobus notauit, scripturæ testimonia testantur.

Cum autē & hoc ipsum beneficium Deus suis confert ex sua gratuita & liberali beneuolentiā, propter perfectam filij sui iustitiam, & nō propter dignitatem operum ipsorum, rectē suprā diximus, tamen per loca ista, Gen. 22. Iosue secundo & sexto, atq; Iacobi secundo probetur, sanctis à Deo augeri inchoatam in ipsis iustitiam propter bona opera, & ipsis bonis operibus: tamen ex his locis id probari non posse, quod probare ex eis instituit Maluenda, iustitiam scilicet nostram per bona opera consummari, atque perfici. Ita nunc quoq; uerē dicimus, illum nostra uerba, quibus concessimus, doceri ex hoc Iacobi loco iustitiam in sanctis augeri per bona opera, esse calumniatū, cum scripsit, me propterea suam agnouisse interpretationem & sensum, quem his Iacobi uerbis ipse affinxit, quod scilicet Iacobus per uerbum iustificari, non intellexerit cōprobari, laudari & remunerari sanctos propter bona opera, sed augeri in illis uel operum bonorum, cōceptam in eis iustitiam.

Nam quanq; ex benedictione Abrahæ & Rahabę promissa et exhibita, cuius Iacobus meminuit, & auctę iustitię beneficium his esse à Deo collatum, rectē concluditur: tamē cum Iacobus iustificari homines ex operibus ex illis scripturæ locis de Abrahā & Rahab, probet, in quibus nihil aliud de his cōmemoratur, q̄ quod à Deo sunt propter bona eorū opera laudati, &

promissione benedictionis ornati: nihilominus uerū est ex his scripturæ testimonijs de Abraham & Ra- hab certò concludi, Iacobum hoc loco, ubi ista cōme- morauit, uerbo Iustificari primū significare uoluisse, laudari à Deo hominem, & remunerari, non auge- ri, utcunq; in benedictione sanctis facta & istud con- tineatur.

Hæc uoluimus respondere ad obiecta Maluende in prima uerbali controuersia, de uerbis Iustificari, & Iustificatio.

Alteram controuersiam uerbalem mouit Billickius de nomine Iustitia, quam nunc expediemus.

ALTERA VERBALIS CONTROVER-

sia de duplici iustitia, qua sancti iusti sunt.

CVM explicarem illud Maluendæ ambiguum, fidem esse initium Iustitiæ, item cum responde- remus ad scripturas, quas Maluēda adduxerat ad pro- bandum, charitatē esse Iustificationis formam, & per bona opera consummari Iustificationem, dixeramus nos, secuti Apostolum & omnem scripturam, dupli- cem esse sanctorum Iustitiam, qua iusti sunt coram & Deo, et hominibus. unam Christi perfectam, qua illis spes omnis gratiæ Dei & salutis, uitæq; sempiternæ tora nititur. alteram, in ipsis per spiritum Christi in- choatam, qua confidere non debent, propterea quòd ea imperfecta semper est, dum hic uiuunt, & Deo nisi ex liberali & infinita eius misericordia, et merito Chri- sti probari non potest.

Hæc habes su-
prà pag. 73. et
74. 75.

Vide quàm te-
meraria sit ista
acerbitas.

Contra hæc ausus est Billickius dicere, istam no-
stram distinctionem esse nouam, in ecclesia Dei nun-
quam.

quam (quod ait se securū affirmare) audicā apud catho-
licos, non consentaneā scripturis, nec proditā a patri-
bus: repertā autē perquam callidē a nobis, nō ad doctri-
nā, sed ad elusionē, & ad euitandā argumentorū uim,
quæ spē etiā ipsis cōcordiā nobiscū cōstituendā am-
putet. Hęc Billickij elogia habes in actione eius suprā
pag. 113. & 126. Deinde cū nos dixeramus, iustitia in-
choata nos nō iustificari coram Deo, esse uē iustos, ita
ut gratiā Dei & uitā aeternā sperare propter hanc iusti-
tiam liceret: suscepit & hoc Billickius oppugnandū,
mouitq; ideo duplicē, ex hac nostra distinctione iusti-
tiæ, controuersiā: Vnā planē uerbalem in eo, quod cum
nos affirmamus hanc distinctionē esse Apostolicam,
ille contendit esse nouam, inauditam, atq; alienam ab
omni & apostolorum & ecclesiæ doctrina. Alteram
partim retalem, partim uerbale, de iustitia inchoata,
quid ea ualeat, & an illa iusti dici debeamus, et simu.

AD SERTIO DISTINCTIONE

nis iustitiæ.

AD expediendas has cōtrouersias ostendam pri-
mū paucis hanc distinctionem, de duplici san-
ctorū iustitia, nō esse inuentū nostrū, sed traditam ab
ipso Domino, in scripturis suis. idq; ab ipso quoq; ad
uersario agnosci. Deinde explicabo, et a calumnia Bil-
lickij uindicabo quod diximus neminē iustificari co-
ram Deo iustitia inchoata. Postremò ostendā, q̄ ceca
sophistica, ista nostra Billickius oppugnare conatus
sit. Primū ergo, cum duplex illa sanctorū iustitia in
scripturis ubiq; doceatur, satis habeo unū & alterū de
ea locū adduxisse. De inchoata ergo in sanctis iusti-
tia, cum & aduersarius agnoscat hanc in scripturis u-
biq; doceri, non est ratio, ut loca scripturæ aliqua hic

Qq. 3. com.

cōmemoremus. De iustitia uerò perfecta Christi, quæ sanctis imputatur, cum eam aduersarius non semper agnoscat, ut cuncq; aliquādo ueritatis adactus, eam & ipse cōfiteatur, unū & alterū locū adducā. Rom. 5. Sicut ex unius delicto peruenit cōdemnatio in oēs homines: sic & per unius iustitiam peruenit in oēs homines iustificatio uitæ. Quēadmodū enim per unius hominis inobediētiā peccatores multi constituimur, sic etiā per unius obediētiā cōstituunt multi iusti. Item Ro. 10. Finis legis Christus ad iustitiā omni credenti. Itē: Si cōfessus fueris ore tuo Dominū Iesum, & credideris in corde tuo, qd Deus excitauit eum ex mortuis, seruaberis. Itē 1. Cor. 1. Ex ipso estis oēs in Christo Iesu, qui factus est nobis à Deo sapientia, iustitia, & sanctificatio, & redēptio. Itē 1. Io. 1. Si in lumine ambulamus, &c. sanguis Iesu Christi filij eius purificat nos ab omni peccato. Itē 1. Io. 5. Habens filiū, habet uitam: nō habens filiū, non habet uitā. In his sanè locis clarissimè docetur iustitia ea qua seruamur, & uitā æternam obtinemus, esse *diuina*, & obediētiā Christi, Christum ipsum, & meritum sanguinis eius.

Sed non est opus multis scripturarum testimonijs, cum Billickius, ut dixi, ipse clarissimè hāc quoq; Christi iustitiam fateatur. Quocirca satis mirari & deplorare hunc contradicendi sanæ doctrinæ morbum non potui, cum audirem uirū hunc distinctionē istam duplīcīs iustitiæ tantis exaggerare conuicijs, eiusq; confutationem tanto spiritu, & uerborum crepitu moliri. De patrum testimonijs pro nostra hac distinctione adducendis, locus erit commodus, in responsis ad ea quæ Billickius obiecit contra, nō magis nostrā, quàm totius ecclesiæ Dei confessionē: iustitia inchoata ne-

mi

minem iustificari coram Deo, iustificatione uitæ.

Billickius ergo cum uellet absurdum affingere nostræ confessioni ex distinctione iustitiæ, quam nos attuleramus, dixit: Si datis iustitiam inchoatam, qua nõ sumus iusti, detisq; deinde iustitiã aliam quam fides accipiat, & qua iustificemur, danda erit adhuc tertia, illa Christi iustitiã, qua iustum est, quicquid iustum est. Hæc Billickius. Quis uerò & planiorem de iustitiã Christi, & quod hac sancti uerè demum iusti sunt, confessionem requirat? Ait enim, qua iustum est, quicquid iustum est. Quid enim nos dixeramus aliud? quam altam, atq; hanc ipsam Christi iustitiã prædicamus, quam fide apprehendere debeamus, quaçp iustificari necesse habemus?

An hæc nõ clarissima iustitiã Christi cõfessio. Billickius pleno ore confite tur, quæ in protestatibus acerbiss. damnat. Iustitiã Christi liberamur à peccatis.

De eadem Christi iustitiã paulopõst ita dixit de locis Pauli, Roman. 5. quibus Apostolus prædicat nos unius Christi iustitiã & obedientiã iustificari, & iustos constitui. Quæ scilicet Pauli loca, nos cum Patribus ita intelligimus, quod Christus sua obedientiã, suaçp iustitiã meruit nobis liberationẽ ab inobedientiã peccato. Hæc ille. Quid uerò? Non ne & nos loca ista eodẽ prorsus sensu interpretati sumus, indeçp illam alteram sanctorũ iustitiã, quæ Christi est propria, & sanctos iustificat, ipsis imputata, ut ea iustificentur, docuimus? Cum itaq; Billickius ipse doceat, credentes Domino iustos esse, non solum iustitiã in ipsis inchoata, uerũ etiam iustitiã in Christo Domino perfectã, & hac maximè, idçp se, cum ex scripturis, tum ex Patribus, ut gloriatur, didicisse agnoscit: nunquid agnoscit & ipse duplicem esse sanctis iustitiã, & eos utraq; iustos esse, & haberi? Qua igitur fronte hanc distinctionem uocauit nouam, inauditam.

tam ecclesie, alienam à scripturis & sanctis patribus? Vel ex hoc igitur uno loco quis non uideat, illos collocutores ad id tantum se comparasse, ut nostra omnia, quamlibet euidenter uera & pia, & ab ipsismet quoque confessa, oppugnant & calumniarentur?

EXPLICATIO ET VINDICATIO CONFESSIO-
nis catholice de inchoata iustitia.

Nunc ad alteram huius controuersie partem descendam, & nostram de iustitia inchoata confessionem, cum explicabo, tum à Billickij calumnijs & incogitantie nebulis uindocabo. Nostram itaque & ecclesie Dei uniuersae de iustitia inchoata, confessionem habes supra. Primum in explicacione primi ambigui pag. 75. & 76. Deinde in respõsione nostra ad scripturas, quibus Maluëda conatus est probare, charitatem esse formam iustificationis, pag. 113. et sequentibus. Postremò etiã in respõsione & excussione locorum, quae Maluëda adduxit pro suo nouo & irreligioso dogmate, iustificationem nostram cõsummari & perfici per bona opera: quae nostra respõsio incipit pag. 82. & per multas deducit.

Ea uerò nostra confessio sic habet: Nos iustitia in nobis per spiritum Christi inchoata, non posse iustificari coram Deo, iustificatione uitae: id est, sicut iusti haberi, ut Deus nos, si nobis non succurreret iustitia Christi perfecta, reciperet in gratiam, & condonatis peccatis, in uitam aeternam admitteret. Ad hunc modum nos de inchoata iustitia locuti sumus, uti ipse uidere potes, si nostra legas. Nusquam autem diximus simpliciter, sanctos hac inchoata iustitia non esse iustos, ut nostra uerba Billickius calumniatur. Sed adieci-
 mus semper, non esse nos hac iustitia coram Deo ita iustos, ut nobis propterea uitam aeternam adiudicaret.

Billi

Billickius autem hanc quanquam clarè, & multis locis repetitam confessionem, retulit aliquando sic mutilatam: Iustitia inchoata homines nõ reddi iustos. Aliquando planius his uerbis: Iustificationẽ inchoatam fide, spe, & charitate constantem, non esse iustificationem uitæ. Aliquando rursus truncatè: Iustitiam inchoatam non esse eam, qua iusti sumus. Tum etiã nomina Iustitiæ & Iustificatio inter se cõfundit. Disputat deniq; contra nos, tanquam negassemus uitam sanctorum, uitam nouã in Christo, constare fide, spe, & charitate, hasq; uirtutes in sanctis uiuere. Quam nostræ confessionis truncationem & peruersionem, incogitantia, an malitiæ aduersarij attribui debeat, an utriq; uicio, alijs iudicandum relinquo.

Billickius peruertit hanc confessionem, nos iustitia inchoata non iustificari iustificatione uitæ. Paralogismus à secũdum quid ad id quod dictum simpliciter est.

Hoc uerò tu pie lector scito, nos de iustitia inchoata hæc sentire & confiteri. Esse quidem illam iustitiam ueram & uiuam, Dei præclarum & eximium donum, uitamq; nouam in Christo, hac iustitia constare, omnēsq; sanctos hac ipsa quoq; iustitia iustos esse, & coram Deo, & coram hominibus, & propter eam quoq; sanctos à Deo iustificari iustificatione operum, id est, comprobari eos à Deo, laudari, & remunerari. Attamen quamlibet hæc iustitia uera sit & uiua, ac etiã suo modo iustificans, tamen non esse eiusmodi, non sic ueram, uiuam & solidam, ut quisquam sanctorum iustificari ea possit iustificatione uitæ, multo minus, ut sit ipsa, uel iustitia uel iustificatio uitæ. In eo igitur solo con-
 trouersia inter nos existit, quod Billickius cõtendit iustitiam inchoatam, quæ constat fide, spe, & charitate, esse, & dici debere, iustificationem uitæ: nos utrunque negamus. Hæc uolui hoc loco præmittere ad explicandam nostram cõfessionem hac de re, & uindicandam etiã nebulis & calumnijs, quibus eam Billickius, si-

Quanta Protestantes tribuant iustitiæ inchoatæ.

In quo con-
trouersia.

ue incogitanter, siue calumniosè, siue utroq; uicio inuoluere & peruertere conatus est. Iam respondebo ad ea, quæ ille contra nostram Confessionem obiicit.

RESPONSIO AD EA, QVIBVS BIL
lickius conare probatus est, iustitiam inchoatã esse
& dici debere iustificationem uitæ.

VT Billickius hoc suum commentum contra nostram Catholicam confessionem, qua cõfessi sumus, & confitemur, iustitiam inchoatam, nec esse, nec efficere, nec dici posse iustificationẽ uitæ, aliqua uerisimilitudine coleraret, adduxit primũ aliquot D. Augustini sententias, deinde & Apostoli Pauli: tertio loco conatus est eripere nobis, quas pro nostra confessione, Pauli authoritates protuleramus. Nos respondendo, quò & res ipsa melius explicetur, & diuinæ authoritati humana postponatur, ordine agemus retrogrado. Primo enim loco ostẽdemus, adductis per nos D. Pauli testimonijs, nostram Cõfessionem certò demonstrari. Deinde planũ faciemus nostram Cõfessionem, & per eas Apostoli sententias, quas Billickius pro suo commento, & contra nostram Confessionem citauit, confirmari. Postremò demonstrabo & D. Augustini sententias, quas Billickius adduxit contra nos, aut nostram Confessionem cõprobare, aut certè nihil habere in se, quod nostræ Confessionis aduersetur. Quo loco docebo, & alijs sanctorũ Patrum sententijs adductis, nostram de inchoata iustitia Confessionem, esse fidem & doctrinam uniuersæ Ecclesiæ Catholicæ.

ASSERTIO DEMONSTRATIONIS PER PAU
li authoritatem de iustitia inchoata, quod ea nemo possit
iustificari iustificatione uitæ.

HÆC uerò quò certius & euidentius omnia cognoscatur, admonendus est lector in primis de locutione

eutione hac, Iustificatio uitæ, qualis hæc sit, & quem
 proprium habeat sensum. Diximus aduersarijs, interpellantes eorum orationem, cum cœpissent hanc no- *Quid sig-*
 stram Confessionem oppugnare, & tanquam nouam *nificet iu-*
 exhibilare, esse hanc locutionem Paulinam, & nos eam *stificatio*
 Paulino quoq; sensu usurpare. Quinto enim ad Ro- *uitæ.*
 manos scripsit Apostolus: Quemadmodū per unius
delictum condemnatio in omnes homines deducta
est, ita per unius iustitiam peruenit in omnes iustifica-
tio uitæ. Hic loqui Apostolum de uita æterna, nemo
 potest dubitare, qui ritè considerarit, quæ hoc dictum
 apud Apostolum præcedunt, & quæ sequuntur. Cer-
 te paulo post hoc dictum scripsit Apostolus: Vbi a-
 bundauit peccatum, superabundauit gratia: ut quem-
 admodum regnauit peccatum in morte, ita & gratia
 regnet per iustitiam, in uitam æternā per Iesum Chri-
 stum. Vita igitur nomine Paulus hic, uitam intelle-
 xit sempiternam. Iam cum opponat *δικαιωσις, τῆς κα-*
τανόησις, id est, iustificationem condemnationi, &
 condemnationi ad mortem sempiternam, cōsequens
 est, ut iustificationem intelligamus à peccatis absolu-
 tionem, & uitæ æternæ adiudicationem. Ex his er-
 go satis liquet, hanc locutionem, Iustificatio uitæ, esse
 Paulinam, & significare Apostolo propriè remissio-
 nem peccatorum, & adiudicationem uitæ æternæ.

Nunc ostendendum est, firmam esse demonstra-
 tionem, qua ex hoc capite quinto ad Romanos, &
 ex tertio ad Philipenses antè conclusimus, hanc ui-
 tæ iustificationem, id est, peccatorum remissionem, &
 uitæ æternæ adiudicationem contingere nobis, non
 inchoata in nobis, sed Christi unius perfecta iustitia.
 Prior itaque locus, quo hanc nostram Confessionem
 demonstramus, est illud Apostoli dictum, Rom. 5.

Quemadmodum per unius hominis inobedientiam multi sumus peccatores constituti, ita per unius obedientiam constituentur multi iusti. Alter locus est ille ad Philippenses: Præ quo omnia pro damnis duxi, & pro reiectamentis habeo, ut Christum lucrifaciam, & inueniar in ipso, non habens meam iustitiam quæ ex lege est, sed eam quæ est per fidem Christi, &c.

Nunc uideamus quo Billickius sophismate conetur hæc nobis Pauli testimonia eripere aliò detorta. De priore dixit, Non opinari se nos, quos uiros eruditissimos libenter confiteatur, uelle dicere, iustitiã Christi ita transfundi in homines, & in ipsis inharere, sicut peccatum Adæ in eos transfunditur, & in eis inhaeret. Si igitur hoc non dicamus, esse dictum Apostoli commodè interpretandum, ita scilicet, & quidem cum S. Patribus, quod Christus sua obedientia & iustitia meruerit nobis liberationẽ à peccato, quam tum demum recipiamus, cum iustificati fide, spe, & charitate, id est, donati iam hac inchoata iustitia, ei cõiungamur, ut simus unum cum ipso corpus.

Quibus uerbis locum Pauli Rom. 5. de obedientia Christi, qua iusti constituimur, conatus est, eò detorque, ut intelligi uelit, ita demum nos iustos constitui per obedientiam unius Christi, quod per hanc unam Christi obedientiam donamur inharere nobis iustitia, id est, fide spe & charitate (quod ipse uocat iustificationem) quam iustitiã, cum in nobis obtinemus inchoatam, & per eam Christo, ut membra coniuncti sumus, tum demum percipiamus liberationem à peccato. Itaq; secundum hoc Billickij cõmentum oportebit nos prius habere in nobis inchoatam iustitiã, qua iustificemur, quam à peccatorum reatu liberemur. Quo quid possit dici magis præposterum, & peruersum.

Vt uerò certius uideas pie lector nos istum Pauli
 locū, & citasse sensu proprio, & eo uerè demonstrasse
 iustificationem uitæ Christi tantum, & nulla in nobis
 inchoata iustitia constare: Scito primùm nos, cum di-
 cimus, secuti Apostolum, iustos nos constitui coram
 Deo (ut scilicet uitam æternam nobis adiudicet) nulla
 in nobis inherente, sed tantum Christi iustitia, non ne-
 gare, imò pleno ore prædicare, etiam inhærentem in
 nobis iustitiam, donari nobis, transfundiq; in nos, à
 Christo Domino, idq; nullo omnino merito nostræ,
 sed ipsius tantum obedientiæ: & transfundi in nos ab
 ipso nouo & cœlesti Adamo regeneratore: sicut re-
 bellio perpetua contra Deū, noxa illa originalis, transfunditur in nos ab Adamo ueteri, & terreno genera-
 tore: unde Apostolus nos Christi membra, & carnē de
 carne ipsius, osq; de ossibus uocat, quorū sit, sicut por-
 tauimus & portamus adhuc in uiciata hac nostra natu-
 ra imaginē Adami terreni, ignorantia scilicet & fuga
 Dei, imò & rebellionem contra Deum, indeq; consecuta
 morte, & omni genere miseriarum: ita etiam porta-
 re imaginem Adæ cœlestis Christi, cognitione & amo-
 re, omnimodaq; obedientia Dei, indeq; consecuta pa-
 ce & gaudio in spiritu sancto prægustatione immor-
 talitatis & uitæ æternæ. Deinde autem scito & nos
 illud iuxta adijcere perpetuò, & quidem cum uniuersa
 Christi Ecclesia, hanc in nobis inchoatam iustitiam,
 quæ cōstat fide, spe & charitate, cæterisq; quæ has con-
 sequuntur uirtutibus, tam esse, dum hic uiuimus, cum
 imperfectam, tum impuram, ut ea coram Deo iustifi-
 cari nemo possit, uereq; sanctorum cōfessione panno
 assimiletur mulieris menstruis laborantis. Vti & D. De uerbis
 Bernardus hunc Esaiæ locum persæpe interpretatur. Esaiæ, Ser-
 Quocirca Apostolus necessario dixit nos iustificatio. mone 5.

nem uitæ percipere, & constitui iustos, obedientia. & *δικαιοματός* Christi, id est officio perfectæ iustitiæ, & obedientiæ, quod Christus nobis præstitit moriendo pro nobis.

Quod autem Apostolus isto loco, de quo disputamus, hoc ipsum, de obedientia unius hominis Christi prædicare uoluerit, & non id solum, quod huius obedientiæ merito inhærens nobis iustitia donatur, omnis non contentiosus homo, ex eo facile perspicit, quod Paulus hoc capite ab initio, de eo iustificationis fructu & beneficio instituit prædicare, quod iustificati fide Christi, pacem habemus cum Deo, & accessum in hanc gratiam, ut gloriemur de spe gloriæ, atq; adeo etiam de afflictionibus, quæ propter nomen Domini sunt perferendæ: quæ utiq; gloriatio nõ est nisi eorum, qui de dilectione Dei erga se, per spiritum sanctum certi sunt. Quam certitudinem Paulus, ut & D. Chryso-
mus in hunc locum agnoscit, in ea dilectionis erga nos Dei commendatione fixit, qua filium suum nobis dedit, ut pro nobis adhuc impijs & inimicis suis moreretur: Scripsit enim.

Comendauit uerò Deus suam erga nos dilectionem, quod cum peccatores adhuc essemus, Christus est mortuus pro nobis, multo magis igitur iustificati nunc sanguine eius, seruabimur per eum ab ira. Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius, multo magis reconciliati seruabimur per uitam eius.

Vides Apostolum prædicare nos esse iustificatos, & reconciliatos Deo (quod perinde est) nulla nobis inherente iustitia, sed sanguine et morte, id est obedientia, & iustitia filij Dei. Vt & Ioannes dixit, sanguinem Christi, filij Dei purgare nos ab omni iniquitate, etiam tum cum in lumine uersamur, ut Deus lumen est, & iam
com

communione ueram cum Deo habemus. Item, ipsum esse propitiationē pro peccatis nostris, quæ quotidie admittimus.

At si Billickius contendat, hanc Apostolicam, de morte filij Dei, prædicationē sic debere intelligi, quod merito sanguinis. & mortis Christi donetur nobis iustitia inhærens, qua deinde iustificemur, & reconciliemur Deo, iustiq; constituamur, nemo piorum non uidet, id nulla cum ratione confingi, & Apostoli uerba hac interpretatione omnino à suo genuino sensu detorqueri. Toto enim hoc capite Apostolus de iustitia & obedientia Christi disserit, non quicquam de ea, quæ in nobis inchoatur, de qua copiosè docet in capitibus tribus sequentibus. Et certum est, pacem cum Deo, & accessum ad Deum, stabilemq; in gratia Dei persistentiam, atq; de gloria Dei, id est, perfecta cum Deo communione, gloriationem, in iustitia, in nobis inchoata, tam mutila nimirum, & imperfecta, hæere aut consistere non posse. Id quod non minus sentit omnis fidelis sanctorum conscientia, quam hoc clare & copiosè prædicat tota scriptura.

Ex his itaq; planum fit, & irrefragabiliter demonstratur, Apostolum, cum dixit, nos iustos constitui obedientia Christi, intellexisse primùm, & propriè, donari & imputari nobis iustitiam Christi perfectam, qua sola coram Deo ita iusti habemur, ut uitam æternam nobis adiudicet: non conferri in nos inchoatam, qua nimirum coram Deo nunquam ita iusti haberi possimus, ut uitam æternam propterea nobis adiudicaret.

Sed iam ad alterum locum qui à nobis pro hac ueritate confirmanda adductus est, ex tercio ad Philip. Billickius enim dixit, iustitiam fidei, quam Apostolus
hoc

hoc loco prædicat, esse iustitiam illam nobis inhærentem, quæ constat fide, spe & charitate. Locum igitur ipsum ob oculos ponamus.

Cum dixisset Apostolus se fuisse secundum iustitiam, quæ ex lege est, irreprehensibilem: subiicit, Sed quæ mihi lucra erant, hæc duxi pro damno, propter Christum. Quinimo etiam omnia dico damnum esse propter excellentiam Christi Iesu Domini mei, propter quem uolui, ceu damno omnium affici, ἕνεκεν, & duco ea pro paleis, ut Christum lucrifaciam, & inueniar in ipso, non habens meam iustitiam ex lege, sed eam quæ est per fidem Christi, iustitiã quæ ex Deo est in fide, cognoscendo ipsum, & uirtutem resurrectionis eius, & communionem afflictionum eius, conformis mortis eius, ut & in resurrectionem mortuorum occurram.

Explicatur locus
Philip. 3.
Omnia pro
Christo
pro damnis habeo.

Vides in his uerbis pie lector, D. Paulum dicere uoluisse, primum se ea pro damno habuisse, quæ fuerant ei lucro antea quam Christum cognouisset, ea scilicet quæ commemorauerat, quod natus erat ex populo Dei, & circumciscus legitimo tempore, uixeratque in optima Iudæorum secta, & in legis obedientia irreprehensibilis. Deinde uide Apostolum hanc earum rerum quæ præclare ipsi uideri poterant abiectiõnem, præ Christo uoluisse augere, & se ad omnes res, quibus placere sibi poterat, ac quidem istas, quas commemorauerat, præstantiores efferre. Ait enim: Quin etiam omnia damnum esse duco, propter excellentem cognitionem Christi Iesu Domini mei, propter quem libenter omni damno affectus sum. Quas iam res intelligemus Apostolum uoluisse significare per uocem Omnia, quæ quidem pluris haberi ei potuerint illis, quas antè prædicauerat, quæ semper, ipso quoque teste, permagni fieri debebant.

bebant, ut propter quas Iudæi omnibus gentibus longissime excellissent. Credita enim fuerant illis uerba Dei, eorum erat gloria, & fœdus Dei, cultus, & promissiones Dei, & patres, ex quibus Christus pro-natus est: Rom. 3. & 9. His tantis Dei beneficijs, quæ potuerunt Paulo, aut ulli hominum, maiora dona & decora contingere, nisi munera & ornamenta Christianismi, quod scilicet esset Christo Domino per baptisma renatus, ciuis factus cœlorum, quod uiuebat & ser- uiebat Deo, sub disciplina Christi, quod Ecclesiã Chri- sti munere & zelo apostolico indies mirifice propa- gabat, instaurabat & ornabat. Incrementum enim ser- monis Apostolici nihil ad amplificandum beneficium Christi, ad quam rem institutũ erat, fecisset, nisi sermo ad res eiusdem generis, & hjs, quas iam enumerauerat, excellentiores fuisset progressus. His itaque de causis consentaneum omnino est, ut præsentem Pauli am- plificationem sic intelligamus.

Tanti facio hoc Dei beneficiũ, quod filium suum mihi reuelauit & donauit, ut præ illo, pro damnis & re- iectamentis ducam, non solum quæ sub Mose lucra & decora habere mihi uidebar, sed simul omnia & ea quoque quæ consequutus sum sub Christo illis priori- bus multo ampliora. Quod scilicet gloriari nunc pos- sum, me nõ modò natum esse ex gente sancta Israelis, sed etiam renatum esse in municipatum cœlorum: nõ solum initiatum circumsione in fœdus & cultum Dei ueterem, illum infirmiorẽ & obscuriorẽ, uerũ etiam baptisinate initiatum esse in fœdus, & cultum Dei multo efficaciorẽ, & illustriorẽ, non tantum institutum esse disciplina meliore Iudæorum, sed noui etiam & Christiani populi. nec in Mose tantum ui- uisse, uerũ etiam Christi præceptis uiuere me irrepre-

Christia-
nismi orna-
menta.

hensibilem. Quid: semel omnia, quæ Deus mihi præclara unquã contulit, quamlibet eximia & diuina, uim amplissimam spiritus sui, uirtutem tanta faciendæ miracula, reuelationes cœlestes, ea cuncta pro dânis habeo & paleis, uoloq; lubēs his tantis decoris penitus nudari, & quasi iacturam eorū facere, atq; ita non leui affici damno, modò Christū lucrifaciam, & inueniar in illo, hoc est, ipsi solo confidā, ipsumq; unū habeā, ipso solo fruar, expectans ut per eius mortē peccatis omnino liberer, & presurrectionē eius uitā Dei perfectā recipiā.

Excellentia
cognitionis
Christi.
2. Cor. 2.

Collatio
glorificari.
2. Cor. 3.

Ephes.

Hanc esse genuinam horum Pauli uerborū interpretationem facile agnosceret, qui ea, quæ & hic, & alibi de scelicitate cognitionis, & communionis Christi prædicauit, religiosè expenderit. Quid enim aliud, quàm hoc ipsum, quod hic de excellenti omnia cōmunionē Christi prædicauit, cum scripsit Cor. Ex ipso estis, in Christo Iesu, qui factus est nobis à Deo sapientia, iustitia, & sanctificatio, & redemptio, ut qui gloria tur, in Domino gloriatur. Item: Nō iudicauit me apud uos quicquam scire, quàm Iesum Christū, & hunc crucifixum. Et rursus cum scribit Gallatis, Absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi. Item Eph. Meritiam facio uestri in precibus meis, ut Deus Domini nostri Iesu Christi, pater ille gloriæ, det uobis spiritum sapientiæ, & reuelationis in cognitione eius, ut illuminatis oculis mentis uestre sciatis, quæ sit spes uocationis eius, & quæ opulentiā gloriosæ hereditatis eius in sanctis, & quæ superexcellens magnitudo uirtutis in nos credentes, secundum efficaciam roboris, & uirtutis eius, quam exhibuit in Christo, cum excitauit eum à mortuis, & collocauit eum ad dexterā suam in cœlestibus, supra omnem principatū & potestatem. Et iterum in eadem epistola, cum orat flexis genibus

bus patrē Domini nostri Iesu Christi, ut det Christum ipsum habitare in cordibus Ephesiorū, & ut cōprehendere hi ualeant, quæ sit latitudo, longitudo, profunditas & sublimitas dilectionis Christi, omnem cognitionem superantis. His & multis similibus locis ita solet Apostolus extollere cognitionē uiuā Christi, & cōmunionē mortis & resurrectionis eius, ut doceat prę ea cōtemnere, quicquid omnino uideri possit, præclarū, expectendū in cœlo & in terra. Vnde & in hoc ipso loco Philip. dicit, oblitum se omnium quæ ei à tergo erant, enixū esse ad ea quæ ei à fronte erant, quia nondum cōprehendisset. A deo scilicet agnoscebat omnem, quam consecutus iam erat, fidē, spem, charitatē. & uirtutes uniuersas esse exiguas, & longē adhuc infra propositam diuinæ legis metā subsistere, ut nullā earū ducere rationē deberet, easq; omnino tradere obliuioni, eniti autē semper, ut in his progredere, & secundū propositū signū, ad *ἔσχατον* supernæ uocationis Dei, in Christo Iesu, ad perfectā scilicet Christi iustitiā, & absolutā in eouitā Dei cōtēderet, donec Christū Dominū & iustitiā eius ita cōprehenderet, uti erat ab ipso comprehensus.

Vtrum uerò uidetur dictū durius: Dicere, se fidem ipsam, qua cognoscebat & cōplexus erat Christū, cum omni adhaerente illi fidei, iustitiā inchoata habere pro paleis & damno, aut ducere, eam se ad eō habere pro nihilo, ut obliuisci eius deberet, nec ullam eius ducere rationem. Certē cuius debebat obliuisci, illud etiam debuit habere pro reiectamento, & pro damno, uti ei reuera fuisset, & quidem maximum, illa ipsa inchoata in ea iustitiā, si in ea acquieuisset.

Sed uidebitur forsā huic obstare interpretationi, quod ibidem Apostolus scribit, se optare inueniri in Christo, nō habentē suā iustitiā, quæ ex lege est, sed &

per fidem Christi est, &c. Videtur enim hoc dicto conferre cum iustitia Mosaica eam, quã nactus erat per fidem Christi in se inchoatã. Videri id quidem posset, si non subiecisset, iustitiam quæ ex Deo est, in fide & cognoscendo ipsum, & uirtutem resurrectionis eius, &c. Hac certè adiecta expositione Apostolus clarissimè declarauit, se per iustitiam, quam ei, quæ ex lege ipsi fuerat, opposuit, intelligere eam, quam fide & cognitione Christi apprehendimus, in hoc ipso seruatore nostro, donatam nobis à Patre, & resurrectione morteq; Christi perfectam.

*Iustitia ex
lege quæ.*

Gal. 3.

Nec incommodum est, hanc iustitiã in sanctis inchoatam, uocare iustitiã ex lege, cum eam lex doceat, etiã si nequeat conferre. Iustitiam certè quæ ex lege est, describit Mose: Qui homo fecerit ea præcepta, indubiè fidei, spei & charitatis, uiuet per illa. Sed quia hæc præcepta nemo perficit, lex uerò maledicit omnibus, qui nõ manent in cunctis præceptis eius, cunctis hominibus opus est Christi iustitia qua ab hoc legis maledicto liberentur.

Verùm siue hanc nostram interpretationem de iustitia ex lege, & iustitia ex Deo, aduersarij admittant, siue secus, id tamen uelint nolint, concedant oportet, Paulum aperte negare se sua, quantacumq; illa fuerit iustitia, quæ ei constabat fide, spe, & charitate, fuisse adhuc assecutum eam, quæ ei erat in lege proposita iustitiæ perfectionem, nec debuisse se ad ullam suam iustitiam respicere, quinimo eius planè obliuisci, eniti autem semper ad ampliores & perfectiores iustitias Dei, Christum ipsum, dum hunc ita teneret perfectè, ut ipsum Christus erat cõplexus. Quod cum ei in hac uita contingere non potuit, scilicet nec in futura quidem nisi beneficio iustitiæ perfectæ Christi, hæc ipsam Dei iustitiam Christum Dominũ, & perfectam huius
obe.

obedientiam in ipso habere uoluit, & hac una fretus iustitia, apparere in iudicio Dei.

Solet quidem & D. Augustinus nonnunquam per iustitiam, quam sancti per fide, & fide tenent, iustitiam intelligere, profectam & donatam a Deo, & inchoatam in sanctis: sed agnoscit simul sanctis omnibus tantum de hac ipsa inchoata iustitia hic semper deesse, tantumq; simul peccatorum adesse, ut nunquam dum hic uiuat, non necesse habeant orare: Et fiat uoluntas tua, id est, perficiatur inchoata illa in nobis iustitia: & Remitte nobis debita nostra, quæ non in horas modo, sed in momenta contrahimus, officia huius inchoatæ iustitiæ prætermittendo, & contraria multa peccando. Vnde solet hic uir Dei illud perpetuo ingeminare, oportere nos semper esurire, & sitire iustitiam, id est, Christum (sic enim ipse hoc Christi dictum solet interpretari) & huius fretos iustitia hæreditatem adire cœlestem, hoc est, ut uerbis utar D. Augustini, non nisi si de mediatoris Dei & hominum, hominis Iesu Christi, fide sanguinis eius, fide mortis & resurrectionis eius. Vnde & alio in loco scripsit: Omnium igitur piorum sub hoc onere corruptibilis carnis, & in istius uitæ infirmitate gementium spes una est, quod aduocatū habemus apud patrem, Iesum Christum iustum, & ipse est exoratio peccatorum nostrorum. Et rursus: Non sint ingrati homines gratiæ Dei, pusilli cum magnis, a minore usq; ad maiorem, totius Ecclesiæ uox est. Erraui sicut ouis perdita: omnium membrorum Christi uox est: Omnes ut oues errauimus, & ipse traditus est pro peccatis nostris. Hæc ille in libris contra Pelagianos passim & copiose prædicat. Quocirca etiam si soleat iustitiam fidei plerumq; ipsam fidem, spem, & charitatem interpretari, tamē pleno ore prædicare studet,

Cōtra duas Epistolas Pelagiano-rū ad Boni-faciū lib. 3. cap. 7.

Verba D. Augustini cap. 44. lib. de Natura & gratia.

Cōtra duas Epistolas Pelag. lib. 3. cap. 5. De Peccatorum meritis & remissione libro 1. cap. 27.

hanc iustitiam ad salutē nemini satis esse, omnesq; necesse habere, sola Christi iustitia seruari. In re igitur ipsa, idem omnino, quod hic uir Dei sensit, & nos de iustitia, cum in sanctis inchoata, tum in Christo perfecta sentimus & docemus. Ex his iam omnibus perspicuum est, Apostolum etiam consentiente D. Augustino, & hoc loco Philip 3. clarè docere, sanctorū esse duplicem iustitiā, in ipsis inchoatā, et in Christo perfectā, etiam si daremus cōtra tam clara Pauli uerba iustitiam, quam Apostolus hoc loco dicit esse ex Deo, & haberi per fidem, uel in fide, posse de iustitia in sanctis inchoata intelligi, ut D. Augustinus uerba hæc alicubi interpretatur. Negat enim apertè Apostolus, se ulla, sibi tamen collata & in se inchoata iustitia fuisse perfectū, negat se præfixā metā eā attingisse, propositum uel ^{ex} apprehēdisse, adeoq; se ducere pro nihilo quicquid huius iustitiæ obtinisset. ut id obliuiscendū sibi iudicaret, & eo elaborandū, intendumq; esse, ut Christū ipsum, factū nobis iustitiā à Deo apprehenderet, sicut erat ab illo apprehensus, ut cōformis factus morti Christi, mortuus peccato penitus, in resurrectionē eius occurreret, & ipse iam totus uicturus Deo. Omnino igitur planum factū est, & ex hoc Pauli loco euidenter demonstrari, & esse sanctorū iustitiā duplicem, in ipsis inchoatam, & Christi: & nos hac, nō illa iustificari corā Deo, id est, ita iustos haberi, ut uita æterna eis adiudicetur. Fusior fui in hoc Pauli loco tractando, sed quomodo is præ multis alijs admodū perspicue docet sanctos, & habere iustitiā in Christo Domino perfectā, & in se inchoatam, & illa sola, nō hac iustificari eos iustificatione uitæ, forsitan plerisque non inutilis erit hæc ipsa loci huius copiosa explicatio. Deinceps uideamus, quibus autoritatibus cum diuinæ scripturæ, tum D. Augustini, Billickius uideri uoluerit se hanc cum distinctionē iustitiæ

stitiæ, tum de iustitia inchoata confessionem refutare.
 DEMONSTRATIO QVOD D. PAULI LOCA
 quibus Billickius conatus est confutare nostram distinctionē iusti-
 tiæ, & de iustitia inchoata, nos non iustificante, confessionē hanc
 nostram & distinctionem & confess. non solum non refu-
 tant, sed docent etiam, & euidenter demonstrant.

PRIMVM ergo uide pie lector, ut cōsideratē pro-
 posuerit, & suā cum nostra propositionē contule-
 rit. Propositio nostra, quam suscepit oppugnandā, est
 his à nobis uerbis proposita: Iustitia inchoata potest ne
 minem iustificare corā Deo, iustificatione uitæ: aut sic,
 Nemo inchoata iustitia iustus cōstituitur corā Deo, ut
 ei Deus uitam æternā adiudicet. Hanc nostrā confess.
 Billickius prius in uulgarē retulit, quasi dixissemus sim-
 pliciter nos iustitia inchoata non reddi iustos, aut nos
 ea non esse iustos. Nunc peruertit eam. Nam uolēs ei
 contrariam thesim opponere, dixit scripturam testari,
 iustitiā inchoatā esse iustificationē uitæ. Ita & alias ali-
 quoties pmutauit hæc uocabula, iustitia & iustificatio,
 cū iustificatio actiue accepta, sit ipsa Dei ex misericor-
 dia iudicatio, uel dignatio potius, & indulgentia, qua
 sanctos suos reatu peccatorū absoluit, & dignatur ha-
 bere sibi in filijs. Passiue uerò, sanctorū à peccatis abso-
 lutio, & in filios Dei adoptio: Iustitia autem, obedi-
 entia legis diuinæ, eaq; aut perfecta in Christo, propter
 quam Deus suos iustificat, aut in sanctis inchoata, quā
 Deus inspirat iustificatis. Sed uideamus ipsa Pauli
 loca, quibus Billickius uideri uoluit probare, sanctos
 iustitia inchoata iustificari iustificatione uitæ. Aut ut
 ineptius ipse proponit, iustitiā inchoatā esse ipsam ui-
 tæ iustificationē. Rom. 1. & Gal. inquit. scriptum esse,
 iustum fide uiuere. & subiicit: Volo autē scire, quomo-
 do homo nunc uiuat ex fide, si iustitia fidei non est iu-
 stificatio uitæ. Tales dialecticos nobis reddunt scholæ
 Rom.

Quid iuf-
 ficatio sig-
 nificet acti-
 uè. quid p-
 siue intel-
 ta.

Rom. Pontifici quàm Christo Domino addictiores.

Iustitia fidei duplex.
 Responsio. Iustitia fidei intelligi potest bifariam: & de iustitia Christi, quam fides apprehendit, & completitur oblatam sibi Euangelio, & hoc sensu utitur Apostolus ista locutione, ut diximus. Et de ipsa fide, adiunctisq; ei uirtutibus, quomodo Billickius istam loquendi formulam usurpat. Iam dicimus neminē hac sola inchoata iustitia fretum, uitam sibi æternam posse polliceri, propterea quod ea maledictio literæ occidentis, neminem potest liberare, legi nō satisfaciens. Eoq; omnes sanctos, & iustos dicere cum Paulo, Vivo uerò non adhuc ego, uiuit uerò in me Christus. Hic est uita sanctorum, & decus angelorum, uita & resurrectio, panis uitæ, qui de cœlo descendit ut det uitam mundo. Hic uenit ut ouibus suis destructa morte uitam daret. Ait igitur Apostolus hoc ipso loco, quem Billickius adduxit: Quod uerò nunc uiuo in carne, in fide uiuo filij Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me, non abiicio gratiam. Quam uerò gratiam Dei? aliam ne, quàm eam ipsam, qua sic dilexit nos Deus, ut filio suo unigenito non pepercerit, sed pro nobis omnibus illum tradiderit in mortem, ut qui credat in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam. Hanc ergo gratiam, hanc Dei, & filij eius, in nos dilectionem, qua pater filium, & ipse semet in mortem tradidit pro nostra salute, & uita sempiterna, qui fide uera amplexus est, atq; retinet, is & iustus est apud Deum, & fretus hac ipsa gratia saluus est, & uiuit. Sed fide adhuc, nondum re ipsa plenè. Tenuè enim uitæ huius initium est, quo renati in spem uitam, & accensum uero Dei amore & studio, mouemus ipsi nos, actum Christi spiritu, ad nostra uera & sempiterna bona, nostramq; ipsorum salutem perficimus, Philip. 2. At quia

Christus uita sanctorum.

Vita fidei.

Quid uita in Christo.

quia omnis ista inchoata in sanctis, & iustitia, & uita⁹
 ut maledicto legis, ita etiam condemnationi, & mort¹
 nos obnoxios relinquit, postquam legem totam non
 perficit, satisfaciens omnibus uerbis eius, dixit meritò
 Apostolus, se uiuere fide filij Dei, fide crucis eius, fide
 & mortis resurrectionis eius: imò se iam nō uiuere, sed
 uiuere in se Christū. Hinc & Dominus ipse, Qui credit
 in me, qui edit carnē meam, & bibit sanguinē meū, ha
 bet uitam æternam, & uiuet propter me. Et Ioānes e
 uangelista: Hæc uerò scripta sunt, ut credatis quod Ie
 sus est Christus, filius Dei, & ut credentes uitam habe
 atis in nomine illius, non in iustitia in uobis inchoata.

Cum itaq; Billickius dicit se uelle scire, quomodo
 homo credens Christo, uiuat ex fide, si iustitia fidei, id
 est, ut ipse hac locutione peruersè utitur, iustitia in ip
 so inchoata, quæ constat fide, spe, & charitate, non sit
 iustificatio uitæ, respondendum ei est, orare eum debe
 re Dominū ut det primū ipsi, uelle hoc scire. Si enim
 uelit, ex Paulo statim discet, sanctos ita uiuere ex fi
 de, quod non suæ, sed iustitiæ Christi fiducia, spem sa
 lutis & uitæ in se sustinent. Cuiq; igitur hæc cupienti
 nosse, planum factum est, ex his Pauli locis, quæ de ui
 ta fidei Billickius adduxit, demonstrari, iustitiā in san
 ctis inchoatam nō esse iustitiam uitæ, id est, qua uitam
 sancti obtinent æternam, multo minus iustificationem
 uitæ, id est, collationem uitæ huius.

Sed conatur præterea fumum aliquem huic luci of
 fundere per dicta D. Ioannis. Paulus Apostolus in
 quit, deputat uitam suam in Christo fidei & gratiæ, al
 ter autem Apostolus deputat eam charitati, qui scrip
 sit in Deo manere, qui maneat in charitate, & nos ex
 eo scire, quod de morte translati sumus ad uitam, quia
 diligimus fratres, Inde q; cōcludit, dilectionem esse ui
 tam,

tam. Apostolum autē non loqui de uita alia, quā qua iustificati uiuunt Deo. Addit iustitiam fidei secundum Apostolū iustificare, item spiritū uiuificare & eo, quod diffunditur per eum charitas Dei in cordibus nostris.

Vides uerò fumos, sed quò feruntur? Quid nam his tot uerbis concluditur? Verba ipsius habes pag. 125. & 126. Diuinemus, forsan id uoluit dicere.

D. Paulus deputat uitam suam in Christo, fidei & gratiæ, Ioannes dilectioni, & spiritus uiuificat diffundendo dilectionem in cordibus nostris: & loquuntur Apostoli de uita, qua iustificati uiuunt Deo. At fide & dilectione, quæ & gratia est, constat iustitia fidei, & iustitia inchoata: Ergo iustitia inchoata, est iustitia & iustificatio uitæ.

Responsio. Paulus uitam suam in Christo, omnino deputat fidei & gratiæ, fide enim filij Dei, qua gratiam, id est gratuitam Dei misericordiam, & iustitiam Christi erat cōplexus, & incœperat uiuere Deo omni inchoata iustitia, & obtinebat certam spem uitæ æternæ, plenè recipiendæ in regeneratione perfecta. Et quod scripsit Corinthiis, literam occidere, spiritum autem uiuificare, eo docere uoluit, per spiritum fidei, iustitiam & uitam Christi inscribi & recipi in cordibus nostris, qui solus morte sua nos liberat à condemnatione & morte. Quam litera legis (meritò ob id litera occidēs ab Apostolo uocata) infert omnibus hominibus, postquam nullus hominum manet in omnibus uerbis legis: & sic uiciati sunt natura omnes homines, ut lege sancta Dei, innata ipsis uicia, ubi Christi spiritus non succurrit, magis inflammentur, & ad peccata irriterentur. Itaq; Christi sanguine iustificati, & morte eius Deo reconciliati, seruamur uita illius, non nostra, atq; gloriamur de Deo, per hunc unum Dominū nostrum
Iesum

332

Iesum Christum non per ullum, quod in nobis sit, iustitiæ donum. Per hunc enim percipimus & reconciliationem cum patre, & cunctam in nobis inchoatam uitam & iustitiã. Et quicquid huic uitæ & iustitiæ deest nostra culpa, ut ei permultum semper deest, id ille sua perfecta, & iustitia, & uita nobis condonat & facit, & in regeneratione hæc sua dona perfecturus.

Fit itaq; ista nostri uiuificatio, quam Apostolus spiritui Christi, spiritui fidei tribuit, retinetur & perficitur, dum per Christi spiritum diffunditur in cordibus nostris dilectio, sed imprimis dilectio Dei erga nos, de qua Apostolus etiam hoc loco loquitur, ut supra ostendimus pag. 269. quæ exhibetur nobis & conseruatur per Dominum nostrum Iesum Christum. Per nostram enim dilectionem, qua ipsi Deum diligimus, quoniam ea, dum hic à Domino peregrinamur, legi nunquam satisfacit, cõdemnationem & mortẽ, quam infert litera legis cunctis hominibus, quibus non succurrit mors & uita Christi, effugere non possumus.

Dicta D. Ioannis, quæ Billickius hic adduxit, quis non uidet nihil amplius docere, quàm dilectionem fratrum esse certum argumentum, nos esse in Deo, & Deum in nobis, eoq; etiã à morte uerè in uitã esse translatos. Atqui unde constat nobis hic transitus, & cuius merito & uirtute incipimus esse, & manere in Deo? Dominus ipse dixit: Qui audit sermonem meum, & credit ei, qui me misit, is habet uitam æternam, & in iudicium non uenit, sed transiuit ex morte in uitam. Et Ioannes, Scimus quod filius Dei uenit, & dedit nobis mentem, ut cognoscamus uerum Deum, & sumus in uero, in filio eius Iesu Christo. iste est uerus Deus & uita æterna. In hoc autem esse nos, patet, quando uera in nobis uiget fratrum dilectio: eam enim sinceram ne

mo habere potest, qui non maneat in ipso, qui est charitas, & habeat eum manentem in se.

Quid autem hinc potest Billickij consecutio habere probabilitatis, qui ita colligit. Qui manet in dilectione, manet in Deo, & ex hac dilectione scit, se transiisse de morte ad uitam: Ergo dilectio est ipsa uita, & uitae iustificatio, id est uitae additio & collatio.

Scripsit Ioannes manere in Deo, qui fratres diligunt: scripsit etiam & eodem loco, manere in Deo, qui confessus fuerit, quod Iesus est filius Dei. Et hac certe fide, primum inserimur Christo Domino, eoq; & Deo ut palmites uitae. Alibi scripsit Ioannes: In eo, inquit, manifestata est dilectio Dei in nobis, quia misit Deus filium suum unigenitum in mundum, ut uiuamus per ipsum: per filium inquit Dei, non per dilectionem. De qua subiicit: In eo est dilectio, non quod nos dileximus Deum, sed quod ipse dilexit nos, & misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris. Hunc filium Dei qui habet, uitam habet: qui eum non habet, nec uitam habet.

1. Ioan. 1.

Ex his planum sit, & Pauli & Ioannis dictis, quae Billickius adduxit, contra nostram de inchoata iustitia, confessionem, quod ea iustificare iustificatione uitae non possit, multo minus esse ipsa iustificatio, hanc ipsam nostram confessionem confirmari, & certo concludi. Cum enim affirmat Paulus se uiuere fide filij Dei, & gratiam hanc se non abijcere, satis testatur, se nulla, quae in ipso sit, uirtute uiuere posse. Cunctaque spiritui Christi uiuificationem hominis tribuit, adimit certe hanc inhaerenti homini iustitiae. Ita Ioannes, cum dilectionem fratrum signum eius facit, quod de morte transiimus ad uitam, & manemus in Deo: hunc certe nostrum a morte in uitam transitum, mansionemq;

no-

nostram in Deo, Dei erga nos charitati & morti Christi attribuit, eoq; docet, competere hæc dilectioni nostræ non posse.

Initium huius disputationis fecit Billickius nō minus ineptum. Dicit enim iustitiam inchoatam esse eximium illud donū, quo spiritus sanctus purificat nos, & sanctificat Deo. Et tanquam nos negaremus hanc esse donum Dei, subiicit: Nec enim fidē, spem & charitatem aliunde quā ex Deo habemus. Et ut probet hanc sententiam, profert quatuor scripturarum auctoritates. Decet uerò ista incogitantia & nugatio eum, qui concordiam quærat in doctrina Christi, & Colloquij compendium? Quid tu Billicki aliud à nobis unquam audiuisti? quā esse dona Dei omnes uirtutes, & sanctificare nos illis spiritum sanctum. Addimus autem, fide corda à peccatis mundari, non quia illa uirtus est, & donum Dei, sed quia est eiusmodi donum, & talis facultas, qua asperionem & purificationem percipimus sanguinis Christi, qui solus mundat nos ab omni peccato, & conscientiam ab operibus mortuis. Qualis autem conclusio: Iustitia constans fide, spe & charitate, est eximium donum Dei, Ergo iustificat iustificatione uitæ. Etiam aqua & ignis sunt præclara Dei dona, igitur per illa iusti erimus apud Deū, & uiuemus? Videamus nunc, quid & Augustini auctoritates, quas Billickius contra nos adduxit, cōcludant.

RESPONSIO AD AVTORITATES D. AUGUSTINI, quibus Billickius uisus sibi est ostendere iustitiam inchoatam iustificare iustificatione uitæ.

PRIMUM proponit D. Augustinum, qui disputat de iustificatione fidei acutissimè, nec apicē quidē in scripturis inexcussum reliquerit, ponere iustitiā inchoatam in incipientibus, ponere & in proficientibus

T t 3 bus

bus & currentibus, ponere etiam iustitiam secundum vitam huiusmodi, perfectam, non tamen ita perfectam, quin augeri adhuc possit, ponere denique perfectissimam in vita futura. Sed cum tot formas & gradus iustificationis describat, eum tamen nulli eorum iustificationem vite detrahare, verum docere, homines secundum hos gradus omnes vere iustificari (quod est illi iustum fieri) atque adeo iustificationem vite habere. Hoc dicere eum voluisse apparet. In verbis enim eius videtur aliquid deesse, ut quidam a nobis excepta sunt. Propositio itaque Billickij hoc loco haec est: D. Augustinus iustitiae in sanctis inchoatae, quae gradus multos habet, tribuit iustificationem vite, in quolibet, etiam infimo suo gradu.

Vt vero videas planius pie lector hanc Billickij propositionem, aut non aduersari nostrae confessioni, aut certe per Augustinum non solum non probari, verum etiam confutari, memineris quae de uocibus his, iustificari & iustificatio, & locutione hac, iustificatione vite, praemisimus. Apostolus enim cum dicit iustificari hominem iustificatione vite, intelligit adiudicari homini vitam aeternam. Augustinus uero per iustificari intelligit plerumque, donari & ornari hominem iustitia inchoata. Nos autem testati ab initio sumus, significatione nos uti Apostolica, non Augustiniana, ac proinde per iustificationem vite intelligere, adiudicationem vite aeternae, quae Apostolus uni Christi iustitiae attribuit, ut condemnationem, quae scilicet iustificationi contraria est, dicit in uetere esse primum per unius hominis peccatum. Jam constat D. Augustini iustitiae in nobis inchoatae, ne in summo quidem eius gradu, attribuere adiudicationem & retributionem vite aeternae, imo summo studio, & euidentissimis scripturis per multos libros docere, quod nemo unquam eorum perfectionis iustitiae in hac quidem uita peruenit, ut non
opus

opus habuerit deprecari iudicium Dei, & fateri in conspectu eius iustificari neminē hic uiuentem, in quemcūq; gradum iustitiæ peruenisset. Perspicuum est igitur Billickij hoc loco propositionem, quod scilicet D. Augustinus iustitiæ inchoatæ in quolibet eius gradu tribuat iustificationem uitæ, aut per Augustinum ipsum confutari, aut eam non contradicere Confessionī nostræ. Vt si per eam Billickius forsā uelit dicere, D. Augustinū tribuere iustitiæ in nobis inchoatæ simpliciter, quod quī ea à Domino donantur, per eam iusti fiant, & sint, uiuantq; iam Deo. Nam istud & nos agnoscimus uerū esse, si ritē intelligatur: hoc est, ut sciamus, sicut iustitiā istam, ita & uitam, quam hac iustitia uiuimus, esse inchoatā modō & imperfectam, nitiq; totam iustitiā Christi cōsummata. Porro Billickius cum nostrā confessionē suscepit oppugnandū, debebat uoces & locutiones confess. nostræ in eadē qua nos, significatione usurpare, aut ostēdere, nos Paulinis uocibus & locutionibus, nō eo significatu uti, quo Apostolus ipse. Sed cōsideres ipse pie lector, quas Billickius D. Augustini sententias adduxit omnes. Sic per te ipsum uidebis illis, nostram de iustitia & inchoata in sanctis, & in Christo perfecta, confessionem cōprobari, & sententiā contrariā, siue eam uelit tueri Billickius, siue alius quispiam, confutari. Quid enim affirmant omnes illæ D. Augustini sententiæ, quā iustos, secundum hanc inchoatam in ipsis iustitiam ex fide uiuere, & eam ueram esse iustitiam, quod habet sententia primo loco posita. Item esse iustitiam huius nostræ peregrinationis, & hanc in eo sitam esse, ut ad perfectionem plenitudinemq; iustitiæ, ipsius cursus rectitudine & perfectione tendamus. Hæc insunt sententiæ quarto loco positiæ.

Quæ

Quæ quinto loco adducta est, confirmat hanc inchoatam iustitiam, constare fide, spe, & charitate, & ea nos currere esurientes, & sitientes ad perfectionē plenitudinemq; iustitiæ.

Quæ in secundum & tertium locum collatæ sunt, docent nullam esse aliam hominum iustitiam in hac uita, quàm uiuere ex fide, quæ per dilectionem operatur. Et fide Domini nostri Iesu Christi nos impetrare salutem, cum hic inchoatam, tum in futuro seculo perficiendam.

Vltimo loco obiecta sententia, non de inchoata iustitia, sed de Dei gratia docet, eiq; tribuit, quod hominem & hic penitus immouet, quantum attinet ad liberationem omnium omnino peccatorum.

Hæc & nos omnia esse uera agnoscimus, siquidem rectè intelligantur. Quid autem inest in his omnibus, siue quæ hic uir Dei testatur de iustitia inchoata, siue quæ de fide Christi, siue quæ de gratia affirmat, quod doceat, aut non esse sanctis iustitiam duplicem, & in ipsis inchoatam, & in Christo Domino perfectam: aut in sanctis inchoatam iustitiam ita esse perfectam, ut ea quispiam possit iustificari iustificatione uitæ, id est, ad iudicationem percipere uitæ aternæ, non succurren-
te ei iustitia Christi? Imò quis non uideat, qui has sententias rectè excusserit, D. Augustinū his ipsis dictis suis, quicquid tribuat iustitiæ in sanctis inchoatæ, tamen salutem omnem sanctorum ponere in fide iustitiæ Christi perfectæ?

Nam in duabus sententijs, quas Billickius primo & secundo loco adduxit, dicit nos quidem secundum iustitiam inchoatam uiuere. sed ex fide Domini nostri Iesu Christi, & ea utique fide, qua credimus ipsum nobis à Deo factum esse iustitiam, & propiciationem
pro

pro peccatis nostris, fide, ut aliàs scripsit, sanguinis eius, mortis eius & resurrectionis eius. Poni igitur hic uir Dei uitam sanctorum totam in iustitia Christi.

Quod adhuc clarius docet in ea sententia, quam collocauit tertio loco. Ait enim eos fide impetrare salutem, & inchoatam, & perficiendam. Atqui si fide salutem impetramus, salus non est, nec ipsa fides, nec adiunctæ illi uirtutes.

Ita cum sententijs quarto & quinto loco productis, dicit iustitiæ nostræ esse, ad perfectam iustitiam tendere, eamque sitire & esurire, & hanc alibi Christum ipsum interpretatur, & eius iustitiam: an non & hoc dictio satis clarè confitetur, imperfectam esse iustitiam inchoatam adeo, ut ea salui esse, id est, percipere uitam æternam non possimus, & propterea nos opus habere hanc percipere iustitia Christi, cuius merito tandem, ipsa etiam in nobis hic inchoata iustitia perficitur, cum scilicet erit Deus omnia in omnibus, per Christum Dominum nostrum, 1. Corinth. 15.

Eodem pertinet, & quod ultimo dicto affirmat, in nouationem nostri totam consistere, & perfici gratia Dei, indubie illa, qua Deus nos sibi gratos fecit, in dilecto filio suo. Et quod dicit, nostri in nouatione, quam gratia hæc Dei perficit in hac uita, consistere in liberatione omnium omnino peccatorum, quibus nimirum Christi gratia nos ita liberat, ut nullum nobis imputetur. Abolitionem enim corporis peccati, & peruersæ concupiscentiæ perficit hæc gratia in futuro seculo, ut idem uir Dei plurimis in locis docet.

Itaque patet abundè his D. Augustini dictis, quæ Billickius protulit, iustitiæ in sanctis inchoatæ, non modo non attribui id, quod affirmat Billickius, iustificationem uitæ, id est, uitæ æternæ (si hæc intelligatur ea,

V u quam

quam Apostolus sic uocat, & nos in nostra Confessione Apostolum secuti, uocamus adiudicationem uitæ æternæ) ei, sed hanc potius omni in homine inhaerenti iustitiæ adimi, & attribui uni gratiæ Dei, & iustitiæ Christi. Nostra igitur his dictis confirmatur confessio, & confutatur quicquid illi contradicit. id quod facile agnoscet, quicumq; nostra, cum D. Augustini dictis ritè contulerit.

Etenim quod D. Augustinus in sententiâ primo loco posita dicit, inchoatam in sanctis iustitiam ueram esse, ipse satis declarat in sententijs quarto & quinto loco positis, se hanc iustitiam ita ueram dixisse, ut tamen agnouerit imperfectam, nec nisi in suo gradu ueram esse. Ita quod in sententiâ secundo loco producta dicit, non esse aliam hominum in hac uita iustitiam, nisi ex fide uiuere, eo ipso certè, utranque posuit sanctorum iustitiam, & in ipsis inchoatam, & in Christo perfectam. Et simul ostendit, illa neminem, & hac sanctos omnes iustificari, iustificatione uitæ. Nam cum fidem ponit, & fidem efficacem, fidem quæ per dilectionem operatur, ponit utique non inchoatam solum sanctorum iustitiam, constantem fide & dilectione, sed & consummatam Christi iustitiam, quam fides apprehendit, & qua sola nititur, siquidem fides uera sit. unde Diuus Augustinus hanc fidem uocat, fidem sanguinis Christi, fidem crucis eius, fidem mortis & resurrectionis eius: hoc est, fidem, qua credimus Christi perfecta obedientia & iustitia nobis condonari, & sarciri nostræ iustitiæ, & imperfectionem, & impuritatem.

*De natura
& gratia
cap. 44.*

De quo idem præclare scripsit libro tertio, contra duas epistolas Pelagianorum, ad Bonifacium capite quinto. Nempe iste, inquit, qui moribus illo (homi-
ne

ne scilicet infideli, & adhuc a Christo alieno, pulchris autem moribus ornato) uidetur infirmior, propter rectam fidem, quæ illi est in Deum, ex qua uiuit, & secundum quam in omnibus delictis suis se accusat, in omnibus bonis operibus Deum laudat, sibi tribuens ignominiam, illi gloriam, atque ab ipso sumens, & indulgentiam peccatorum, & dilectionem recte factorum, de hac uita liberandus, & in consortium cum Christo regnatorum recipiendus, emigrat. Quare nisi propter fidem? Quæ licet sine operibus neminem saluat, ipsa enim est non reprobata fides, quæ per dilectionem operatur, tamen per ipsam etiam peccata soluentur, quia iustus ex fide uiuit. Sine ipsa uerè etiam quæ uidentur bona opera, in peccata uertuntur. Omne enim quod non est ex fide, peccatum est.

Hic discite quomodo D. Augustinus intellexerit dictum Prophetæ, & Apostoli: Iustum sua fide uiuere, nimirum ut idem sit, quod iustum eo uiuere in Domino, & spem tenere salutis, quod credit peccata sua, quibus ad extremum usque spiritum nunquam se plane liberum agnoscit, solui & remitti sibi propter Christum. Hanc uitam fidei, quæ fiducia remissionis gratuita peccatorum sustinetur & uiuitur, hic uir Dei in libris, quos scripsit contra errorem Pelagianorum, passim prædicat. De ea, quia id supra pollicitus sum, uenam & alteram sententiam subiiciam, quo plenius cognoscatur, qua impudentia aduersarij D. Augustini auctoritatem contra nostram adducere confessionem ausi sint, cum ea ab hoc sanctissimo patre tam sit, & copiose prædicata, & defensa tam inuicte.

ALIQVOT SANCTORVM PATRV

sententiæ de duplici sanctorum iustitia.

DIUVS Augustinus de utraq; sanctorum iustitiâ & ultra sustineatur spes uitæ æternæ, ita scripsit in libro De perfectione iustitiæ. Hoc, inquit, prorsus agitur, ut cor mundetur, & peccatū omne tollatur, & quod iudex iustus, cum in throno sederit, occultum in uenerit, minusq; mundatum, eius misericordiâ remittatur, ut Deo uidendo totum sanum mundumq; reddatur. Iudiciū enim sine misericordiâ est, sed illi qui non fecit misericordiâ: superexaltat autem misericordiâ iudicio. Quod si non esset, quæ spes esset: quando quidem iam, cum rex iustus sederit in throno, quis gloriabitur mundum se esse à peccato? Tunc ergo per eius misericordiâ iusti plenè, perfectèq; mundati, fulgebunt sicut sol in regno patris sui.

Hic uides triplicem sanctorum iustitiâ clarè describi: unam inchoatam, qua student quidem ut cor suum emundent, & peccatū omne tollant, sed coguntur tamen simul reliquam in se peccati immundiciem agnoscere & deplorare. Alteram ipsam Dei misericordiâ in Christo Domino fide apprehensam, qua remittitur id, quod in hac uita emundari, tolliq; penitus nō potuerit: tertiam, perfectam iustitiâ, quam in futuro per eandem misericordiâ Dei & iustitiâ Christi recipiunt, quicunq; fide Christi hinc discesserint.

De eadem inchoata hic iustitiâ, & perfectâ Christi, scripsit & ad Bonifacium contra duas epistolas Pelag. lib. 3. cap. 7.

Postremò in præcepto positum est. Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiâ. In primo autem. Quoniam ipsi saturabuntur, unde quæso saturabuntur, nisi quod esuriunt & sitiunt. Quis igitur ita non solum à diuino, sed

Vide, si nulla sanctis spes esset, nisi inchoatæ iustitiæ, accederet remissio peccatorum.

Triplicis sanctorum iustitiæ.

sed à sensu quoq; abhorret humano, qui dicat in homi-
ne tantam esse posse iustitiam, cum ab illo esuritur & si-
titur, quanta erit, cum ex illa saturabitur. Quando esu-
rimus autem, sitimusq; iustitiam, si fides Christi irigi-
lat in nobis, quod nos nisi Christū esurire ac sitire cre-
dendum est. Qui factus est nobis sapientia à Deo, iu-
stitia, & sanctificatio, & redemptio, ut quæadmodum
scriptum est, Qui gloriatur in Domino gloriatur.

En iustitiam, cum qua esurimus adhuc & sitimus
iustitiam: & iustitiam, qua sitiamur, Christum ipsum,
per quem id quod deest nostræ iustitiæ, & cōdonatur,
& in regeneratione cōpletur. Semper enim agnosce-
ndum est, etiam perfectissimis sanctis, sibi non parum
deesse. De quo D. Augustinus eodem loco, paulo in-
frà ita scripsit.

Ex quo, inquit, factum est, uirtutem, quæ nunc est
in homine iusto, perfectam hæcenus nominari, ut ad
eius perfectionem pertineat etiam ipsius imperfectio-
nis, & in ueritate cognitio, & in humilitate confessio.
Tum enim est secundum hanc infirmitatem pro suo
modulo perfecta ista parua iustitia, quando etiã quid
sibi desit, intelligit. Ideoq; Apostolus & imperfectum
& perfectum se dicit. Imperfectum scilicet, cogitando
quantum illi ad iustitiam desit, cuius plenitudinem ad
huc esurit ac sitit: perfectum autem, quod & suam im-
perfectionem confiteri non erubescit, & ut perueniat,
bene procedit.

At peccatum esse hanc iustitiæ imperfectionem, i-
dem uir Dei testatur, cum aliàs, tum in libro De per-
fectione iustitiæ, Ratiocinatione 15. ubi ita scribit.

Peccatum est autem, cum, uel nō est charitas, quæ esse
debet, uel minor est quàm debet, siue hoc uoluntate ui-
tari possit, siue non possit: quia si potest, præfens uolun-
tari possit.

Nota. Siue
uitari pos-
sit, siue nō
possit.

tas hoc facit: si autem nō potest, præterita uoluntas hoc fecit: & tamen uitari potest, non quando uoluntas superba laudatur, sed quando humilis adiuuatur.

Porro non imperfecta modò est hæc nostra iustitia, sed etiam admodū impura, id est, habens adiuncta peccata, ut dictū est iam supra. quod ipsum quoq; ab hoc uiro Dei passim adseritur, & clarissimis scripturis demonstratur, ex quibus illa maxime urget testimonia: quod spiritus sanctus per Dauid dixit, Omnem sanctum orare Deum pro uenia peccatorum: quod Dominus omnes, etiam ipsos apostolos, iussit precari, Remitte nobis debita & peccata nostra. & quod Ioannes de se, & cunctis sanctis scripsit, decipere se, nec esse in se ueritatem, si unquam dicant se peccatum non habere.

Quam iustitiæ nostræ impuritatem & D. Bernardus admodum pleno ore multis in locis confitetur. Vnum & alterum subscribam. In sermone de uerbis Esaïæ ita scripsit: Nostra si qua est humilis iustitia, recta forsitan, sed nō pura. Nisi forte meliores nos se credimus, quàm patres nostros, qui non minus ueraciter, quàm humiliter aiebant: Omnes iustitiæ nostræ tanquā pannus menstruatae mulieris. Quomodo enim pura iustitia hominum, si tamen peccato non cōsentiant, ut non regnet in eorum mortali corpore. Et rursus in sermone quinto De dedicatione. Si ipsam, inquit, prout in se est, & ex se iuxta rei ueritatem intueor, nihil de ea uerius sentiri possum, quàm ad nihilum esse redactam. Quid modò necesse est singulas eius miseras numerare: quàm sit onerata peccatis, obfusa tenebris, irretita illecebris, pruriens concupiscentiis, obnoxia passionibus, impleta illusionibus, prona semper ad malum, in uicium omne procliuis, postremo
totius

Tota hæc.

totius confutionis & ignominiaē impleta. Nimirum si ipse quoque iustitiaē nostrae omnes ad lumen ueritatis inspectae, uelut pannus menstruatae inueniuntur, iniustitiaē deinceps quales reputabuntur. Si lumē quod in nobis est tenebrae sunt, ipse tenebrae quantae erunt. Facile cuique nostrum, si sua melius in uniuersa, & sine dissimulatione uestiget & iudicet sine accēptione personae attestari per omnia Apostolicae ueritati, & liberē proclamare, Qui se putat aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit.

Omnes sanctorum iustitiaē ut pānus menstruato laborantis.

Ad hunc modum uerē sancti uiri iustitiam in se inchoatam, in qua tamen tantopere excellēbant, extenuabant & deiciēbant, admiratione & desiderio iustitiaē Christi. Nostri autem aduersarij, cum tam parum studeant iustitiaē in ipsis informandae, in ea tamen extollēda, tantopere laborant, ut scilicet studium uerum iustitiaē Christi, uel nos, propterea quod hoc docemus, oppugnant.

Sed audiamus & D. Basilij unam sententiam, ut & huius antiquiore autoritate ostendam, quam uetus & catholica sit nostra confessio. Is ergo homelia De humilitate ita scripsit: Haec hominis celsitudo est, haec gloria, & magnitudo uerē cognoscere magnum, & huic adnasci, & gloriam quae à Domino est, quærere. Docet uerō Apostolus, Qui gloriatur, gloriatur in Domino, dicens: Quoniam Christus nobis factus est à Deo sapientia, iustitia, & sanctificatio & redemptio. ut, quemadmodū scriptum est, Qui gloriatur, in Domino gloriatur. Ea enim certē perfecta est, & plena gloriatio in Deo, quando quis de iustitia sua non attollitur. Sed nouit se indignū esse uerae iustitiaē, fide uerō sola, qua in Christum credit, iustificari. Et Paulus sanē

Nota, Fide sola.

glo-

gloriatur, quod suam iustitiam contempserit: quæ-
 rit autem per Christum iustitiam, quæ ex Deo est in fi-
 de, ut cognosceret ipsum, & uirtutem resurrectionis e-
 ius, & communionem passionum eius, conformis mor-
 ti eius, ut & in resurrectionem ex mortuis occurreret.
 Hic cecidit omnis celsitudo superbiæ, nihil tibi ô ho-
 mo ad fastum relictum est: cuius gloriatio & spes, in
 eo sita est, ut tua omnia mortifices, quæras uerò in Chri-
 sto uitam futuram, cuius habentes primitias, iam in
 his sumus totum id quod uiuimus, uiuentes gratta &
 dono Dei.

Nota, To-
 tum quod
 uiuimus, ui-
 uimus gra-
 tia & dono
 Dei.

Vides ut hic uir Dei omnem hominis in pietate &
 iustitia magnitudinem in eo ponat, si cognoscat mag-
 num, Deum scilicet suum, in Christo Domino, & ad-
 nascatur ei, & inseratur, quod fide fit. Ita eos demum
 uerè gloriari in Domino, qui de sua se iustitia non ef-
 ferunt, sed fatentur se esse ueræ iustitiæ indigos, Chri-
 stum uerò amplectantur, nobis factum à Deo sapien-
 tiam, iustitiam, &c. Tum Paulum gloriatū esse de con-
 temptu suæ iustitiæ, quæ tamen sanè perquam eximia
 erat, quæsiuisse uerò per Christum iustitiam Dei. De-
 niq; omnem gloriam & spem nostrā in eo esse sitam,
 ut omnia nostra mortificemus, & uitam quæramus in
 Christo futuram, uitam gratiæ & doni.

Hæc itaq; ueteris ecclesiæ Catholica testimonia con-
 cludamus, adiectis adhuc duabus Augustini senten-
 tijs ex lib. 1. De peccatorum meritis & remissione. prio-
 rem perscripsit in cap. 27, quæ sic habet.

Omnes ergo agnoscamus, nec ullus exceptus sit eo-
 rum, qui uolumus corpori eius adherere, per eum in
 ouile eius intrare, ad uitam & salutem, quam suis pro-
 misit, perpetuam peruenire. Omnes, inquam, agnos-
 camus eum, qui peccatum non fecit, & peccata nostra
 per,

pertulit corpore suo super lignum, ut à peccatis separati, cum iustitia uiuamus, cuius cicatricibus sanati sumus infirmi, cum essemus tanquam pecora errantia.

Altera habetur sequenti capite his uerbis: Consideratis autem omnibus diuinis testimonijs, quæ commemorauit, siue singillatim de unoquoque disputans, siue aceruatim multa congestans, uel quæcunque similia non commemorauit, nihil inuenitur, nisi quod uniuersa ecclesia tenet, quæ aduersus omnes prophanas nouitates uigilare debet, omnem hominẽ separari à Deo, nisi qui per mediatorem Christum reconciliatur Deo, nec separari quenquam nisi peccatis intercludentibus posse. Non ergo reconciliari nisi peccatorum remissione, per unam gratiam misericordissimi saluatoris, per unam uictimã uerissimi sacerdotis: ac sic omnes filios mulieris, quæ serpenti credidit ut libidine corrumpere, non liberari à corpore mortis huius, nisi per filium uirginis, quæ angelo credidit, ut sine libidine foetaretur.

Quid uero nos iustitiæ in sanctis inchoatæ unquam detraximus, quod non multo magis ei detrahant hi sanctissimi uiri, D. Basilius, Augustinus & Bernardus? Quid Christi iustitiæ attribuimus, quod non plenius de ea ore prædicent hi tanti ecclesiæ doctores?

Perspicuum igitur est, sicut diuinis scripturis, ita etiam sanctorum patrum scriptis: & duplicem illam sanctorum in hac uita iustitiam (perfecta in ipsis est uitæ futuræ) & passim & clarissimis uerbis doceri, & salutaris fiduciam ita in sola Christi iustitiâ collocari, & in hærenti sanctis iustitiæ detrahi, ut sancti omnes, quo huic inchoatæ in se iustitiæ magis student in se augenda, hoc minus in ea acquiescant, magisque eius obliuiscantur, enitentes scilicet semper in ea, quæ ipsis adhuc à fronte sunt, ad perfectiorẽ scilicet adhuc iustitiã sibi

Nota, Omnis homo quantacumque inchoata polleat iustitia, separatur à Deo, si nõ reconciliatur iustitiâ Christi: hac igitur, non illa iustificamur.

per iustitiam Christi impetrandā, & consequendam.

Hæc itaq; qui piè cōsiderarit, satis superq; uidet, id ferendæ non fuisse impudentiæ, quod Billickius, tantus sua & aliorum opinione theologus, ausus est affirmare, hanc nostram distinctionem, de duplici sanctorum iustitiâ, esse nouam, catholicis inauditam, non cōfontaneam, nec diuinis scripturis, nec sanctis Patribus. In quo etiam apertè contradixit suo Groppero. Is enim in Colloquio priore Ratisbonensi non cōsensit modò; sed satis studiosè etiã propugnauit hanc nostram confessionem, adiuuicq; ut ea in articulo de iustificatione, in eo colloquio cōciliato plenè admodum exprimeretur. quod ipse piè lector, ex eo articulo cognoscere toto potes. Præcipuam tamen huius partem, & quæ propriè ad hanc de duplici iustitiâ disputationem pertinet, subscribam.

Fides apprehendit misericordiam in Christo.

Fides autem uera est, quæ & apprehendit misericordiam in Christo, & credit iustitiam, quæ est in Christo, sibi gratis imputari: & quæ simul pollicitationem spiritus sancti & charitatem accipit, ita quod fides quidem iustificans est illa fides, quæ est efficax per charitatem: sed interim hoc uerum est, quod hac fide eatenus iustificamur, id est, acceptamur & reconciliamur Deo, quatenus apprehendit misericordiã & iustitiam, quæ nobis imputatur propter Christum, & eius meritũ, nõ propter dignitatem seu perfectionem iustitiæ nobis in Christo cõmunicatæ. Etsi aut is, qui iustificatur, iustitiam accipit, & habet per Christũ etiã in hærentem. sicut dicit Apostolus, Abluti estis, sanctificati estis, &c.

Quare S. Patres iustificari, etiã pro eo, quod est in hærentem iustitiã accipere usurparunt, tamẽ anima fidelis, huic non innitur, sed solè iustitiæ Christi nobis donatæ, sine qua omnino nulla esse potest iustitiã.

Et

Et sic fide in Christum iustificamur, seu reputamur iusti, id est accepti ipsius merito, nō propter nostrā dignitatem aut opera: ut propter inhærentē iustitiam, eo iusti dicimur, quia quæ iusta sunt, operamur, iuxta illud Ioannis: Qui facit iustitiam, iustus est.

Vides quā clare & copiose Billickij in oppugnanda nostra confessione hodie socius Gropperus, eandem tamen in hoc quidem articulo confessus sit, & adseruerit. Id uerò fecit assentiente per omnia etiam Cardinale Contareno, nō solum collegis suis Iulio Pflug & Eccio. Quanquam Eccius ea quæ sunt de certitudine salutis, quam articulus ille fidei attribuit, adscribi quidem passus sit, probarit minimè. Si uideretur nunc Billickio hæc nostra, imò totius Christi Ecclesie, de duplici sanctorum iustitia, confessio, tam non catholica, adeoq; à diuinis scripturis, & S. Patribus aliena, & fuit in hac ipse sententia etiam tempore eius Colloquij, quare non tum Groppero suo restitit, eandem Confessionem probanti & defendenti? Aderat enim tum Ratisbonæ, & aderat à Reuerendiss. Colonienſi Archiepiscopo Groppero adiūctus, in hac religionis causa collega. Sin uerò tum rectè sentiebat, & nostrā ipse quoq; confessionē cum Groppero probabat, quid causa dicat, cur eam nūc putarit libi oppugnandam, nisi quod cum Groppero ueretur, ne si puram admittat de iustitia Christi doctrinā, cogantur etiā aliquando eius admittere disciplinam, qua luxus scilicet ille & fastus eis de crucifixi patrimonio circumscriberetur.

Etenim cernis ex hac, quam adscripsi illius cōciliati de iustificatione articuli parte, q̄ luculenter & copiosè Gropperus nobiscū confessus sit. Primū esse sanctis iustitiā duplicē per Christū eis cōmunicatam, & inhærentem, & Christi illis imputatā, Deinde sanctos hac,

non illa iustificari, acceptari & reconciliari Deo. Possremò, quanquam omnis iustificatus etiam inhærentem sibi iustitiã habeat necessariò, & sancti patres propterea iustificari, etiam pro eo quod est, inhærentē iustitiã accipere, usurparunt: tamen fidelem animam non huic, sed soli Christi iustitiã inniti, ipsis donatã.

Hunc uerò de iustificatione articulũ in priore Colloquio conciliatum, Imperator ipse, & Electorum concilium comprobauerunt, ut supra exposuimus. Iudicent nunc Christiani de spiritu Billickij, qui & articulum hunc totum, & quę in eo catholicè comprehensa sunt, ausus est rejicere, idq; tam improbè.

VINDICATIO RATIONIS QVA PROBATUR, nos iustitia nobis hic inhærente non iustificari.

Adserendo quod iustitia in nobis inchoata nemo iustificatur iustificatione uitæ, hanc rationem adduximus, quod ea iustitia in nemine sit perfecta, ut legis scilicet maledicto, legi ipsa satisfaciens, possit quemquam liberare, ideoq; neminem illa posse niti, aut confidere in iudicio Dei: hoc est, eius merito, spem salutis sustinere, & adiudicationem expectare uitæ æternæ.

Hæc habentur pag. 226.

Hanc rationem uolens Billickius ostendere nihil concludere, dixit fidem, spem, & charitatē, quanquam imperfectæ sunt & ex parte, tamen uiuere: idq; probat per scripturas aliquot, quasi nos id negaremus. Confessus quoq; est, iustitiã inchoata non esse nitendum, cuius contrarium tamen defendit postea in colloquio familiari.

Hic rursus uide pie lector, quàm parum pensi isti homines habeant, quid in tantũ momenti disputatione uel affirmant, uel negēt. Nos enim iuxta scripturas Dei, & omnium sanctorum fidem confitemur & docemus, neminē in hac uita tantam consequi iustitiã inhæ-

inhærentem, propter quam Deus uitam æternam ad-
iudicet: & hoc confirmamus hac ratione, quod in om-
nibus sanctis ista inherens iustitia sit aded imperfecta,
& tanto interuallo infra metam, à lege Dei præfixam
subsistens, ut illa in iudicio Dei niti, & confidere ne-
mo ualeat. Hanc rationem cum Billickius instituit re-
futare, assert inchoatâ in sanctis iustitiam, id est, fidem,
spem, & charitatem, uiuere, id est aliquot Pauli dictis,
cum nemo neget, studiose cõfirmat. Quid uerò illa ad-
rem; aut quæ consecutio? uirtutes in sanctis inchoatæ
uiuunt, ergo uiuificant & iustificant. Viuunt in homi-
ne uita naturali manus & pedes, ergo ne hæ partes ho-
minem hac uita uiuificant? Etiam prætenues informa-
tiones artium bonarum uiuunt uita eruditionis, tamen
propter eas nemini adiudicantur præmia, quæ sunt cõ-
stituta talium artium magistris & doctoribus. Ita ui-
uunt & in sanctis, fides, spes, charitas, aliæque uirtutes.
in egyptu enim sunt spiritus sancti, quo aguntur omnes
filij Dei, qui que operatur in eis, & uelle, & operari: sed
non sic uiuunt, uigentque, ut horum ui sancti uiuere
queant uitam æternam, aut etiam spem huius sibi su-
stinere. Ad id quod diximus, non esse innitendum ius-
titia inchoatæ, respondet, frustra per nos istud argu-
mentum adduci, & rogat quis nam iubeat alij, quam
Deo inniti? An nos fidamus ulli iustitia siue inchoa-
tæ, siue illi alij, quam uelimus, & non potius Deo?

Nos clare satis diximus & explicauimus, alteram
illam sanctorum iustitiam, qua niti illi & confidere de-
bent, esse Christi obedientiam, & iustitiam, quæ no-
stra illa peccata expiauit, & uitam nobis meruit sempi-
ternam. Hac certe fidimus atque nitimur, fidendumque
esse, & innitendum docemus. Eo autem non nisi Deo
cõfidimus, & nitimur, fidereque docemus, cui nimirum

Hæc habes
pag. 126.
Billickij ar-
gumentum
Virtutes in
sanctis ui-
uunt, Ergo
uiuificant
eos & iusti-
ficant.

Quomodo
iustitia
Christi ni-
tendum.

nemo nisi & confidere potest, nisi qui fidat & nitatur Christo filio eius, quem ipse nobis donauit, ut sit propitiatio pro peccatis nostris, & det nobis uitam aeternam in se credentibus. Vnde dixit Dominus ipse Ioannis duodecimo: Qui credit in me, non credit in me, sed in eum, qui misit me. Item decimoquarto: Creditis in Deum, & in me credite. Et ad Philip-pum: Qui uidet me, uidet & patrem meum. Et hinc igitur cernis pie lector, quam inconsiderate & irreligiose isti homines de summa hac salutis nostrae doctrina disputent.

RESPONSIO AD QVASDAM
Billickij calumnias, quas in altera de dogma-
tis actione adhibuit de iustitia
inchoata.

CUM Billickius in sua prima actione de dogma-
tis, & de iustitia inchoata, multis probare cona-
retur, quae nos ultro damus, ut hanc esse ueram, &
uiuam iustitiam, esse donum Dei, eiusque initium fi-
dem esse, & nos esse illa aliquo modo iustos, interpel-
labamus eum, & actum agere monebamus. Hoc
ipsum rursus in sequenti actione peruertit. Nam ait
nos negasse sententiam nostram esse, quod iustitia in-
choata nemo iustificetur iustificatione, quam Apo-
stolus uocat, iustificationem uitae. Hanc uero esse no-
stram sententiam, & cum diximus, & nunc quoque
dicimus. Billickius suscepit quidem hanc oppugnan-
dam, nihil autem tum attulit, quam quibus ostende-
batur, iustitiam inchoatam esse ueram, uiuamque iu-
stitiam, & donum Dei: & fidem esse huius initium,
nosque hac iustitia modo quodam iustos esse. Iure ita-
que diximus eum probare instituisse, quod nos nun-
quam

Neminem
iustitia in-
herente iu-
stificari iu-
stificatione
uitae.
Hec pag.
131. 132.

quam negauimus. Nam quod postea dixit, se totum huc incubuisse, ut manifesta ratione demonstraret ex scripturis diuinis, certissimisq; sanctorum Patrum Orthodoxorum testimonijs, iustitiam inchoatam, quæ fide, spe, & charitate constet, hominem uerè uiuificare & iustificare iustificatione illa, quam Apostolus iustificationem uitæ uocat, non minus inanis quàm gloriosa iactatio est, nam ne unum quidem, quo istud cõcluderetur, argumentum adduxit, id quod quiuis agnosceret, qui eius actionem perlegerit.

Ita & illud satis pueriliter gloriatur, multa fuisse sibi in hanc causam parata ad dicendum. Quis enim dubitat eum, quæ putarit se habere firmissima, illa statim produxisse. Sed si quæ habet adeò parata, uel nũc tandem proferat, nisi uelit suam amplius traducere incogitantiam.

Etenim ea ratio quàm hoc loco subiecit, uelut omnium illarum, quas sibi habet tam bene paratas, conclusionum summam, tantundem habet ἐλέγξ, quantum ea, quam produxit.

Nihil enim attulit, quam fidem, spem & charitatem, esse preciosissima & inæstimabilia Dei dona, quæ Christus ipse nobis suo merito parauerit: & quibus non sint, præter gloriam beatitudinis, uel maiora, uel Deo magis accepta, utpote per quæ spiritus sanctus nos inhabitet, ipsiq; Deo mirabili conglutinet unione? Nunc uide ex his quid concludat. Hæc dei dona hominem reddere iustum. Hoc ipsum uerò dicimus etiamnum, & nostram esse sententiam, siquidem rectè intelligatur: quanquam magis propriè dicatur, hominem his donis esse iustum quàm dona ipsa hominem reddere iustum. Non enim uirtutes ullæ, sed Deus reddit & efficit homines iustos,

Hoc argumentū ualde urgebat & in familiari Colloquio. uide Replicam eorum 3. et eius solutionem pag. 205. & al. quot sequētibus.

iustos, inspirans illis propter filium suum ueram, uiuamq; quidem, sed inchoatam tamen adhuc, & imperfectam iustitiam. De eo aut nulla inter nos est contro- uersia, ut diximus, an homines iusti sint, qui hac incho- ata iustitia sunt donati, hoc enim & nos affirmamus: sed an hac iustitia iustificentur iustificatione uitæ: id est, an propter hanc iustitiam adiudicetur illis uita æ- terna? Hoc enim nos pernegamus, & ne uerbulū ad- duxit adhuc Billickius, ex quo hoc concludi posset, nec adducere quidem uoluit, hoc enim proprium est, τὸ δὲ μὴ ἀποδοῦναι Χριστοῦ, Rom. 5.

ἀνίστερον
Billickij. Deprauat rursus, & truncat hic Billickius & alte- rum nostrum dictum, non esse nos iustitia inchoata iustos coram Deo perfectē. Ita scilicet ut nobis prop- terea adiudicaret uitam æternam. Si fides non apprehenderet & teneret perfectam Christi iustitiam. Dicit enim nos simpliciter negasse, nos hac iustitia esse ius- tos, quod nos ita simpliciter non negauimus, sed ad- didimus perfectē, ac ita, ut propter eam uita æterna adiudicetur.

Calumnia
Billickij. Subijcit hoc loco adhuc aliam calumniam, nos ius- titiam inchoatam separasse à iustificatione uitæ, non uno in loco nostræ actionis. Nos enim iustitiam incho- atam ab hac iustificatione adeo non separamus, ut dica- mus illam esse necessarium huius iustificationis effe- ctum, qui eam nunquam non ilico consequatur. Illud tantum negamus, nos propter hanc iustitiam iustifica- ri iustificatione uitæ, idē propterea, ut saepe diximus, quod hæc iustitia non potest, sicut legi Dei satisfacere, ita nec nos maledicto legis liberare. Inde est quod Pau- lus scripsit, iustificationem uenire ad omnes homines, propter iustitiam unius Christi, Rom. 5.

Hæc toties clarissimis uerbis declarauimus, & te- stati

stati sumus, ut ea hi Collocutores perquam facile si uoluis-
sent, intelligere potuissent. Sed eorum calumnian-
di, & peruerendi nostra ratio, notariorū exceptionem,
tantæ collationi & cum his collocutoribus institutæ
pernecessariam excludebat, onerando Acta inutili-
bus rixis, & implicando magis religionis controuer-
sias, subseruebat illi capitali contra nos calumnie, nos
esse in contradicendo catholicæ doctrinæ sic obstina-
tos, ut reduci in uiam nulla uerborum disputatione
possimus, &c.

CAUSA, CVR TAM EVSE EXPLICA-
tum sit, quid sancti Patres de duplici sanctorum
iustitia senserunt.

FVI certè fusior æquo, in responsione ad istas Bil-
lickij, de duplici sanctorum iustitia obiectiones,
tamen cum & D. Augustinus ipsam inchoatam iusti-
tiam, plerumq; iustitiã fidei, & Dei iustitiã uocet, &
alias præclaras ei laudes meritò tribuat, ut & alij sancti
patres faciunt, existimaui forsitan non fore inutile, re-
spondere ad singula plenius, propter eos qui hoc sum-
mum doctrinæ Euangelicæ caput nondum habent sa-
tis excussum, & sophismatis aduersariorum non nihil
perturbantur.

Quia enim ecclesia hac fide iustificationis per Chri-
stum tota consistit, necesse est ut hanc fidem & doctri-
nam eius semper habuerit: quocirca si nostra de hoc
doctrinæ Christianæ capite confessio deprehendere-
tur, sanctorum patrum doctrinæ adeoq; consensui ec-
clesiæ catholicæ non cōsentanea, suspecta meritò imò
repudianda haberetur. Iam S. patres pleroseq; Pauli &
scripturarum locos de nostri iustificatione uariè inter-
pretati sunt, ut nec ipsi inter se ubiq; consentiant, tum
ut homines ad studium iustitiæ inchoatæ excitarent,

promissiones Dei illis, qui huic inchoatæ iustitiæ folle
de studeant, factas, diligenter sæpe amplificarunt: hæc
aduersarij Euangelij Domini nostri Iesu Christi, ad
sua detorquent sophismata, quibus conantur persua-
dere hominibus, nostrâ de iustificatione sententiam,
doctrinæ ueteris ecclesiæ, & consensui catholico non
esse cõsentaneam: nosq; falsa suspitione grauare, tan-
quam inherentem in sanctis iustitiam, non modò con-
temneremus, sed etiam quod ad nos attinet, profliga-
remus, ut ipsos defendere eam & tueri contra nos o-
porteat, quos tamen omnis uita eorum clamat nullius
rei minore cura teneri. Paulo igitur acuratius osten-

*Consensus
plenus in-
ter Prote-
stantes &
S. Patres de
iustitia in
sanctis in-
choata.*

dendum nobis fuit, nos de utraque sanctorum iusti-
tia, omnino eadem, quæ sancti Patres tradiderunt, do-
cere: nec minore ad inchoatæ iustitiæ, quàm illi fece-
runt, curam excitare, necessitatemq; eius, atque præmia
prædicare: sed nec etiam plus detrahere fiduciæ huius
iustitiæ, quàm illi detraxerint. Denique nos cum om-
nibus sanctis Patribus hoc commune docere, iusti-
tiam istam in nobis inchoatam, legi Dei adeò non sa-
tisfacere, adeoq; multum omnes sanctos, dum hic ui-
uunt, peccare, ut sola Christi obedientia & iustitia, ui-
ta æterna nobis, & omnibus sanctis possit, & potue-
rit, adiudicari, id est, eos & nos iustificari iustificatione
uitæ. Hactenus de altera controuersia, partim uer-
bali, partim reali: an sanctis hic duplici opus sit iusti-
tia, & quid utriq; tribuendum sit.

TERTIA CONTROVERSA VERBALIS
*est, de dictis Maluendæ ambiguis, quæ Billickius
contendit non esse ambigua.*

QUAE ego de his ambiguis dixi, habes lector su-
prâ pag. 72. & quatuor sequentibus pag. Quæ
contrâ Billickius: habes à pag. 136. usq; in pag. 147. E-
quidem,

quidem hoc loco ostendam tantum, quæ ea Maluenda dicta, quæ dixi esse ambigua, uerè ambigua esse. Quæ enim ad ipsa dogmata pertinet, deinceps, & suis locis tractabimus.

DE PRIMO AMBIGVO, FIDEM

esse initium iustitiæ.

Dixerat Maluenda, fidem initium esse iustitiæ, & hac ipsa iustitia, cuius fides initium est (quæ est iustitia in sanctis inchoata) contendit, hominem iustificari: nos uerò affirmamus neminem hac, sed omnes sola Christi iustitia iustificari iustificatione uitæ, de qua inter nos disputatur. Cum itaque & Paulo, & Ecclesiæ toti ueterum, & nobis, sit omnino duplex iustitia: una, qua iustificamur, altera quam exhibent iustificati. una, cuius est fides initium & pars, altera, quam fides credit & apprehendit, tenetq; credendo: certè dictum hoc duplicem inter nos habere sensum potest, & debuit explicari, utrius iustitiæ fidem initium esse agnosceremus?

*Fidem esse
initium iustitiæ.*

Quod autem Billickius huc tam multas & diuinarum scripturarum, & sanctorum Patrum auctoritates adduxit, ut ostenderet fidem esse iustitiæ inchoatæ initium, quod ultro ego dederam: ex eo rursus uides, quàm studuerit, ad rem loquendo acta contrahere, & expediendis cōtrouersijs sese accommodare magis, quàm implicandis, Acta in inutilibus uerbis onerare. Ad ea quæ hoc loco subiiciuntur de duplici iustitia, modò responsum est.

*Hec pag.
136. 137.
Hec pag.
138.*

DE SECUNDO AMBIGVO, FIDEM SOLAM

ad iustificandum non sufficere: sed etiam requiri spem

& charitatem, & actum primum charitatis informatum.

*Hec in
propositione
Maluendæ*

DE hoc Maluendæ ambiguo respondimus: si intelliga-

telligatur de coniunctione rei, id est, quod fidei re ipsa
 cohæreat spes & charitas, nos dictum hoc recipere, fi-
 dei enim ueræ has semper uirtutes adharere: at si intel-
 ligatur de coniunctione meriti aut perfectionis: id est,
 quod fide tum demum iustificemur, cum ei accedit pœ-
 nitentiæ, spei & charitatis meritum: & cum fides, ut iu-
 stificari ea possimus, harum uirtutum accessione per-
 ficitur, & ad id efficax redditur, uel ut aduersarij dicunt,
 formatur: eo sensu nos hoc dictum non admittere. Fi-
 dem enim dicimus, nec suo, nec ullius uirtutis, sed so-
 lius Christi merito iustificare, id est, adiudicationem ui-
 tæ æternæ recipere, uimq; suam & perfectionem atq;
 formam habere, ab eodem à quo inspiratur Christi spi-
 ritu, non ab aliqua sibi coniuncta uirtute. Verè itaq;
 dictū hoc inter nos ambigui sensus fuit, eoq; explica-
 re illud, & ostendere debuimus, quo illud sensu recipi-
 amus, quo repudiemus.

*Forma est
 uis fidei nõ
 à charitate
 sed à spiri-
 tu sancto.*

Hic Billickius nullum cõtra nos argumentum ad-
 ducere est conatus, tantum dixit, in priore quidem a-
 ctione se mirari, nos statuere fidem, spem, & charita-
 tem, in ratione meriti non coniungi. Nos uerò & satis
 explicauimus, quid de coniunctione meriti intelli-
 gimus, & rationem huius eam reddidimus, ut mirū hoc
 nostrum dictum uideri nemini queat, assuetò dunta-
 xat puræ Euangelij doctrinæ. Sic certè hæ uirtutes, in
 ratione meriti coniunguntur, ut nulla earum, nec om-
 nes simul uitam æternam mereri possint. Nulla enim
 satisfacit legi Dei.

*Billickius
 peruertit
 nostra uer-
 ba de con-
 iunctione fi-
 dei, spei &
 charitatis.*

Et hic rursus peruertit Billickius nostra uerba.
 Cum enim diximus nos, fidem, spem & charitatem re-
 ipsa coniungi, quod perinde est, atq; nullam harum si-
 ne alijs duabus in hominibus existere. Billickius dicit,
 nos fateri iungi fidem, spem, & charitatem in iustifica-
 tione,

tione. Et tamen in sequenti sua actione, cum nostra
 uerba retulit, ipse confessus est, nos dixisse, nos cum di-
 cimus hominē sola fide iustificari, nos excludere spem
 & charitatem, non quidem à iustificato, sed à uimere-
 di iustificationem. Verū Billickio perinde est, iusti-
 tia, iustificatio, iustificari, confundit enim hæc & supe-
 rius. Calumniosum itaq; est, quod Billickius in altera
 sua actione rursum tribuit nobis, quod separemus à fi-
 de, in ratione meriti, spem & charitatem. Nusquam e-
 nim uerbo separandi uisi sumus. Nec uspiam meriti ali-
 quid ulli uirtuti tribuimus, meritum enim nostræ salu-
 tis agnoscimus totum esse unius Christi. Sed quia hoc
 meritum, & in eo Dei misericordiam, nos iustifican-
 tem, & in uitam æternam adoptantem, fides primū
 apprehendit, dicimus cum sanctis patribus, nos sola fi-
 de iustificari, id est, sola apprehensione & fiducia me-
 riti Christi, & misericordiae Dei in Christo, nulla no-
 stra uirtute, nullis nostris benefactis, nullius nostræ
 uirtutis, uel operum merito. Atq; ita particulam istam
 (sola) excludere à fide, spem, charitatem, & omnes uir-
 tutes alias, non reipsa, quod scilicet illæ non in omni-
 bus iustificatis cohæreant cum fide, sed ratione meriti.
 nullum illæ meritū adferunt fidei, nullam uim qua
 illa fieret iustificans, id est, digna aut efficax ad percipi-
 endam remissionem peccatorum, & uitam æternam.
 Quæ nimirum eo tantum nos iustificat, & saluos fa-
 cit, quod nec suum, nec ullius uirtutis, sed Christi me-
 ritum Euangelio oblatum, apprehendit firmiter: idq;
 ex firmo spiritus sancti testimonio, nostro spiritui red-
 dito. Vnde illa uim omnem & formam suam obtinet.
 Aduersarij autem dicunt, tum demum fide nos apud
 Deum iustificari, hoc est, iustitia in hærete donari, cum
 fidei (nam aiunt ueram & catholicam fidem esse posse

*Quatenus
 à fide iusti-
 ficante ex-
 cluduntur
 ceteræ uir-
 tutes.*

sine charitate) accesserit charitas, ut fidei forma, & ulta. Vnde Maluenda causam iustificationis formalem charitatem fecit. Nos itaque cum utrunque negemus, idēq; uerbum Domini sequuti, & iustificari scilicet nos coram Deo iustificatione uitæ, per inhaerentem nobis iustitiam, & fidem iustificantem posse esse sine charitate, & formam suam, uisimq; iustificandi a charitate percipere: erat sanè & istud Maluendæ dictum, de conjunctione fidei, spei & charitatis, non unius inter nos sensus, eōq; explicandum, & inter ambigua numerandum. Cæterum hac de re diximus plura supra in solutione replicæ secundæ, quam fecerunt in Colloquio familiari. Hæc toties ac tam planè exposuimus, ut si animus fuisset non inuoluere magis, & implicare istam disputationem, Billickius nihil certè tam nugarum sophismatum obiecisset.

RATIO TERTII AMBIGVI

*Quomodo
liberum ar-
bitrium cō-
currit ad iu-
stificatio-
nem.*

ILLUD erat, Actus liberi arbitrij cōcurrere ad iustificationem in adultis. Nam dum aduersarij dicunt actus liberi arbitrij concurrere ad iustificationem, non tantum credendo Euangelio, & oblatam in eo iustificationem amplectendo, sed etiam merendo iustificationem de congruo, & hominem ad eam præparando: nos uerò istud pernegamus, & hoc dictū meritò ut duplicis sensus explicauimus, ac diximus nos illud libenter admittere in sensu priore, nō autem in posteriore. Agnoscere enim nos, neminē aduultorū iustificari, nisi cui Dominus dederit, & audire & credere Euangelij, idēq; propria mente & uoluntate. Negare autem ullos nostri arbitrij actus ita ad iustificationem concurrere, ut uel eam mereantur, uel ad eam præparent, quantumlibet illi existant ex gratia præueniente. In eo uerò consistit prima realis inter nos controuersia, de qua paulo

paulo pōst dicemus. Hoc loco satis nobis est ostēdisse, & hoc dictum esse gemini sensus inter nos, eoq; opus habuisse explanatione.

Cæterum quod dicit Billickius actiones nostras hoc liberiores esse, quo fiunt motu & actu spiritus sancti. & Deum non iustificare homines adultos absque concursu liberi arbitrij. item quod D. Augustinum adducit pronunciantem, Deum iustificare uolentes: hæc omnia disertè diximus nos quoque sentire. Vides igitur rursus hic, ut res tantæ istis hominibus cordi sint, qui nusquam ferè obseruant, de quo certamen sit, quid ue affirmant, aut oppugnent.

Gratiæ præueniens, cōcomitās, et cooperās.

Distinctionem gratiæ in præuenientem, concomitantem & cooperantem, quam Billickius hic attin- git, si rectè intelligatur, non reijcimus. Præuenit enim omnino nos Deus gratia, id est, beneuolentia, & ope sua, & prosequitur ea nos perpetuò, atq; adiuuat ea actiones nostras omnes: tamen rectius dicimur nos cooperari Deo, quàm ipsam nobis. Ipse enim efficit in nobis & uelle & operari, idq; pro sua una, eademq; beneuolentia & gratia. Illud uerò maiore opus habet explanatione, imò correctione, quod uidetur Billickius dicere, in iustificatione opus ipsum esse hominis, sanctitatem uerò & bonitatem operis, Dei. Iustificatio enim, si uocem hanc accipias actiue, est opus Dei. Si uerò passiuè intelligas, iam non est opus aliquod nostrum, sed affectio, operisq; Dei susceptio. Requirit tamen hæc opus nostræ mentis & uoluntatis, ut credamus scilicet Euāgelio, nam fide iustificationem recipimus. Hoc ipsum autē credere, est percipere opus & motus spiritus sancti, in mente & uoluntate nostra, quam sit etiam suo modo opus & motus nostræ mentis & uoluntatis, à spiritu illuminatæ & motæ.

Philip. 1.

Iustificatio actiue & passiuè dicta.

De

De eo, quod secundum scripturam, & D. Augusti-
num dicimus opera præcedentia iustificationem esse
peccata, & per se auertere iustificationem, non ad eam
præparare, quod Billickius ait sibi uideri minus absur-
dum, postea dicitur. Hactenus de ambiguo tertio.

DE AMBIGVO QUARTO.

HOC erat, quod Maluenda dixit, in iustificatione
infundi gratiam: & alibi, hac infusa gratia, homi-
nem iustificari. Iam constat abundè in scriptis cum A-
postolicis, tum sanctorum Patrum, gratiam aliquan-
do uocari, ipsam Dei erga nos beneuolentiam & chari-
tatem: aliquando dona Dei, quæ nobis Deus ex hac
sua gratuita erga nos beneuolentia cõfert. Tum & il-
lud notum est, nos, ut quidem libenter damus, fidem,
spem, & charitatem, totumq; nouum hominem, gra-
tia nomine rectè appellari, ita nunquam cõcedere nos
gratia ista iustificari, iustificatione uitæ: his enim donis
& tota nostri regeneratione legi Dei hic nondum sa-
tisfacimus, idq; nostra culpa, eoq; nostri iustificatione
soli tribuere Dei gratiæ, quæ est ultronea eius erga nos
charitas, qua uult ut credentes filio suo, non pereamus
propter peccata nostra, ut meremur, sed ut habeamus
uitam æternam, quam non meremur. ipse autem no-
bis donat ex sua liberali misericordia, & propter meri-
tum filij sui.

Cum igitur omnino nomen gratiæ, in explicatio-
ne dicti Apostolici, Gratia Dei iustificamur, nos, & ad
uersarij, non eodem, sed diuerso significatu utamur,
an non erat inter nos & hoc dictum sensus duplicis, ac
ideo explicandum? Non diximus autem dictum illud
Maluendæ, Infundi gratiam in iustificatione, habere
aliquid incõmodi, si rectè intelligatur. Nam Deus se-
cundum proprium propositum, & gratiam, id est, gra-
tuitam

Gratia Dei
duplex.
Totus no-
uus homo
gratia dici
potest.

tuitam beneuolentiam suam, infundit credentibus E-
 uangelio suo spiritum sanctum totumq; nouum ho-
 minem: sed diximus habere ambiguitatem, quia no-
 men hoc, gratia, ille & nos non eadem significatione
 usurpamus. De hac autē diuersa significatione huius
 nominis, gratia, & quod infusa gratia iustificari non
 possumus, dictum est supra in responsione Repliae
 aduersariorum 9.

DE QUINTO AMBIGVO.

ID erat, augeri per bona opera iustitiam, adeoq; &
 iustificationem. Hoc igitur dictum, cum nos uerum
 agnoscimus eo modo sensu, si per iustitiam intelligas
 inchoatam, & per iustificationem, huius iustitiae com-
 probationem, cum aduersarij aut istud etiam de iustifi-
 catione uitae uellent intelligi, certē causa erat, ut & hu-
 ius dicti duplicē inter nos intellectum explicaremus.
 Est enim inter nos illud omnino sensus ambiguus. De-
 dimus autem libenter, ut modo dixi, iustitiam in san-
 ctis inchoatam augeri per bona opera, laudemq; ideo
 & mercedem eius a Deo quoq; percipi ampliorem: ue-
 rum id non merito, aut ui bonorum operum nostro-
 rum, sed merito Christi, & ui spiritus sancti ex immen-
 sa Dei, & gratuita in nos bonitate, opulentiū in nos
 effusi. Contra hæc nihil habuit Billickius, quod ob-
 iiceret: sed uoluit explicare tantum, quo pacto ipsi bo-
 nis operibus tribuant meritum augendae iustitiae, &
 incrementum ipsum iustitiae, atq; se dicere, augeri per
 bona opera iustitiam, aut opera mereri hoc incremen-
 tum, non propter ipsorum operum, si de Dei gratia
 detrahantur, dignitatem, sed propter gratiae dignita-
 tem, ex qua fiunt. Cooperari enim iustificatis sua gra-
 tia spiritum sanctum.

Verum & hæc explicatio pugnat cum doctrina

Bona sanctorum opera laudantur & remunerantur a Deo ex liberali gratia propter Christum, non ideo quod ex gratia dono facta sunt.

Ut noua creatura in sanctis ex parte est, ita etiam opera edit, quae ex parte modo bona sunt.

2. Cor. 4.
Quomodo inchoata iustitia per opera nostra augetur.

Euangelij & Apostolica. Nam gratiae nomine, ex qua bona opera fiunt, Billickius intelligit gratiam infusam, nouam creaturam, nouumque hominem, qui existit re-generatione; & ex huius doni dignitate uult bonis sanctorum operibus prouenire, ut iustitiam, & augeant, & augeri eam mereantur. Quae uero opera ex hoc dono non fiunt, his quidem uim augendi iustitiam inchoatam, aut incrementum eius merendi non tribuit, at in bonis tamen operibus ea numerat.

D. Paulus autem opera nostra, ista uim, & facultate diuina remota, nihil esse pronunciat, quam peccata, quae poenam, non auctae iustitiae premium mereantur. Hac enim gratia noui hominis remota, & fides remouetur. At quicquid non ex fide fit, Apostolus iudicat peccatum esse. Iam quin tota ista in sanctis noua creatura, quae uel constat uel agit fide, spe & charitate, semper dum hic uiuimus, & quidem nostra culpa, imperfecta, atque propterea legis, cui scilicet non satisfacit, maledicto adhuc subiecta est, non potest earum actionum principium esse, uel eiusmodi actiones in homine edere, quae uel augeant, uel mereantur augeri iustitiam. Deus autem diues misericordia propter filium suum, ex plane gratuita sua gratia, opera noui hominis, quam imperfecti, & habentis necesse, ut quotidie instauraretur, imperfecta & instauranda, sic acceptat, sicut illis utitur, ut ipse per ea inchoatam in sanctis iustitiam augeat, laudetque & praemijs ornet, atque remuneret. De qua re abunde dictum est supra in responsione ad scripturas, quibus Maluenda probare uoluit, iustificationem nostris bonis operibus perfici & confirmari.

Subiicit hic Billickius, se in precedentibus abunde demon-

demonstrasse iustitiam augeri per bona opera, & hæc opera mereri incrementum iustitiæ. Verùm ex ijs scripturis, quas in hoc Maluenda supra adduxit, nihil demonstrarunt aliud, quàm hoc ipsum, quod nos ultro confitemur, de iustitiæ per bona opera incremento. Idèq; sic habere nos demonstrauius, in iam dicta nostra responsione.

De eo iudices ipse pie lector, expensis, & quæ Maluenda adduxit, quæ habes supra pagina 24. & sequentibus. Et quæ nos ad ea respondimus, quæ habes in iam nostra memorata responsione, quæ habes in pag. 92. & per aliquot sequentes pag.

Postremò dixit hoc loco Billickius, & se cauere, ne quid detrahatur sanguini Domini nostri Iesu Christi: atque propterea, quicquid habent nostra opera boni, hoc se Deo, & merito sanguinis Christi ferre acceptum. Ad hæc uerò adijciendum est, totum, & nostra opera, quantumcunque bona sint, nihil mereri à Deo per se, quàm pœnam, propterea quòd, ut dictum est toties, & semper repetendum, sub maledicto legis, & ipsa manent, & facientes se relinquunt. Atque Deum, quicquid illis siue promittit, siue præstat præmij, id promittere & præstare, ex omnino gratuita sua liberalitate, propter unius Christi filij sui iustitiam & meritum, & uelle & operari bona, quod in nobis operatur Deus, legi Dei nostra culpa nunquam satisfacit. Proinde satis non est, merito sanguinis Christi ferre acceptum, quicquid facimus, sed necesse est, ut & totum adscribamus gratiæ Dei & Christi merito, non partem gratiæ Dei, & partem nostro libero arbitrio: & simul fateamur, hoc ipsum bonum, quod facimus, a deo nō satisfacere

Vnde nostris operibus uenit, ut bona habeantur, & sint.

Et Pelagiani ac tribebant sic omnia gratiæ & sanguini Christi.

legi Dei, idq; nostra culpa, ut hæc nostræ iustitię omnes sint in conspectu Dei instar panni menstruata: tantum nimirum absunt illæ adhuc, ab ea, quam lex Dei à nobis iure exigit perfectione, tantumq; adhæret eis adhuc sordium, ex nostra ignoracione, infidelitate, & prauis cupiditatibus in nostra carne adhuc reliquis.

Hæc respondenda duximus ad ea, quæ Billickius dixit contra id, quod ex dictis Maluendæ quinq; fecimus ambigua, & ea quæ in horum ambiguum explicatione, pro nostra confessione adduximus.

DE TRIBVS REALIBVS

controuersijs.

*Tres reales
controuer-
siae.*

Hec habentur in prima nostra

actione,

qua Maluendæ de iustificatione re-

spondimus supra à pag. 81. usque ad pag. 83.

Hec habentur pag. 131.

Diximus supra, nos ex ijs, quæ & Maluendæ & Billickius contra nostram confessionem de iustificatione attulerunt, non uidere quicquã re ipsa inter nos cõtrouerti in hoc quidem articulo, quàm de his tribus quæstionibus, quo debeant haberi numero, & quid ualeant opera hominis iustificationem præcedentia: Quæ sit natura, uis & certitudo fidei: & quid ualeant ac mereantur opera iustificationis. Istam cõtrouersiarum, quæ inter nos agitata sunt, distributionem Billickius magna ex parte secutus est. Caterum ex prima Maluendæ actione, quæ habetur supra à pag. 21. usq; ad pag. 29. collegimus sex sententias, quæ nostræ confessioni contradicunt, tum cui nostræ confessionis articulo quæcûq; aduersetur, ostendissimus. Deniq; affirmauimus has sex Maluendæ sententias pugnare, non tam cum nostra cõfessione, quàm cum toto Christi euangelio. Istud Billickius cum ad dictas tres reales cõtrouersias accederet, pernegauit, ac dixit, se & collegas suos nihil peculiare tradere, aut defendere, sed ipsorum omnia sumpta esse, aut ex ipsis Euāgelij fontibus, aut à patribus, totaq; ecclesia: paratosq; se esse, ut ea omnia in col-

in colloquio familiari, cum eò uentum fuisset, piè, planè & orthodoxè defendant.

Ad hæc uerò nos respondemus: Actionem colloquij familiaris triduo inter nos agitati, esse supra insertam his actis, in ea si aduersarij aliquid ex sex illis dogmatis suis, quæ nos dicimus, cum Euangelio pugnare comprobarint aut defenderint, piè, planè, & orthodoxè, nec ne, de eo iudices ipse piè lector: quæc; nondum comprobata aut defensa ipsi agnouerint, ea defendant adhuc, cum poterunt.

Nos, quia ex sex illis Maluendæ sententijs quas pugnare diximus cum Euangelio Christi, quatuor pertinent ad tertiam realem controuersiam, quæ est de ui, & merito operum, quæ faciunt homines iam iustificati, secunda scilicet & tres postremæ: tertia uerò sententia ad secundam controuersiam, quæ est de natura & certitudine fidei, prima uerò sententia ad primam attinet controuersiam, quæ est de ui, & merito operum iustificationem præcedentium: iudicium nostrum & testimonium de his sententijs tuebimur suis locis, in tractatione harum controuersiarum.

DE PRIMA REALI CONTROVERSA,

an sint opera aliqua hominis nondum iustificati, quæ eum ad iustificationem præparent, & oculos misericordie Dei ad eum conuertant.

Sententia itaq; quam Maluenda primam protulit, & Billickius communem sibi, & Collocutoribus cæteris suæ partis agnouit, quam nos dicimus pugnare, non tam cum nostra confessione, quam cum toto Christi Euangelio, hæc est.

Multæ hominis actiones sunt, quæ hominem præparant ad iustificationem, & non parum conducunt, ut clementissimus Deus oculos suæ bonitatis & ineffabilis

Dogma impium aduersariorum, quod aperte pugnat cum scriptura & Patribus.

fabilis misericordiae suae ad ignoscendum saepe conuertat.

*Cōtrarium
dogma Ca-
tholicum.* Hanc sententiam dicimus nos planè aduersari, non tam nostrae Confessioni, quam toti Euangelio: & affirmamus tam abesse, ut ullae hominis nondum iustificati actiones ad iustificationem praeparent, aut aliquid conducant ad id, ut Deus misericordiae suae oculos ad eum conuertat, ut eae omnes actiones omnino peccata sint, ac ideo praeparent ad condemnationem, & cōferant, ut Deus oculos misericordiae suae ab hominibus auertat.

Hanc nostram confessionem Maluenda primùm, deinde & Billickius oppugnare, suamq; contrariam sententiam propugnare conati sunt, quanquam Billickius testatus sit, supra initio actionis suae de iustificatione, se nolle, ne scilicet uideretur actum agere, repetere, quae Maluenda ut catholicè, ita & disertè ipso- rum nomine differuisset.

Videamus igitur ordine quid uterque aduersario- rum, uel ex scripturis, uel ex Patribus, uel denique ex suis commentis pro sua, quid ue nos, pro nostra sen- tentia adduxerimus.

Et quoniam aduersarij contendunt suum dogma ex ijs scripturis, quas Maluenda adduxit, omnino concludi, nec quicquam nos in nostra attulisse respon- sione, quod cum eo pugnet. Primo loco de eo agendum nobis est, & ostendendum, quid illa per Maluendam adducta scripturarum testimonia doceant, & quod ni- hil minus doceant quam id, quod contendunt aduer- sarij. Deinde demonstrandum nobis erit dogma il- lorum, & sanctorum Patrum autoritate confutari, non adstrui. Postremò defendemus dogma illud ue- rè catholicum, & euangelicum: peccata esse cuncta ho- minis

minis opera quæ fecerit ante iustificationem, quantumvis in specie illa bona appareant. Quibus rebus absolutis, planum factum erit, opera hominis nondum iustificati, tam non preparare hominem ad iustificationem, ut præparent eum ad cõdemnationem: & oculos diuinæ misericordiæ ad hominem adeò non conuertere, ut eos ab homine auertant, & iram Dei in eum accendant.

Loca scripturarum à Maluenda adductarum, sunt bis supra repolita, & pag. 23. in prima hac de re Maluendæ actione, & pagina 55. in nostra ad eam actionem responsione. Non est igitur, cur & hic repetantur. In suis ea locis consideres, & expendas pie lector. Ad hæc uerò testimonia simul omnia respondimus, nihil in eis continerit atq; doceri amplius, quam esse pœnitentibus promissam, & oblatam peccatorum ueniam, atque ita simul exhortationem ad pœnitentiam propolitam.

Ad quam nostram responsionem retulit Billickius hoc ipsum esse, quod ipsi uelint, nimirum doceri his locis, agendam esse impijs pœnitentiam. Et addidit: Si impijs & peccatoribus agenda pœnitentia est, cur quæso, nisi ut præparentur? Donec enim impij sunt, nulla pœnitentia iustificatur, sed præparantur tantum per eam.

Verba Billickij pag. 136.

Imaginantur scilicet illi magistri, cum scriptura uocat peccatores & impios ad pœnitentiam, & agentibus pœnitentiam, ueniam peccatorum, & à meritis pœnis liberationem pollicetur, homines posse, dum adhuc impij sunt, talem, ad quam scriptura Dei inuitat pœnitentiam, & habere, & agere. Ita sunt uersati in scripturis, & theologia sanctorum Patrum, suarq; scholasticarum, ut pœnitentiam salutarẽ ad quam solum ueibum Dei

Miseranda ignorantio Theologorum aduersariorum.

Dei uocat, tribuant hominibus adhuc impijs, nec faciant discrimen inter pœnitere, uel pœnitentiam ipsam, & agere pœnitentiam.

Quo uerò ij lectores, qui minus in his rebus exercitati sunt, planius cognoscant, quæ sit earum scripturarum, quas Maluenda & Billickius pro impio suo dogmate, de operibus ad iustificationem præparantibus detorserunt, uera intelligentia: replicandum antiè est primùm, quid sit uera & salutaris pœnitentia: tum quid agere pœnitentiam: tum quæ fuerit olim in Ecclesia & hodie esse debeat, augendi pœnitentiam religio: deniq; quid satisfacere Deo pro peccatis. Nisi enim hæc probè cognita sint, percipi rectè non potest, quid spiritus sanctus de pœnitentia doceat, in illis testimonijs, quæ hoc loco aduersarij nobis, non minus indoctè, & incogitâter, quàm irreligiôsè & impiè obiecerunt: quid' ue etiã sancti Patres, cū de his rebus uerba faciunt, sentiant. His igitur præmissis, tum demum ad sophismata aduersariorum respondebo, & planum faciam his ipsis, & scripturis, sanctorumq; Patrum auctoritatibus, quas uterq; aduersarius contra nos adduxit, ipsorum impium confutari, & nostrum pium de operibus iustificationem præcedentibus, dogma confirmari. Primùm itaque explicabimus quid sit pœnitentia.

QUID SIT IPSA POENITENTIA.

PŒnitentia igitur salutaris, ad quam solam uerbum Dei exhortatur, est dolor uerus de offensa Dei, cum uoto, ac spe ueniæ, & uoluntate singulariq; studio peccatum omne posthac uitandi, Deoq; uitam omnem approbandi.

Hæc enim omnia inesse necessariò omni solidæ placitæq; Deo pœnitentiæ, scriptura in exemplis huiusmodi

modi pœnitentiæ clare docet. Consideretur uel solum
 quomodo nobis celebris illa Niniuitarum pœniten-
 tia descripta sit. Hi certè, ut Ionas memorat, mox atque
 ipsum audiissent prædicentem eorum excidium, &
 ei credidissent, indixerunt atque ieiuniarunt ieiunium
 lōgè seuerissimum, opertiq; sacco, maximè supplices,
 atq; summa contentione clamauerunt ad Dominum
 pro misericordia, reuersiq; sunt quisq; à uia sua mala.
 Ex hoc uerò tam seuelo ieiunio, imposito etiam infan-
 tibus & iumentis, tamq; acerbo luctu, quis nō uideat
 fuisse istos homines peracri de peccatis suis dolore cō-
 punctos? Ita nisi uotum simul & spes ueniæ in eis con-
 seruata fuisset, haud quaquam Dei clementiã tam con-
 stanti clamore implorassent. Voluntatem uerò & stu-
 dium Deo uitam suam approbandi, in eo abundè de-
 clarauerunt, quod reuersi sunt quisq; à uia mala.

Pœnitētia
 Niniuitarum.

Ita cum D. Paulus obiurgasset Corinthios, quòd
 tam graue stuprum, incestum nouercæ, apud se dissi-
 mulassent, testatur eos, sua illa obiurgatione fuisse affe-
 ctos dolore ad pœnitentiã, & dolore secundum Deũ,
 id est tali dolore, qui solidam eis attulisset mentis muta-
 tionem, seriã scilicet eius, quod antè neglexerunt, pec-
 cati detestationem, & hanc propterea maximè, quod
 iam intelligerent, se sua peccati dissimulatione Deum
 grauissimè offendisse. Vnde eo loco Apostolus subie-
 cit: Dolor, qui secundũ Deum est, operatur pœniten-
 tiam ad salutem, non pœnitendam: hoc est, cum dolet
 peccatum propterea, quod eo Deum offendimus, id
 efficit, ut quod peccauimus, studeamus emendare, at-
 que ita salutem nostram reparare. Vnde præterea ibi-
 dem scripsit:

2. Cor 7.

Ecce enim hoc ipsum, quod secundum Deum do-
 lore affecti estis, quantum effecit in uobis studiũ? Sed

AA & pur-

& purgationem, sed & indignationē, sed & timorem,
sed & desiderium, sed & zelum, sed & ultionem.

Studium inquit, scilicet emendādi, quod delictum
erat: purgationē, qua se Apostolo Corinthij purgave-
runt, de admissio eo flagitio, quod ei non consentirent,
ut quod iam scilicet puniuisent, eo excommunicato,
qui id admiserat. nam subiecit, Per omnia commenda-
stis uos, id est, probastis puros esse ab hac re: indigna-
tionem, qua nimirum flagitioso illi, & ei qui id admise-
rat, fuerant indignati: timorem, id est, solitudinem
animi, & metum a iudicio Dei propter tantam offen-
sam Dei: desiderium, id est charitatem erga Aposto-
lum, qua sese illi approbare, eumq; amicum sibi habe-
re cupiebant: zelum id est, ardens studium omnē Dei
deinceps offensam & cauendi admittendam, & repur-
gandi admissam: uindictam, in omnes nimirū eos, qui
in legem Dei sint contumeliosi.

Ita ferē est & D. Ambrosius locum hunc interpre-
tatus. Quod uerō Apostolus dixit hoc loco ἀπολογίαν,
quidam reddiderunt satisfactionem, id postea inimici
euangelij Christi ad eam, quam ipsi confinxerunt, sa-
tisfactionem, perinde ineruditē, atq; impiē detorserūt:
uerūm de hac re postea suo dicetur loco.

Et ex hoc igitur Pauli testimonio demonstratur,
pœnitentiam esse dolorem de peccato propter offen-
sam Dei, cum uero odio eius, & uolūtate studioq; pec-
catum omne & cauendi & corrigendi, nec sine spe &
uoto ueniæ. Si enim hanc quis desperet, eius pœniten-
tia Kain & Iudæ pœnitentia erat, nō dolor secundum
Deum. Hæc itaq; uera & salutaris pœnitentia in im-
pijs & incredulis esse non potest, ut quæ non nisi ex fi-
de nascatur, et crescat. Vnde de Niniuitis scriptum est:
Et crediderunt Niniuitæ Deo, & prædicauerunt ieiunium,

Vera pœni-
tentia non
nisi ex fide
existit.

Ion. 3.

tunium, &c. Sic & illi qui D. Petrum audierāt in die
 pentecostes, tum demum compuncti sunt uera pœni-
 tentia, cum Euangeliō de Christo audiissent & credi-
 dissent: certumq; iam tenerent, Dominū Iesum, quem
 ipsi ad crucem depoposcerant, esse à Deo patre Domi-
 num & Christum, id est, credentium in se seruatozem
 cōstitutum, postquam mortuus, eum pater à mortuis
 reuocauit, & ad dexteram suam exaltauit. Hæc omnia *Actor. 20.*
 ubi de Domino nostro Iesu credidissent, tum demum
 quantum peccatum admisissent, cognouerunt, atq; de
 eo doluerūt, corde cōpuncti eo affecti dolore, qui erat
 secundū Deum: & qui pœnitētia est, quam S. Paulus
 uocat pœnitentiā in Deū, hoc est, quæ erat cum uoto
 & spe uenitæ, & cum proposito & studio uiuēdi Deo.
 Ideo dicebāt hi corde cōpuncti Apostolis, Quid facie-
 mus uiri fratres: Hæc de natura & ratione pœnitētiæ.

QVID SIT PŒNITENTIAM AGERE.

HOC est fructus ferre pœnitentiā uera dignos, id
 est pœnitentiā profiteri, & præ se ferre ueris pœ-
 nitentiæ, & signis & operibus. De quo Paulus regi A-
 grippæ dicebat, se obsecutum cœlesti uisui, adnunci-
 alle Iudeis, & gentibus pœnitere & cōverti ad Deum,
 digna opera pœnitentiæ facientes. Quibus uerbis cla-
 rum ponit discrimen inter ipsum pœnitere, & facere
 opera digna pœnitentiæ, quod latini patres uocarunt,
 agere pœnitentiā. Ita pœnitentiā egerunt, id est,
 quam in animo habebant, protulerunt Niniuite, cum
 ieiunarent, & saccis se operirent, atq; ad Dominū tan-
 ta supplicatione clamarent. De talibus signis & operi-
 bus pœnitentiæ præcepit Dominus Ioelis 1. cum ait:
 Accingimini scilicet saccis, & plangite uos sacerdotes,
 ululate ministri altaris, ingredimini (templum) & per-
 noctate in saccis ministri Dei, quoniam prohibita est
 AA e oblatio,

oblatio, minha & libamen, indicite ieiunium, cōuocate cœtum, & congregate senes, atq; uniuersos habitatores terræ in domū Domini Dei uestri, & clamate ad Dominum. Similia edixit & secundo cap. Agere itaq; pœnitentiam, est hæc ipsa opera præstare, in sacrum cœtum cōuenire, delicias omnes & indulgentiam carnis permutare ieiunijs, uigilijs, aspero uestitu, puluere, lamentisq; pro peccatis: & precibus ad Deū, pro uenia, toto pectore incumbere, eleemosynas largè facere, omnique pietatis studio esse prorsus deditū. Hæc & Achab præstitit, uel simulauit, ad increpationē & minas Dei, quas ei Elias administrauerat. Scribitur enim de eo, quod disciderit uestimenta sua, obtexeritq; corpus suū sacco, & in sacco dormierit, quod ieiunauerit, & discoloratus ingressus sit. Sic erāt & lachrymæ mulieris peccatricis, quibus Domino pedes lauit, osculū quod pedibus eius dedit, unguentum quo eos inunxit.

Libro de
pœnitētia.
Quid con-
fessio uera
peccatorū.

Hæc uerò pœnitentiæ professio, & ut Tertullianus eam uocat, administratio, uocabatur tempore huius et Cypriani ἐξομολόγησις: quam sic definit idem Tertullianus. Exomologesis, inquit, prosternandi & humiliandi homines disciplina est, conuersationem in iungens misericordiam illicem. Rectè enim sancti Patres censuerunt ueræ peccatorum pœnitentiæ, satis non esse conscientiam præferre de peccatis dolentem, sed oportere eam etiam aliquo actu administrare: hūc actum uocat Tertullianus exomologesin, id est, cōfessionem, eiusq; partes has enumerat. De ipso quoque, inquit, habitu præcipit, sacco & cineri incubare; corpus sordibus obsecrare, animum mœroribus deijcere, illa quæ peccauit, tristi tractatione mutare. Cæterum passum & potum pura nosse, non uentris scilicet, sed animæ causa; plerumque uerò ieiunijs preces alere, ingemiscere, lachry-

chrymari, & mugire dies noctesq; ad Dominū Deum tuum, præbiteris aduolui, & aris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ iniungere. Hæc ille.

Has D. Cyprianus actiones pœnitentiæ hoc modo descripsit, sermone De lapsis. Orare oportet impensius & rogare, diē luctu transigere, uigilijs noctes ac fleatibus ducere, tempus omne lachrymosis lamentationibus occupare, stratos solo adherere cineri, in cilicio uolutari & sordibus: post indumentum Christi perditum, nullum iam uelle uestitum: post diaboli cibum, malle ieiunium, iustis operibus incumbere, quibus peccata purgantur, elemosynis frequenter insistere, quibus à morte animæ liberantur. quod aduersarius auferebat, Christus accipiat: nec teneri iam, nec amari patrimonium debet, quo quis & deceptus, & uictus est: pro hoste uitanda res, pro latrone fugienda, pro gladio metuenda possidentibus & uendenda. Ad hoc tantum profuerit, quod remansit, ut inde crimen, & culpa redimatur, incunctanter & largiter fiat operatio, census omnis in medelam uulneris erogetur, opibus & facultatibus nostris, qui de nobis iudicaturus est, Domino fœneretur. His uerò actionibus pœnitentiæ & huic exomologesi, sancti Patres certa olim tempora definiebant, quo ut D. Augustinus scripsit, fieret etiam satis ecclesiæ de ueritate pœnitentiæ eorum, qui eam uerbis profitebantur. Ea autem tempora poterant Episcopi abbreviare, prout & Ecclesiæ, & pœnitentium ædificationi illud providebant conducterum.

Cumq; hæc actio pœnitentiæ iniungebatur pœnitentibus, dicebāt sancti Patres his dari pœnitentiam, & ligari eos, scilicet ad pœnitentiam. Et quibus ea pœnitentiæ actio iniungebatur, dicebantur accipere pœnitentiam.

Signa & opera pœnitentiæ deprecationes: luctus, læmētā, uigilię. humi in cinere cubare, Aspere uestiri, ieiunare, et elemosynas dare benigne.

Iustis operibus peccata purgantur.

Culpa redimitur.

In Bachis. dio cap. 65.

Quid dare pœnitentiam ligare ad pœnitentiam, accipere pœnitentiam & soluere.

nitentiam. Cuncti ultro iungi sibi eam actionem petebant, dicebantur petere poenitentiam. Cui uero actio ista poenitentiae remittebatur, & in communionem recipiebatur, is dicebatur solui uinculo, scilicet agenda poenitentiae, quam cum D. Ambrosius Theodosio iniungeret, dicebat, ut tractat Theodoritus lib. historiae suae 5. cap. 19. Suscipe uinculum, quod omnium Dominus est supernis comprobatur. remedio enim est, & sanitatem adfert. Agentes poenitentiam suam cum huiusmodi *ἔξομολόγησιν* & satisfactionem (nam & hoc nomine hanc poenitentiae professionem & attestationem uocabant) Ecclesiae approbassent, tum demum peccatis absoluebantur, & Deo atque Ecclesiae reconciliabantur, per impositionem manuum episcopi, & cleri, atque sacrificium, & communicationem eucharistiae. De qua disciplina D. Cyprianus multa scripsit. unum locum adscribam, ut plenius cognoscant pii lectores, ea quae de actione poenitentiae legunt in scripturis, & in S. Patribus, postquam ut caetera omnia, ita & haec disciplinae Christi religio per Romanensem disciplinam est prorsus abolita. Epistola igitur 14. libro 3. quaerens hic Christi martyr, quod ihs, qui Christum in persecutione negauerant, contra istam exomologesim, communicatio ecclesiae restituerentur, ita scripsit: Nam cum in minoribus peccatis agant peccatores poenitentiam iusto tempore, & secundum disciplinae ordinem ad exomologesim ueniant, & per manus impositionem episcopi & cleri ius communicationis accipiant: nunc crudo tempore persecutione adhuc perseverante, nondum restituta ecclesiae ipsius pace, ad communicationem admittuntur, & offertur nomen eorum, & nondum poenitentia facta, nondum exomologesi finita, nondum manu eis ab episcopo aut clero imposita, eucharistia illis datur. Haec ille.

Agēde poenitentiae iustum tempus. Venire ad exomologesim impositione manuum. Exomologesis nondum finita.

Ex his igitur Tertulliani, & D. Cypriani dictis abunde cognoscitur, quid sit agere poenitentiam, & quibus actibus ista poenitentiae professio constet, quod ea certo quoque & iusto tempore exhibenda sit. Denique quod ponenda non sit, nisi impetrata ab hoc uinculo absolutione, per manuum episcopi & cleri impositionem.

Porro obseruandum hic est, inter hos actus, quosdam esse ad ueram poenitentiam omnino necessarios, quosdam non ita. Nam ut excitandae magis poenitentiae, haec poenitentiae signa ualeant, desidere & dormire humi & in puluere, pulueremque inspergere capiti, asperis & lugubribus uti uestimentis, ieiunare seuerius, tamen non sunt ad ueram saluandam poenitentiam prorsus necessaria. At relinquere peccata, & peccatorum occasiones, deliciasque mundi, neglectum cultus & pompae mundi, seseque per omnia coram Deo & ecclesia humiliare, ad sacrum coetum libenter se conferre, assidue ueniam a Deo orare, iniurias patienter excipere, & prompte condonare, eleemosinas largi impartiri, haec sane, ubi animum peccatorum uere poenitet, abesse non possunt. Et si absint, certum est in eo homine, iustam peccatorum poenitentiam nondum esse excitatam.

Quae poenitentiae signa, & opera omnino necessaria, quae secus.

QVID SIT APVD SANCTOS PATRES,
agendo poenitentiam satisfacere Deo pro peccatis,
redimere & purgare peccata.

QVO uero & sermo sanctorum Patrum hac de re & uis etiam, atque usus proprius istorum actuum, quibus de peccatis poenitentia proferenda & declaranda est, plenius etiam ab ijs fratribus qui sunt harum rerum rudiores, cognoscatur, minusque fuci eis fiat ex uerbis sanctorum Patrum, unum adhuc annotandum

randū esse in præsentī tractatione existimamus. Quid scilicet S. Patres intellexerint, cū dixerūt, his nos poenitentia actionibus debere indignanti Deo satisfacere, Deūq; promereri, delicta redimere, itē placare eum nostra satisfactione. Istud uerò, uel ex unius Cypriani dictis, ut antiquioris, atq; sermone magis disertī & propt̄, ostendisse, in præsentiarū satisfuerit. Huius ergo scripta, in quib. istis loquēdi formis usus est, qui rectē considerat, is illico uidebit, huic uiro Dei, & magno ecclesiæ doctōri, agendo poenitentia satisfacere Deo, redimere & purgare peccata, placare & promereri Deum, nihil aliud fuisse, uel significasse, quā ueniam peccatorum, eiusq; gratiam orare, & flagitare, adiunctis illis poenitentia actionibus, de quibus diximus, lamentis, ieiunijs, uigilijs, elemosynis, &c. Quod ut ex ipsius sancti Martyris uerbis cognoscatur, aliquot eius dicta subiiciam.

Quid ualeat apud S. patres, Indignāti Deo satisfacere, Deum promereri, delicta redimere placare Deum nostra satisfactione.

Cyprianus.

Preces, & satisfactiones idem ualent.

Humilis & simplex satisfactio, idem quod humilis & simplex peccatorum confessio.

Vbiq; satisfactionem iungit precibus ut genus peccandi reale.

In epist. 3. lib. 1. ubi queritur de ijs, qui ueniam lapsus ijs præmaturam faciebant, qui Christum in persecutione negauerant. Intercedunt, inquit, ne exoretur precibus, & satisfactionibus Christus, qui negantē se negare profiteretur. Obserua, quod dicit, Ne exoretur, non dicit, ne ei iniuria hæc compensetur, aut æquivalens, sed sufficiens reddatur. Item quod ait Precibus & satisfactionibus. Quod certē precibus est impetrandum & exorandum, gratuitum est, nec ullo percipitur merito, aut compensatione.

Item in eadem epistola. Amplector prompta & plena dilectione, cum poenitentia reuertentes, peccatum suum satisfactione humili & simplici consententes. Hic quid per humilem & simplicem satisfactionē uir Dei dicere aliud uoluit, quā illam ipsam, de qua diximus poenitentia professionem, & declarationem. Vt etiam in

in epist. 16. lib. 3. ubi scriplit: Ego plebis nostrę, & quietem noui pariter & amorem, in satisfactione Dei, & deprecatione uigilare, nisi illos quidam de presbyteris gratificantes decepissent.

Et contra Demetrium sub finem: Offerimus uobis (ita ethnicos alloquitur) animi & consilij nostri salutare munus, & quia odisse non licet nobis, & sic Deo plus placemus, dum nullam pro iniuria uicem reddimus, hortamur, dum facultas adest, dum aliquid de seculo superest, Deo satisfacere, & ad uerę religionis candidam lucem, de profundo tenebrorę superstitionis emergere. Item paulo post: Quando istinc excessum fuerit, nullus iam locus pœnitentię est, nullus satisfactio- nis effectus.

Vbi igitur purgatorium?

Hic quid intellexerit per satisfacere Deo, & satisfactionem, post pauca sic ipse docet: Tu sub ipso licet exitu, & uitę temporalis occasu, pro delictis roges Deum, qui unus & uerus est, confessionem & fidem eius agnitionis implores, uenię confitenti datur, & credenti indulgentia salutaris de diuina pietate conceditur, & ad immortalitatem sub ipsa morte transitur.

En pro delictis Deum orare, fidem Christi amplecti & confiteri, id docet esse satisfacere Deo, & indulgentiam salutarem, id est, peccatorum remissionem, huius uocat satisfactionis effectum.

Satisfactio id est, humilis pro uenia supplicatio. Mœstitia satisfaciat, id est, pro uenia supplicet.

Idem facit in sermone de lapsis in his uerbis: Con- fiteantur, inquit, singuli quęso uos fratres delictum suum, dum adhuc, qui deliquit, in seculo est, dum admitti confessio eius potest, dum satisfactio, & remissio facta per sacerdotes, apud Dominum grata est. Con- uertamur ad Dominum mente tota, & pœnitentiã criminis ueris doloribus exprimentes, Dei misericordiã deprecemur, illi se anima prosternat, illi mœstitia

satisfaciat, illi spes omnis incumbat. Rogare qualiter debeamus dicit ipse: Reuertimini, inquit, ex toto corde uestro, simulq; & ieiunio, & fletu & planctu, & scindite corda uestra, & non uestimenta. Ad Dominum toto corde redeamus, iram & offensam eius ieiunijs, fletibus, planctibus, sicut admonet ipse, placemus. La mentari eum putamus ex toto corde, ieiunijs, fletibus, planctibus, Dominum deprecari, qui ex primo criminis die lauacra cum foeminis quotidie celebrat, qui epulis affluentibus pastus, & sagina largiore distentus, cupiditates suas postridie eructat, nec cibos suos & potus cum pauperum necessitate communicat. Qui hilaris ac laetus incedit, quomodo mortem suam deflet?

*Talis hodie
proh dolor
pœnitentiã
agitur.*

In his quis non uideat, satisfacere Deo, huic testi Dei Cypriano, atque adeo catholice tum Ecclesie, aliud non fuisse, quam adiunctis uerioribus, & seuerioribus ueræ pœnitentiæ signis & operibus, ueniam peccatorum à Deo orare & flagitare. Id quod adhuc manifestius cognoscitur ex ijs uerbis, quibus in eodem sermone paulo post, satisfactionem Ananiæ, Azariæ, Misahelis & Danielis in exemplum commendat.

*Satisfacere
delicta de
fere.*

*Deum pro
mereri. pla
cere Deum
obsequio fi
dei & timo
ris.*

*Satisfacere
Deo, pre
cari Deum
supplici
ter.*

Ecce priora (alloquitur eos qui agere pœnitentiã possidebant) adhuc peccandi uulnera, ecce maiora delicta peccasse, nec satisfacere: deliquisse, nec delicta deflere. Ananiæ, Azariæ, Misahel, illustres ac nobiles pueri. quo minus exomologesim Deo facerent, nec inter flamas, & camini exæstantis incendia quiesuerunt. Bene sibi licet conscij, & Dominum fidei actumoris obsequio saepe promeriti, humilitatem tamen tenere, & Domino satisfacere, nec inter ipsa gloriosa uirtutum suarum martyria destiterunt. Loquitur scriptura di-

ra diuina: Stans, inquit, Azarias precatus est, & aperuit os suū, & exomologesin faciebat Deo simul cum sodalibus suis, in medio ignis. Daniel quoque post fidei atque innocentiae suae multiplicem gratiam, post dignationem Domini, circa uirtutes ac laudes suas saepe repetitam, ieiunijs adhuc promereri Deum nititur, in sacco & cinere uolutatur, exomologesin faciens dolenter, & dicens: Domine Deus magnus & fortis, & metuendus, qui seruas testamentum, & miserationes eis, qui te diligunt & conseruant imperia tua: peccauimus, facinus admisimus, impij fuimus, transgressi fuimus, & deseruimus praecipua tua, & iudicia tua, non audiuimus uerba puerorum tuorum prophetarum, quae locuti sunt in nomine tuo, super reges nostros, & omnes gentes, & super omnem terram. Tibi Domine gloria, tibi iustitia, nobis autem confusio. Haec mites, haec simplices, haec innocentes in promerenda Dei maiestate fecerunt: & nunc satisfacere, & Dominum deprecari detrectant, qui Dominum negauerunt.

Vide, peccata confiteri, & peccatorum ueniam cum ieiunio & fletu, alijsque poenitentiae signis & actibus orare & flagitare, id erat ueteri ecclesiae Deo de peccatis satisfacere, erat eum humili satisfactione placare, & promereri, gratiam eius ambire, & impetrare, ac ita peccata redimere & purgare. Quid enim aliud fecerunt hi sancti, Anania, Azaria, Misael, Daniel, quorum satisfactione nobis pro exemplo hic martyr Dei depredicat:

HOMINES NON POSSE DEO PRO PEC-

catis suis aliter satisfacere, quam ueniam suppliciter

precari adiunctis signis & operibus

uerae poenitentiae.

ET quae alia etiam possit praestari Deo satisfactio, quam
ut peccata nostra coram Deo cum dolore sentiamus,

BB 2 ei con-

ieiunijs
promereri
Deum, id
est gratiam
Dei ambi
re, gratiū
facere.

Satisfacere
idem quod
Deum de-
precari.

ei confiteamur, & gratiam eorum fieri nobis ab eo rogemus, eiusque nos simul obsequio, cui nos per peccatum subtraximus, per poenitentiam restituamus. Nec enim ullum momentum est, in quo legi Dei plenam praestemus obedientiam, & non noua debita, cum omittere quod requirit Deus, tum admittendo, quod uetat, erga Deum contrahamus. Quid igitur unquam redundare nobis possit bonorum operum, quo id, quod Deo peccando de suo erga nos iure prius detraximus, postea benefaciendo supra id, quod iure debemus, ceu restituamus.

De operibus supererogationis.
 Thomas Aquinas 3. parte in additionibus quest. 13. art. 1.

Illud enim scholæ commentum, quo aduersarij affirmant esse quandam bonorum operum mensuram, ultra quam homo possit bona opera facere, quæ debito præcepti non debeat, ut diuinæ scripturæ, ita etiam confessioni catholicæ ecclesiæ prorsus contradicit. Sed de eo dicendum erit in tertia reali controuersia, ubi agetur de impletione legis. Omnis ecclesia Dei omnique fidelis anima agnouit semper, & agnoscit se Deo multo plura debere, quam unquam aut fecerit aut facere possit, carnis scilicet mole prægrauata: ideo in mentem ei nunquam uenit de ulla satisfactione, qua Deo per sua opera, siue poenalia, siue alia redderet, sed nec sufficiens, nedum æquiualens. Ad misericordiam, ut D. Cyprianus inquit, non ad iudicij seueritatem satis facere Deo student sancti: hoc est, misericordiam gratis propter Christum filium suum remittentem debita, suppliciter implorant, & sese Deo (non tamen nisi eius miseratione per Christum attracti) restituent, per solidam scilicet sui ad ipsius placita conuersionem. Idque Deus indulgentissimus pater noster dignari propter filium suum, non quod nos ei non multo plura deberemus, satis ducere, & habere ad hoc, ut peccata nobis condonet,

net, & in gratiam recipiat. Etenim & hominibus of-
 fensis bifariam satis fieri solet ab ijs, qui eos offende- H
 runt. uno modo, cum hi qui offenderunt, illis, quos du
 laeserunt tantum præstât, uel rei, uel officij, ut id quod satis fit.
 illis iniuria detraxerunt, quo' ue eos offenderunt, iure
 habeant cōpensatum. Alio modo, cum ij qui offende-
 runt, culpam tantum agnoscunt, & dolere eam sibi te-
 stantur, ueniamq; supplices orant, cum officij in poste-
 rum plenius præstandi promissione. Hoc modo satis-
 facimus Deo, non priore.

VNDE FIT, VT GRAVIS LVCTVS, LA-
 menta, ieiunia, elemosinæ cum precationibus pro
 uenia peccatorum requirantur.

AT quia grauiorum delictorum ueniam precari
 debemus, meritò maiore supplicandi studio in
 satisfactionibus: id est, in talibus precationibus uenit,
 ea supplicis & ardentis animi signa & ope-
 ra adhibemus, quæ fert natura talium precum. Qui-
 cunq; enim ab aliquo uiro quem magni faciant, gra-
 tiam orant alicuius delicti, hi duo de se ei, à quo ueniã
 orant, testata facere elaborant, idq; nō uerbis tantum,
 uerum etiam uultu, gestu, habitu, totiusq; uitæ appa-
 ratu, per acrem de delicto dolorem, solidamq; commissi
 pœnitentiam, & confirmatam atq; incensam uolunta-
 tem demerendi eum, quem offenderunt, gratumq; ei
 faciendi. Ita uideas frugi filios, cum parentes suos
 grauius offenderunt, & uera eius offensæ pœnitentia
 exagitantur, redireq; in gratiam cum parentibus serio
 laborant, apparere animo & ore deiecto & tristi: subin-
 de ingemiscere, & lachrymas fundere, delitias omnes
 à se reiicere, nec necessario quidem cibo, & somno sa-
 tis indulgere, sæpe etiam quæ molesta sunt, & cruciant
 sponte subire, atq; ita ceu pœnas suæ impietatis ipsos

Quæ natu-
 ra uerè pœ-
 nitentiæ
 doceat face-
 re in placã
 dis homini-
 bus.

à se sumere. Sicut & Menedemus pater, cum eum serio pœniteret, nimia in filium seueritatis, decreuit tantisper se minus iniuria suo gnato facere, dum fieret miser: & nefas esse ducebat ulla se uoluptate frui, nisi ubi ille saluus redisset, suus particeps. Neque uerò cernas tantum ita humiliare & castigare seipfos, tales uerò pœnidentes liberos, uerū etiam summo studio facere, quæcūq; grata norunt parentibus, non modò quæ illi requirunt, sed ea quoq; quæ illi non requirunt, subire etiam promptos & lubentes, quæq; infima in domo ministeria: deniq; uideas huiusmodi mirè etiam placidos esse & mansuetos, demereri omnes, se quibuslibet subijcere, præferre nemini, iniuriam ab omnibus patienter ferre, quin etiam quos possunt ad misericordiã sui, & intercedendū pro se apud parentes permouere. Eadem facere solent, & qui publica crimina deprecantur.

Hæc uerò omnia quilibet dura, molesta & difficilia pœnitentię signa & opera, faciunt ij, quos solida tenet pœnitentiã, nō ut quicq; sibi meriti apud eos, quorum his modis ambiunt gratiã, cōparent, sed abundè bene sibi cecidisse ista, & collocata arbitrantur, si quam flagitant peccati sui ueniã, queant impetrare. Nec quicquã ipsi sentiūt aliud esse ista suę pœnitentię signa & facta, quàm reales quasdã & peccati sui cōfessiones, iustasq; detestationes, & preces ac supplicationes pro uenia.

Actus pœnitentię nihil quam reales peccatorum confessiones sunt, et pro uenia preces.

Si iam pœnitentiã uera, quæ habetur erga homines natura docete, hanc tantã, tãq; laboriosam humiliatiōnem, humilēq; ad omnia officia sedulitatē efficit, & ea omnia quilibet molesta & difficilia opera, & afflictiones, tantū pro necessarijs habet precandæ ueniæ cōditionibus, pro nullis meritis: quãto magis sic humiliare, castigare, & ad cuncta pietatis officia excitare, & impellere debeat, docente uerbo & spiritu Dei, pœnitentiã, quæ

quæ est erga Deum, eaq̃ humiliatiōis & pietatis opera habere non pro meritīs, sed ut partes modò, & conditiones ueræ supplicatiōis, pro peccatorum ueniã:

VNDE, QVOD ET SCRIPTVRÆ ET S. PATRES actioni pœnitentiæ tanta tribuant, ut delicta redime-
re, sordes abluere, Deum placare, &c.

PORRO quia Deus promisit se humilē, & piã pro ueniã peccatorum precatiōnē certò exauditurum esse, hinc fit, ut S. Patres cū ad agendã pœnitentiã *Cyprianus epist. 3. lib 3.* exhortant, ipsi actioni pœnitentiæ, siquidē iusta sit, tam multa (sequētes in eo phrasim scripturę) soleãt attribuerē: ut quod satisfactiōibus & lamētationibus delicta redimant, uulnera lachrymīs, & sordes omnes eleemosynīs abluant. Deus placet & promereat. Hæc em̃ omnia cū piã fidelicq̃ oratione, quæ sit ex corde ad Deū pœnitens cōuerso impetrent, fideq̃ sic pœnitente, pœnitentiãq̃ agēte, uerè percipiant, ac teneant, sicut fidei ipsi, & fideli orationi, ita etiã his ipsis fidei & orationis iudicijs, a pendicibus & signis ea attribuunt, nō ut per quæ ista Dei beneficia homines mereantur, sed ut *Hæc de eleemosina.* per quæ illa exorent, impetrent & percipiant. Opera itaq̃ ista & signa pœnitentiæ, ieiunium, uigiliã, asperuētus, cæteraq̃ carnis humiliatiōes & castigatiōes, item assidua sacri cœtus frequentatiō, ardentiores preces, lamēta, eleemosinæ largiores. possunt cōsiderari bifariam, & sunt quædã opera, & partes cultus diuini, ut quibus scilicet Deo quasi aliquid præstamus. Et *Opera & signa pœnitentiæ bifariam cōsiderentur.* ut sunt humilis, ardentisq̃ precatiōis quædam cæremoniã, notã & effecta, imò ceu quædam reales precatiōes & supplicatiōes. Primo igitur modo si hæc pœnitentiæ signa & opera cōsideremus, nequaquam tribui eis potest, quod peccata redimant, uel abluant, aut purgent, uel Deū placent, & promereantur. Non enim

enim satisfaciunt legi Dei, & sunt adeo adhuc imperfecta, ut ex se opus habeant condonatione delicti, tam absunt ab eo, ut digna sint aliqua mercede. Verum si secundo modo has poenitentiae caeremonias intueamur, iam sunt, ut dixi, quaedam reales fidei preces, & supplicationes, quicquid igitur fidei, & fideli orationi, hoc ipsum etiam his actibus & caeremonijs fidelis poenitentiae attribuitur: sed ut fidei, & fideli orationi, ita etiam his fidelis & ardētis precationis signis & caeremonijs haec Christi beneficia, peccata redimere & abluere, Deū placare & promereri, nō ita assignantur, quod ea uel fide & oratione, uel illis fidei & orationis signis, & caeremonijs mereantur, sed quia illa ut fide, & fideli oratione, ita etiam hisce fidei & fidelis precationis signis & caeremonijs quaerimus & percipimus, ex gratuita Dei misericordia, nobis per Euangelium oblata, & per sanguinem filij Dei parta. Solius enim Dei & Christi proprium hoc opus & beneficium est, peccatorum redemptio, & absolutio, cunq; Deo ipso reconciliatio.

Cum itaq; his poenitentiae operibus & signis uel a scripturis, uel a sanctis Patribus adscribitur, peccatorum redemptio & purgatio, Deiq; placatio, constat id non fieri, quatenus haec opera & signa partes quaedam sunt cultus diuini, & Deo aliquid uidentur praestare: sed ut sunt partes piæ precationis, & ceu reales quaedam preces, quibus gratuitam a Deo misericordiam ambimus & exoramus. Hoc ipse quoque D. Cyprianus clarè docet, cum scripsit suis presbyteris & decanis: Admoneo, inquit, tamē religiosam sollicitudinem uestram, ut ad placandum atq; exorandum Dominū, non uoce sola, sed & ieiunijs, & lachrymis, & omni genere deprecationis ingemiscamus. En ait, omni genere deprecationis, & sub hoc genere numerat etiam ista poeni-

poenitentiae signa, ieiunia & lachrymas.

Ex his iam facile cognosci potest, etiam à partu in-
structis ad hanc disputationē, quae sit secundum diui-
nas literas, & sanctos patres, & ipsa animi ob peccata *Conclusio*
poenitentia, & poenitentiae huius actio, & actionis istius *de poenitē-*
ceremonia atq; religio, quae partes huius actionis, quae *tia.*
quae partium harum nomina, & quae uis, quid denique sig-
nis his & operibus poenitentiae, scripturae & sancti Pa-
tres attribuerunt. His itaque praemissis, ut ex quibus uera
pendet earum scripturarum intelligentia, quas Maluenda
& Billickius pro adstruendo suo dogmate, de ui & me-
rito operum iustificationem praecedentium adduxe-
runt: nunc ad has ipsas scripturas plenius responde-
bimus, & aduersariorum sophismata, quae harum scri-
pturarum praetextu, ingerere conati sunt, crassius ex-
cutiemus, quod in prima nostra responsione non pu-
tabamus esse opere precium, cum haec sophismata, si
quis illa propius intueatur, per se euanescent: sed quia
aduersarios eorum nondum pudet, seruiamus & in hac
parte minus in his rebus exercitatis fratribus, & quam
inania ista sophismata sint, planius declaremus.

RESPONSIO COLLOCUTORVM CONFESSIO-
nis Augustanae, ad scripturas adductas à Maluenda & Billickio,
pro illo suo dogmate, quod sint quaedam hominis nondum iustifi-
cati opera, quae ad iustificationem praeparant, & saepe mise-
ricordiae diuinæ oculos ad hominē cōuertant. Et pri-

mum de loco Ieremiae 18. & Ezech. 18.

IN primo itaque loco, qui est Ieremiae, uides ipse pie le-
ctor, nihil omnino doceri aliud, quam si gens aliqua *Iere. 18.*
Dei minis excitata, à malo suo sese auertat, & Deum
uelle poenitere de plagis, quas ei sit minatus, hoc est, se
gentem illam non ita, ut minatus est, puniturum. Ita in *Ezech. 18.*

altero loco, qui Ezechielis est, nihil habet amplius, quam
CC si im.

si impius auertat se ab omnibus peccatis suis, & obseruet cunctas caeremonias, & omnia uitae praecipua, quae Deus tradidit, eum uicturum, & non moriturum.

Quod nam igitur hinc poterit argumentum constringi, quo huius aliquid probetur, quod opera ante iustificationem facta, hominem ad iustificationem praeparant: et ad id non parum conducant, ut Deus oculos misericordiae suae, ad hominem conuertat. nisi forsitan isti magistri nostri tale quiddam apud se cogitarint, prophetas, cum dixerunt: Si gens impia, aut homo impius se auertat ab impietate sua, uoluisse docere, gentem & hominem in impietate, & malo suo, etiamnum permanentem, posse se ab impietate, & malo suo auertere, antequam iustificetur ex eo, quod scriptum est, Mortui resurgent, putet doceri, homines dum adhuc mortui sunt, se ad uitam resurgendo excitaturos esse, & quali praeparaturos. Ex qua sane per absurda, & nimis puerili cogitatione, sophisma hi magistri tale forsitan sibi finxerunt. Ea opera, propter quae Deus promissit se cominatas poenas remissurum, & uitam largiturum, uidentur praeparare ad gratiam Dei, & conuertere oculos diuinae misericordiae ad homines. Sed gentes & homines manentes in impietate, atque ideo nondum iustificati, possunt talia facere. quia Ieremias dixit: Si gens impia auertat se a malo suo, Deum non sumpturum de ea poenas, quas ei minatus est. Et Ezechiel: Si impius auertat se a peccatis suis uiuet. Igitur sunt quaedam opera ad iustificationem praeparantia, &c.

At quid aequum indignum suis titulis cogitare & fingere potuissent isti magistri:

Primum enim, Maior huius sophismatis est prorsus falsa. omnia enim talia bona opera, quibus Deus suam gratiam & uitam promissit, sunt opera fidei, atque ideo non nisi

Si impius se auertat ab impietate, et faciat iustitiam: hoc aduersarij de ijs intelligunt qui in impietate perseuerant.

nisi homines iustificati. Deinde poterāt à suis tū scho-
 lasticis scriptorib. discere, iustificationē fieri in instāti,
 & in ea ordine nature (nulla em̄ hic temporis successio
 est) primā esse gratiæ diuine in homines infusionē (ut
 illi loquunt) qua capax iustificationis redditur. prox-
 imū, motus uolūtatis ad credendū Deo, & peccatū de-
 testandum per fidem & dilectionē Dei attrahentis &
 cōuertentis ad se. Tertium, remissionē peccatorū, eoq̄
 gentē, quæ recedit à malo suo, & impiū, qui se ab impi-
 etate sua ad obedientiā Dei cōuertit, eo ipso, quo se &
 à peccato ad Deū conuerterit, momento iustificari, re-
 missionemq̄ peccatorum ex dilectione Dei percipere.
 Quo circa illud propheticū. Si gens uel homo impius
 auertat se ab impietate sua, perinde dictū esse: Si gens
 uel homo, qui hactenus impius fuit, desinat esse im-
 pius, & cōuertat se ad pietatē. Perq̄ indignū est, de his
 tā irreligiosis nugis tot fundere uerba. Sed nisi facias,
 semper inueniuntur, quibus isti nugiuendæ suis glo-
 riationibus os obliniunt. Ex eo certe quod Billickius
 dixit: Donec em̄ sunt impij, nulla pœnitētia iustifican-
 tur, sed præparantur tantūmodo per eam. Clarè uides
 istū magistrū, sic dicta Ieremiæ & Ezech. aliāq̄ quæ de
 pœnitentiā impiorū docēt intellexisse, ac si dicere hi ua-
 res Dñi uoluissent, homines etiā dum impij manēt, re-
 cedere à malo, & seruare cœremonias, & præcepta Dei.
 Quo, quæ absurdior, & cū omni doctrina Dei, & sen-
 su fidei potuisset horum dictorū interpretatio affingi?
 Cum hæc & suprā, quanq̄ in breuia cōtracta respon-
 dissemus, subiēcimus. Cū nō cōstet quid adhuc impij
 Iudej ad prædicationē & exhortationē Ieremię & Eze-
 chielis fecerint, nō p̄ste aliquid ex his locis cōcludi de
 ui operū iustificatorū præcedētū, uolēs Billickius hęc
 nostrā responsionē suggillare tan q̄ scripturis indignā
 dixit, ueritatē dicti prophetici nō pendēre ex obedientia

*Aduersarij
 uel nō didi-
 cerunt, uel
 obliui sunt
 dialecticas
 ampliatio-
 nes.*

eorum quibus illud fuit adnunciatum. Rectè. Quid uerò hoc ad rem? Et nos confitemur in æternum uerum esse, Deum uerè pœnitentibus, & à peccatis se ad iusticiam recipientibus, pœnas meritas clementer remissurum: & quicuncq; à uia sua mala recesserint, & ad obedientiã Dei sese conuerterint, uicturos & non morituros. De hac re nulla est inter nos controuersia. De eo certamus: An opera iustificationem præcedentia ad iustificationem præparent, & huc conferant aliquid, ut Deus oculos misericordiæ suæ ad nondum iustificatos cõuertat. Ad hoc quæso quid argumenti adferunt ista dicta prophetica? Quæ in illis mentio de operibus iustificationem præcedentibus? Nec enim affirmant uates Domini his dictis suis, homines cum adhuc impij sunt, & in sua impietate perseverant, id est, nõdum iustificati, sese à peccatis suis auertere, et facere, quæ præcipit Deus. Cum igitur hæc dicta prophetarum nihil prorsus affirmant de operibus nondum iusticatorũ hominum, neq; in genere, neq; etiã in his ipsis ludæis, quos ad pœnitentiã isti prophetae uocarunt: nec deniq; aliunde cõstat, quid boni fecerint hi ludæi ad pœnitentiã uocati, ante sui iustificationẽ, quid ue eiusmodi suis operibus effecerint apud Deum: cui non liceat, ex his locis nihil omnino colligi, cõcludi uè posse, de ui & merito operum, iustificationem antecedentium. Hæc ad loca Ieremiæ & Ezechielis.

RESPONSIO AD LOCA ACT. II. DE Pœnitentia eorum, qui ad primam Petri concionem ad Dominum conuersi sunt: Et act. VIII. de uerbis Petri, quibus Simonem Magum ad pœnitentiã est exhortatus.

Nihil uerò sanius cogitarunt isti doctores, & de locis, quæ ex Actis apostolorum Maluenda adduxit, Vbi enim legerunt D. Petrum hortatum esse ad

ad poenitentiam, & illos quos sermone suo cōpunxerat corde, & Simonem Magum, ut remissionem peccatorum acciperent, ea scilicet cogitarūt: Apostolus hortatur istos ad poenitentiam, ut peccatorū remissionem, id est iustificationē percipiant. Ergo poenitentia eiusmodi & præcedit remissionem peccatorum, & præparat ad eam.

Hic uerò tu memineris pie lector eorū, quæ supra disserui, & de poenitentia, & de actione poenitentia. Certum enim est, hos homines iam tum impietatis & peccatorum suorum uerè poenituisse, cum Petrus eos ad poenitentiam hortaretur. Nā scribit D. Lucas: Cum audiuiissent, compuncti sunt corde, dixeruntq; ad Petrum, & ad reliquos Apostolos: Quid faciemus uiri fratres? Hæc sanè cordis istorum cōpunctio, quid aliud quàm dolor erat de peccato propter offensam Dei: quod uerò se Apostolorum consilio & præcepto tam prompti subiiciebant, id satis indicat illos iam tum doluisse de peccatis suis, quibus Deum tam grauiter offenderant, crucifixo eius filio, idq; cum uoto ac spe uenia, & cum uoluntate ac proposito Deo deinceps uiuendi. Donati igitur iam tum erant diuinitus poenitentia, & salutarī poenitentia, quæ in Deum erat, & ad uitam eo perducebat, quæ in illis certè non nisi ex fide Euangelij, quod à Petro audierant, extiterat.

Sed si tum hi uera erant poenitentia donati, non uidetur cōstare ratio, cur eos D. Petrus ad poenitentiam exhortatus sit. Rogantibus enim illis, quid facerent, respōdit, μετ' ανοήσατε, & baptizetur unusquisq; uestri in nomen Domini nostri Iesu Christi, in remissionem peccatorum, & accipietis donum spiritus sancti.

Hic igitur recordemur eorum, quæ supra de poenitentia, & eius actione explicauimus. Ut enim ostendā-

Quos iam peccatorū suorū poenitebat, D. Petrus ad agendā poenitentiam coram ecclesia hortatus est.

mus satis non esse, dolorē de peccato in animo conce-
pisse: sed necesse esse, hunc quoq; dolorē ueramq; pœ-
nitentiam dignis pœnitentiæ fructibus proferre, & co-
ram ecclesia Dei testari. Ad hoc igitur D. Petrus istos
iam corde cōpunctos est exhortatus, ut nimirū & ipsi
in hac uera animi sui pœnitentiā perpetuæ se uitæ cor-
rectioni atq; pœnitentiæ actioni addicentes, & ea ec-
clesiam Dei ædificarent, atq; reliquos ad eandem suo
exemplo prouocarent. Huiusmodi certè pœnitentiæ
professio iam tum ab ijs, qui baptizari se petebāt, sem-
per requirebatur: unde de Ephesijs legimus Act. 19.
Multiq; eorum qui crediderant, ueniebant & confite-
bantur peccata sua, & renunciantes actus suos. Hoc
& apud Ioannem faciebant, qui ab eo baptizabantur
Marci 1. Vnde & Paulus ad Agrippam de ministerio
suo testatur, se adnunciasse Iudaïs & gentibus oportere
eos pœnitere, & conuertere se ad Deum, facereq;
digna pœnitentiæ opera, Act. 26.

Professio pœ-
nitentię pu-
blica a bap-
tizandis requi-
rebatur.

Cogitatio ad
uersariorum:
Petrus com-
punctos iam
ob peccata
sua, ad pœni-
tentiam & ba-
ptizandis horta-
tus est, ergo
precedit iu-
stificationem
baptizandis,
compunctio
cordis & pœ-
nitentię.

Sed est hic subiectum: Et baptizetur unusquisq; in
remissionem peccatorū. Hinc igitur aduersarij forsan
tale sibi confinxerunt sophisma: D. Petrus hos iam cor-
de cōpunctos iussit pœnitere, & tum demū in remis-
sionem peccatorum baptizari, id est, remissionē atq; iu-
stificationē baptismate percipere. Precessit igitur in his
iustificationē, id est peccatorum remissionē, & cōpun-
ctio cordis, & pœnitentiā ea, siue etiā pœnitentię actio,
ad quam eos est D. Petrus hortatus. Hæc uerò erant
bona opera, & ad percipiendū remissionē peccatorum
quæ requisita: igitur & ad obtinendā eā, utilia fuerūt.
igitur in his nondum iustificatis hominibus bona ope-
ra, & quæ eos ad iustificationē præparabant. Hi uerò
magistri si ita uelint colligere, concludent eadem sua
dialectica, nec Paulum fuisse fide iustificatū, cum eum
Ana-

Ananias iubebat peccata sua baptisinate abluere, quã quam tantum esset à Domino ipso ad pietatem cõuersus, nec Abrahamũ cum circuncisionem iubebatur & in carne recipere. At Dominus Iesus ipse, & uniuersa scriptura Dei affirmat habere uitã æternam, atq; ideo iustificatos esse coram Deo, quicunq; Euangelio uerè crediderint. Et de Abrahamo scriptura disertè testat, quod iustificatus fuit fide priusquam circuncideretur.

Tu pie lector missis istis irreligiosis argutijs, exende & cognosce, quæ supra ex diuinis scripturis, & sanctorum Patrum doctrina de pœnitentiã, & actione pœnitentiæ, deq; absolutione à peccatis ecclesiæ ministerio perficienda cõmemorauit & explicauit, eaq; cum hoc loco confer. Sic ipse uidebis hos, de quibus agimus, Iudæos ad prædicationem Petri fuisse primum omnium donatos à Deo fide euangelij, & ex hac mox peccatorum suorum pœnitentiã fuisse compunctos & exanimatos, inde que remissione peccatorum erectos & recreatos, uereq; apud Deum iam tum fuisse iustificatos, quando dicebãt, Viri fratres quid faciemus: etiamsi gratia Dei & Christi redemptoris, nondũ planè frueretur, adoptione eorũ nondũ ipsis sacramenta ob signata, & testimonio spiritus S. in animis eorũ cõfirmata. Quia uerò intererat & horũ ipsorũ hominũ ad Christum iam conuersorũ, & ecclesiæ totius, atq; eorũ etiam qui adducendi adhuc ad Christum erãt, ut suam cum pœnitentiã, tum fidem coram ecclesia confiterentur, peccatorumq; remissio ipsis eiusdẽ ecclesiæ ministerio, per sacramentum baptismatis ob signaretur, & confirmaretur (ita ut fides Abrahamæ per circuncisionem, & Pauli, per baptisma ob signata fuit & confirmata) rectè iussit eos Petrus agere pœnitentiã, & baptizari, &c. hoc est, sua apud ecclesiam peccata cõfiteri & de.

Cur absoluit
peccatis per
Deum, absol
uuntur etiam
ab ecclesia.

& deplorare, ueniamq; eorum publice rogare, & nouam uitam profiteri, baptisinateq; ab solutionem à peccatis percipere, etiam ecclesiae ministerio, quo ea ipsis ob signata, atq; plenius etiam confirmata fuit.

Simon Magus ad qualem poenitentiam prouocatus sit.

Ad talem poenitentiae actionem etiam Simonem Magum est D. Petrus cohortatus. quare ex hoc testimonio nihil amplius de operibus iustificationem praecedentibus colligi potest, quam ex priore.

Testimonia scripturarum per Maluendam adductarum. euertunt dogma ipsorum.

Hæc ergo qui rite consideret, & ea ipsa, quæ aduersarij adduxerunt, testimonia rectè intueatur, non obscure uidebit, tam abesse, ut dogma aduersariorum de ui & merito operum iustificationem antecedentiū, per ista scripturarum loca comprobetur, ut per ea plane euertatur. Nam in primis duobus propheticis dictis, Deus clementiam suam promittit ijs modò, qui recedunt ab impietate, & sua præcepta obseruant: iramq; suam & extrema mala minatur ijs, qui in impietate perseuerant, & iustitiæ non student. Iam ante iustificationem homo impius est, & in impietate sua perseuerat: ergo ex his ipsis scripturis concluditur, quod homo ante iustificationem, iram Dei in se prouocat, & accersit sibi mortem. Nemo igitur potest ante iustificationem eiusmodi opera facere, quibus ad iustificationem præparetur, & ad se diuinæ oculos misericordiæ cõuertat.

Iam D. Petrus & eos, quibus Christum prædicabat die pentecostes, & Simonem Magum ita est hortatus ad poenitentiam salutarem, ut clarè ostenderit, manere sub ira Dei, & in morte eterna, quicumq; à tali poenitentia fuerint alieni: Atqui ante iustificationem nemo potest talem agere poenitentiam, quæ ex fide sit, & secundum Deū, eorūq; salutaris. Proinde & ex his locis concluditur, hominem ante iustificationem herere adhuc sub ira Dei & cõdemnatione, cum omnibus operibus

peribus suis. Nec enim ualet arbor mala, ut Dominus ipse pronunciauit, ferre fructus bonos. Et mali malae arboris fructus, bono Deo non possunt non displicere.

RESPONSIO AD LOCVM DE

pœnitentia Achab.

Superest est locus de pœnitentia Achab, ad quem Sante respondimus, & diximus, incertum esse, an hæc Achabi pœnitentia uera fuerit, & secundum Deum, aut tantum temporaria quaedam animi consternatio, quã Deus detestatur. Si uera fuit ex fide, ad prædicationem Eliã suscepta fuit, & iustificationem consecuta est, non præcessit: sin falsa fuit, ut magis uerisimile uidetur (nam idololatriam non remouit, & uerbo Domini in prophetis perrexit repugnare, ut in Eliã declarauit) nõ ad iustificationẽ, sed ad grauiorem condemnationem Achabum præparauit, iratumq; Dei uultum ad eum conuertit.

De pœnitentia Achabi.

Achabi pœnitentia temporaria quaedã consternatio nõ uera & salutaris pœnitentia.

Hac nostra respõsione dicit Billiekius, nos uerũ scripturę sensum excutere, nõ expedire, nullo tamen argumento potuit eam confutare. Equidẽ quod Dominus excidiũ domus Achabi distulit per uitã illius propter istam pœnitentiã, id non euincit eam propterea sic gratã fuisse Deo, ut Achabũ præpararit ad iustificationẽ. Nam ad iustificationem ille nunquam, ut apparet, peruenit. Legitur enim in idololatria sua, & fide pseudo-prophetarum, odioq; & sæuitia contra ueros Domini uates, usq; ad extremum uitæ perstitisse.

Tum certum est, Dominum, quo homines efficacius & à prauis operibus absterreat, & ad uerẽ bona opera inuitet, solere ijs quoq; cum mitigare meritas pœnas temporales, tum beneficia temporalia præstare, qui sese etiam citra ueram fidem à noxijs factis abstraxerint, & salutaribus actionibus incubuerint. Quam-

Deus iis quoque poenas temporales mitigat, & temporaliter benefacit, qui se alienent a factis noxijs, & utilibus incumbunt.

DD

obrem

obrem mirū non est, si Deus & Achabo propter suam humiliationem, quam ad comminationem per Eliam ei factam præstitit, benefecerit, atq; exterminium domus eius, quod ille sua maxima impietate meruerat, reiecerit usq; ad necem eius paulo pōst futuram.

Hæc sit altera ad scripturas per Maluendam adductas responsio, de ea iudicent pī lectores.

RESPONSIO AD SCRIPTURAS QVAS

adduxit pro eodem dogmate Billichius.

Pág. 143. **H**IC in expensione & reprehensione primi nostri axiomatis conatus ostendere, opera iustificationem præcedentia, ad eam aliquid conferre, & ad gratiam quodammodo præparare, adduxit plura præterea scripturarum loca, & primum illud in prouerbij: Hominis est præparare animam. præscidit autē, quod est in eodem uersu adiunctum, Et Domini gubernare linguā. In Ebręo uerò habetur iste uersus ad hunc modum: Hominis sunt apparatus cordis, & à Domino responsio linguæ. quod est, hominem quidem instituere quid uelit loqui, Deū autē dare, quid loquatur. In his uerò quid quæso est de præparatione ad gratiā & iustificationem? Deinde ingerit exemplum Achab, & adijcit exempla Manasse, Nabuchodonosor, Niniuitarū, & Cornelij cęturionis. Affirmatq; hos pessimos alioqui & impios, se per opera pœnitentiæ præparasse ad placandum Deum. De Achabo iam responsum est.

De pœnitentia Manasse.

De Manasse uerò uide ipse pie lector, quid scriptura Dei commemoret. Ita sanē legimus. Hunc regem in angustia sua suspexisse & suspirasse ad faciem Domini Dei sui, est enim hic uerbum מלך ualdeq; se humiliasse coram Deo patrum suorum, & orasse ad Deum. Dumq; exoratum eum audiuisse, & in regnum suum restituisse. Cognouisse enim illū quod Dominus est Deus

Deus, Vnde ibidem subiicitur, quod idololatriam omnem remouerit, & uerum Dei cultum restituerit, atque instaurauerit, populūq; ad eum reuocarit. Atqui hæc omnia fuerunt effecta fidei. hac enim una ille uerè cognouit, quod Dominus uerus Deus est; hac sola animo suo ad eum conuersus est, eiusq; gratiā anxie quesiiuit, fideli precatione: hac denique sicut uirā impietatis suæ poenitentia compunctus fuit, ita hanc quoque professus est & declarauit, ieiunando, seseq; humiliando, tum etiam impios cultus amolendo, & ueram religionem restituendo. Iustificationē igitur hæc fidei officia consecuta sunt, non præcesserunt.

Talis fuit & Nebucadnezari conuersio, quam his *Poenitentia* uerbis ipse professus est: Sub finē, inquit, dierum ego *Nebucad-* Nebucadnezar, sustuli oculos meos in cœlum, & cog- *nezar ex fi-* nitio mea est mihi reddita, benedixi q; altissimo, & uide. de. uentem in secula laudauī & glorificaui, cuius potestas est potestas æterna, & regnum eius in generatione & generationem. Quis iam non & hæc agnoscat omnia fuisse certa fidei officia? At qui uera fide præditus est, ille iustificatus est. Secuta ergo est, non præcessit iustificationem & hæc Nebucadnezari poenitentia.

Idē & de Niniuitis Ionas testatus est. Et crediderunt, *Poenitentia* inquit, Deo, indixerūtq; ieiuniū. Et fide ergo qua iam *Niniuita-* iustificati erant, & hi poenitentia suam salutarē, & con- *rū ex fide.* cœperunt & egerūt. De qua resuprà plura diximus.

Quod uerò & Cornelij exemplum adduxerunt, *De conuer-* minus rationis habet. Nam de eo Lucas scriptum reli- *sione ex fi-* quit: fuisse uirum pium, timentem Dei, precibus & e- *de Corne-* leemosinis deditū, acceptasq; fuisse Deo preces eius, & liij. elemosinas. At sine fide impossibile est placere Deo: fidem uerò qui habet, iam iustificatus est. Hic ergo lo- cus commemorat opera iustificati, non iustificandi.

Audiuerat hic uir Dei doctrinam salutis à Iudæis, & ei crediderat, eaq; fide erat iam iustificatus, hoc est, remissione peccatorum donatus, & in gratiam Dei receptus. Eoq; cum pleniore & reuelatiore opus haberet cognitione Christi, & hanc ei Deus per Petrum imperit. Verum ante hanc solidiorē & explicatiorem, donatus fuerat Christi cognitione, generali & implicita, eaq; ut multi alij ex Iudæis, in gratiam Dei receptus erat. His consentit etiam D. Thomas Aquinas 22. & quest. 10. ar. 4.

*Augustini
opinio de
fide Corne
lij.*

Scribit quidem D. Augustinus in responsione. 2. ad quest. 2. Simplicem Cornelium, priusquam sacramentorum participatione incorporaretur ecclesiæ, habuisse quidem fidei gratiam, sed non tantam, quanta ei suffecisset ad obtinendum regnum cœlorum. Id autem sic debet intelligi. Si ille societatem ecclesiæ & baptismatis beneficium contempsisset. Alioqui si morte præuentus fuisset cum uoto baptismi, in uitam nihilominus de morte transiisset: ut D. Ambrosius de Valentiniano 2. pronunciauit, in oratione sua funebri de huius obitu, cui & Scholastici saniores consentiunt. Nec enim potest fallere uerbū Domini, qui dixit eum, qui audit Euangeliū suum, & credit ei qui misit eum, habere uitam æternam: & non uenire in iudicium, sed iam transiisse in uitam de morte.

*Votum ba-
ptismatis
ad salutem
satis esse,
cum bap-
tis-
ma haberi
non potest.*

D. tamen Augustinus in ea sententiā fuit, ut eos, qui sine baptismo hinc discedunt, existimarit expertes esse regni cœlorum. Contrarium autem cum docuerit D. Ambrosius, sitq; huius sententiā cum scriptura Dei magis consentanea, eam merito sequimur, quam & Thomas Aquinas secutus est, parte 3. quest. 88. ar. 2.

Post ista pœnitentiæ exempla adiecit Billickius, Dominum ipsum admonuisse ad huiusmodi opera pœni-

pœnitentiæ in Euangelio Matth. 11. & 12. In utroq; aut loco quid aliud legitur quàm Dominum reprehēſſiſſe Iudæorum impœnitentiã, qui uocantem ad pœnitentiã & Ioannē, & ipſum contempſerant, tum hortatum fuiſſe ad digna pœnitentiæ opera. Eadem habentur & 2. Cor. 12. & Apocalypſeos, quæ loca ibidem annotauit. Sed Billickius his locis indicatis iſtud ſubiunxit: Niſi huiuſmodi opera, aliquid huc conferrent, & ad gratiam quodammodo præpararent, fruſtra nobis tot ſcripturæ locis commendarentur, ſcilicet.

Ergo Chriſtus Dominus, Paulus, & autor Apocalypſeos, commendauerunt opera pœnitentiæ, quæ homines facere debebant ante iuſtificationem, hoc eſt, abſq; fide, ut ita ſe ad iuſtificationem & gratiã Dei præpararent. Quin agnoſcimus Dominum, Apoſtolum, & Apocalypſeos ſcriptorem his locis hortari in primis ad credendum Euangelio, deinde ad fruſtus ferendos dignos pœnitentiæ ex hac fide excitatæ. Certè ne apiculus quidē in his locis ineſt, de operibus, quibus ad gratiam Dei & iuſtificationē homines queant præparari. Qua niſi præueniantur homines, nullam poſſunt unquam uel cogitationem concipere, ſiue pœnitentiæ ſalutaris, ſiue ullius boni operis. Accedentem enim ad Deum neceſſe eſt ante omnia credere, quod Deus eſt: & eſt ſicut quærentibus ſe benignus remunerator, ita contemnentibus iuſtus ultor.

Scriptura paſſim hortatur, & ad credendum Deo, & diligendum Deum, ut filij Dei ſimus. Inde ne igitur colligemus homines etiã ante iuſtificationē poſſe habere & fidē & charitatē? At ſi iſta conſecutio nō ualet, nec certè iſta ualet, qua aduerſarij ex eo, quod ſpiritus ſanctus reprehendit hominum impœnitentiã, & inuitat eos ad pœnitentiã, dignaq; pœnitentiæ

opera cōcludere uolunt, haberi ista ab homine posse, pœnitentiã salutarem & eius opera, ante fidem & iustificationem, ut scilicet his ad fidem & iustificationem præparentur. Deus enim tantum ad pœnitentiã salutarem uocat, quæ non nisi ex fide existit, & est non nisi iustificationum. Planum igitur est, ex his locis de uis operum, quæ iustificationem præcedunt, nihil omnino colligi posse.

*Explicatur locus,
Date eleemosinam,
et erunt uobis omnia munda.*

Adiicit adhuc locum unum Billickius ex Luca II. Vbi Dominus dixit ihs, qui intus pleni erant rapina, & iniquitate: Veruntamen quod superest, date eleemosinam, & erunt omnia munda uobis. Sed quid & ille ad institutum facit aduersariorum, nisi ex eo huiusmodi tibi sophisma fingas. Homines pleni rapina & iniquitate, & in his malis perseuerantes, possunt facere eleemosinam, qua mundentur eis omnia: possunt ergo ante iustificationem, quia ab homine adhuc rapinae & iniquitatis pleno, fieri opera mundantia omnia, atq; ideo etiam iustificantia, uel ad iustificationem præparantia. Poterant & debebant hi magistri à D. Augustino discere in Enchiridio cap. 72. eos frustra sibi de hoc loco blandiri, qui in impietate sua permanentes, eleemosinas faciunt, quum incredulis & immundis nihil mundum sit, fide enim purificantur corda hominum qua & iustificantur. Dominus præcepit dare eleemosinam, sed ex fide nominis sui: & sic facientibus eleemosinas promisit munda fore omnia, purgante scilicet horum omnia sanguine ipsius, quem hi fide apprehendunt. Non potuit enim filius Dei iubere quicquam, quod non ad gloriam Dei referatur, multo minus ulli operi uiciosè factò aliquid polliceri. Qui certè uel hunc maximè locum rectè expenderint, per se uidebunt eo dogma aduersariorum eueri, & nostram ueritatem con-

confirmari. Statim enim post hoc dictū de eleemosina, reprehendit Dominus pharisæos, quod de rebus minutis decimas, id est, eleemosinas darent, iudicium autem & dilectionem Dei prætermitterent. Atque dixit: Hæc oportebat facere, & illa non omittere. Iam cum qui reprehendantur & condemnentur à Domino, si, qui præceptas à Deo eleemosinas faciunt, si eas sine iudicio & dilectione Dei faciant: quis non uideat homines illis operibus, quæ ex præcepto Dei bona sunt, si ea faciant sine iudicio & dilectione, iram Dei in se, non misericordiam prouocare, & sese ad cōdemnationem præparare, non ad iustificationem? Dicit siquidem Dominus: Væ uobis, qui decimatis mentam & rutam. At tam religiosè dare decimas, præceptum erat à Deo, atque hæcenus bonum opus. Si iam Dominus ad eos, qui citra fidem faciunt ea, quæ fide facta, bona opera sunt, Væ dicit: certè clarè testatur, illos ob hæc ipsa opera, quatenus nimirū sine fide fiūt, iram Dei in se singulariter prouocare, & merito quidem: præstantissimis enim rebus, & Dei donis abutuntur, & ad illudendum Deo conuertunt, quæ ille ad glorificandū se præcepit.

Dominus dicit. Væ illis, qui faciunt quæ præcepit sine fide.

Idem concluditur & ex cæteris locis, quos Billickius de pœnitentiâ adduxit. Euidenter enim & ex illis demonstratur, cōdemnari omnē hominē, & cuncta eius facta, qui in peccatis & ira Dei perseverat. Ad cōdemnationem igitur eum cuncta eius opera, dum in impietate sua heret, præparant, non ad iustificationē, adeoque iram Dei in eum prouocant, non gratiam.

DE TRIPlici GENERE OPERVM, QUAE IUSTIFICATIONE præcedunt, & euidenter numerari debent inter bona opera, Et quid his tribui possit præparationis ad iustificationem.

VT uerò præsens disputatio plenius excutiatur, & de

Tria operum in specie bonorum genera, quae iustificationem praecedunt.

de operibus iustificationem praecedentibus certius iudicari queat, animaduertamus tria esse horum operum genera, quae & speciem habent bonorum operum, & iustificationem praecedunt. Nam sunt multa ab hominibus adhuc ueri Dei & cognitione & studio destitutis, quae Deus praecipit, quaeque hominibus bono sunt. fiunt etiam talia ab ijs, qui iam aliqua Dei cognitione praediti, & cura excitati sunt, sed nondum iusta uel scientia Dei, uel colendi Deum uoluntate donati. fiunt denique etiam non pauca huiusmodi opera ab ijs, qui iam de sua peruersitate compuncti, expetunt anxie ueram solidamque Dei & cognitionem, & colendi religionem. Haec tria operum genera iam in exemplis consideremus.

Quis dubitet Cornelium illum centurionem, in quo tanta postea Christi gratia eluxit, etiam ante cognitionem ueri Dei, quam a Iudaeis postea percepit, honeste & humane uixisse? & nihilominus creaturam in idolis suis praeter Deo coluisse. Ita constat Paulum legem Dei, & a Gamaliele diligenter didicisse, & praecoeptis suis studiosè quoque obseruasse: tum etiam cum de sua haec iustitia, & eo, in quo uersabatur Dei cultu, adeo erat securus, ut ecclesiam Christi crudelissime insectaretur. Qualia tertia generis opera sint, describit admodum graphicè D. Augustinus in se ipso, per quintum, sextum, septimum, & octauum librum Confessionum suarum.

Commemorat enim se toto decennio & amplius, miserè attritum fuisse & excruciatum, cum inquirendo quam religionem sequeretur, tum excitando, & uincendo se, ut solide sequeretur, quam ei Dominus iam patefecerat. Nam Dominus animam illius admodum multiplici & diuturna eruditione, compunctione & excitatione, ad se pertraxit. Dedit ei primum depre-

hen

hendere imposturas & hypocrisis Manichæorum, indeq; immisit & de illorum dogmatis dubitationem: perduxit eum postea Mediolanū, ut D. Ambrosium audiret, effecitq; ut illum audiret percupidè. Cunque ille dicentis tantum facundiam sectaretur, non dictorum ueritatem, insinuauit animo eius simul cum uerbis quæ diligebat, res quas negligebat. Atque ita per hunc eum docuit primū, scripturas contra Manichæos defendi posse: deinde nec scripturas, nec ecclesiam, Deum figuram humani corporis, aut aliquid absurdum affingere, quod mendacium Manichæi ei suggererant. Itaque abstraxit eum benignissimus Deus a perditione Manichæorum, & ut se catechumenum ecclesie suæ offerret permouit. Auctaq; inde in animo eius autoritate & fide scripturarum ex illa, gradatim eum expediuit cunctis Manichæorum laqueis, & ueram de se sententiam persuasit. Vbi autem liberatus altero impietatis genere, sacrilege de Deo opinionis: hereret autem in altero, quod nondum se ei, quem iam cognouerat, cōsecraret ritè colēdo: dedit ei in mentem Deus, ut ad Simplicianum sese cōferret, eumq; huius exhortatione, & exemplo Victorini, quod ei per Simplicianū proposuit: deinde per Potitiani sermonem, & D. Antonij exemplum, eum mirificè inflammauit ut iam cuperet ista exempla imitari. Cunque ferrea eius, ut ipse quaritur, uoluntas mala consuetudineroborata repugnaret, indies exagitauit misericors Deus, eum acri dolore & cōpunctione propter hanc eius celsationem, fecitq; eum fremere spiritu, & turbulentissima sibi ipsi irasci indignatione, quod non iret in placitum & pactū Christi, quò eundū iam omnia eius ossa clamabant: & inde seuera, sua misericordia, flagella in eū timoris & pudoris indies ingeminauit, donec exasperata

Lib. 5. cap. 5.
 Dominus Augustinus capti tantum oratione Ambrosii, etiam doctrinam eius, non animaduertenti insinuauit.

sperata magis magisque eius de peccatis eius cōpunctio-
ne, & nouæ uitæ desiderio amplius incenso, excitaret
in animo eius altā illā considerationē, quæ totā eius cō-
traxit miserā, & congeffit in conspectū cordis eius, in-
gentēq; illā cōmouit procellā, unde uberrimus profu-
sus est imber lachrymarū, & ardentissima erupit preca-
tio illa, cuius sententiā retulit in Cōfessionibus suis his
uerbis: Et tu Domine usq; quo? Vsq; quo Domine
irasceris in finē? Ne memor fueris iniquitatū nostrarū
antiquarum. Cui precationi amarissimi illi questus suc-
cesserūt, Quamdiu? Quamdiu? Cras, Cras. Quare nō
modò? Quare non hac hora finis turpitudinis meæ?

Lib. 8.
cap. 12.

Summa &
ultima D.
Augustini
contritio.

Conuersio
Augustini,
ex lectione
D. Pauli,
perfecta, in-
fusa fide
iudā.

Post hanc demum, ut nouissimam, ita acerrimam cō-
tritionem fecit clemētissimus Deus insonare ei uocem
illam: Tolle lege, Tolle lege. & librū atq; locum illum
Pauli obtulit. Nō in cōmessationibus & ebrietatibus,
non in cubilibus & impudicitijs, non in cōtentione &
emulatione: sed induite Dominū Iesum Christum, &
carnis prudentiam ne feceritis in concupiscentijs. eoq;
loco lecto, infudit cordi eius lucem illam securitatis, lu-
cem solidæ fidei, quæ omnes dubitationis tenebras dif-
fugauit, & oblatam iustificationem est cōplexa. Hinc
igitur cognoscere licet, quod triplicia sunt opera, quæ
& uidentur esse bona opera, & iustificationem præce-
dunt, quorū scilicet alia sūt absq; ueri Dei cognitione
& studio, alia cum aliqua Dei cognitione, sed nō plena
& cum studio aliquo Dei, sed quod est præter scientiā.
Alia, infusa iam pleniore Dei cognitione, sed nōdum
efficaci ad animū planè regnandum Deo, & studio
Dei recto, uerū imbecilliore, quā ut solidā animi ad
Deū conuersionē efficiat. Nunc uideamus, quid præ-
parationis his singulis generibus operum tribui possit
ad iustificationē. Id aut certò perspicī nō potest, nisi de
eo

eo cōstet, quid' nam sit, hominē se ad iustificationē præparare: id ergo inquāramus hīc. Iustificationē uitę, qua nos Deus ita iustificat, ut uitā æternā addicat, cōstat esse omnino gratuitā peccatorū remissionē, & nostri, cū impij etiāmnū & inimici Dei sumus, cū Deo recōciliationem, inq; filios Dei adoptionē, & in gratiā suā receptionē. Cōstat quoq; iustificationē hanc nō nisi fide percipi: sed hęc ita percipi certō, ut eam indubitātō habeat, quicūq; in Christū uerē crediderit. Cōstat deniq; hęc ipsam quoq; fidē, esse gratuitū Dei donū, quod inspirat cui uult. Iure em̄ suo Deus miseret, quorū uult, & indurat quos uult. Hinc ergo concludit, si queat homo se ulla re uel actione ipse ad iustificationē pręparare, oportere eum posse aliquid facere aut pręstare, & tum, quando adhuc impius & Dei inimicus est, quo Deus moueat, ut fidē ei inspiret euāgelij sui, qua eam, quam offert euangelio suo, iustificationē amplectat. Hoc aut̄ omnino impossibile est. Impius em̄ & inimicus Deo homo, nō potest nō impia & inimica Deo opera facere, quę Deū potius ad excęcandū & indurandū eū, q̄ ut fidē ei saluificā inspiret, promoueat. Deinde & fidē ipsam, sic ut & peccatorū remissionē, omnino esse Dei gratuitū donū: nō igit̄ potest ab homine offerri quicūq; Deo, aut fieri, q̄d illū puocet ad inspirandū ei donū fidei: ita ut liceret dicere, quod homo se tali re, aut ope ad percipiendā fidē, & per fidē iustificationē ipse prępararet, & oculos misericordię Dei ad se ipse conuerteret. Non enim esset iam hoc donū prorsus gratuitum: sed aliqua ex parte operibus promeritū. At Paulus dicit: Si ex gratiā, iam non ex operib; alioquī gratiā iam non esset gratiā, Rom. ii. Et Augustinus, Gratiā non est ullo modo, si non sit gratuita omni modo.

Ad iustificationem certē ab homine percipiendam is reus rectē dici poterit sese pręparare suo aliquo opere,

Quid dici
possit, prę
parare se
ad iustifica
tionem.

re, qui opus tale fecerit, quo iudici, aut seipsum, aut causam suam aliquo modo approbet, aut certe eum aliquo incitet affectu, ut ultro, & ex se ipso, uel sua ipsius causa, non gratia personae rei, aut merito causae motus, secundum reum pronunciare uelit. Nunc consideremus, ut se habeant erga iudicem Deum homines, quos lex Dei reos coram eo agit, dum adhuc impij sunt & increduli, id est, nondum iustificati.

Primum in Deo non potest aliquis ab homine moueri affectus. Deinde non potest, ne iustificatus quidem homo, causam suam Deo suis approbare operibus, in cuius conspectu non iustificabitur omnis uiuens: sunt enim iustarum pannu mensuatae omnes iustitiae eius, etiam iustificati, ut D. Bernardus toties recte confitetur. Unde & iustificatus iam, iudicium Dei deprecatur. Quid igitur ualeat operibus suis homo nondum iustificatus, & irae Dei adhuc obnoxius? Postremo nec gratiam personae comparare sibi potest, qui nondum indutus est Christo, sordetque adhuc inuisa Deo persona ueteris Adami.

Ex his igitur facile liquet, hominem nondum iustificatum nullo se omnino genere operum, praeparare posse ad iustificationem: hoc est, nullum opus facere, quo Deum ad inspirandum sibi fidem, atque ita ad iustificandum se, ualeat prouocare.

Iam si singula illa operum genera quae iustificationem praecedunt consideremus, ueritas haec magis patebit. De operibus certe, quae fiunt absque omni Dei cognitione & studio, non est dubium. faciunt enim illa homines simpliciter sua, & aliorum hominum causa, non Dei: atque praeclearis his donis, honestis scilicet actionibus, ad contumeliam Dei abutuntur. Iram itaque sibi magis Dei, quam gratiam, his operibus conciliant.

Iam

Iam quæ opera homines faciunt, aliqua sed non iusta aut sincera Dei cognitione, & zelo aliquo Dei, sed depravato, ea opera quæ est humani ingenij arrogantia & insolentia, inflant homines impia sui fiducia & contemptu atq; odio iustitiæ Dei. Id quod D. Paulus testatus est de ludæis, tali zelo & cognitione Dei præditis, quod ignorantes iustitiam Dei, & suam constitutere quærentes, iustitiæ Dei non fuerunt subiecti. Quod enim nollent ludæi subijci iustitiæ Christi, huius superbiam causam fuisse dicit, quod & ignorauerunt Dei iustitiam, & suam uoluerunt statuere, hoc est, pro iustitiâ habere. Hinc certè factum est, ut pharisæi de sua iustitiâ tantopere confisi sint, & Christo Domino solidam iustitiâ docenti, usq; adeo fuerint infensi. Et Paulus ipse huius iustitiæ sublatus fiducia, ecclesiam Dei tanto insectabatur odio & crudelitate. Liquet igitur abundè, quod nemo se ad iustificationem præparare possit, nec primo, nec secundo operum genere.

QVID CONFERANT AD IUSTIFICATIONEM opera tertij ordinis, ex cõuersione D. Augustini, quæ ordine excutitur.

DE operibus uerò tertij generis, maior uidetur esse causa dubitandi, quæ fiunt scilicet iam infusa menti uera Dei cognitione, & zelo nõ omnino errante: tamen adhuc ad innouandum uitam non satis efficaci. Qualia nimirum fuerunt illa opera Augustini: Deprehendere & detestari impias Manichæorum blasphemias: rectè sentire de diuinis scripturis, eas studio se legere: D. Ambrosium, Simplicianum & Potitianum cupidè audire: inatdescere ad imitandum exemplum Victorini & Antonij: amare iam Deum, & sese grauissimè reprehendere ob contationem se Christo penitus consecrandi, eamq; amarissimè deplorare, præcari

Opera aliqua Dei cognitione et studio, sed non solida fide facta contra Deum.

Lib. Confessio 5. capite 6. et 7. Lib. 6. cap. 5. Lib. 5. cap. 14. Lib. 8. cap. 1. 2. 5. 6. 7. & 8. & 11.

etiam cum lachrymis Dominū, ut fidē efficacē inspirāret. Hæc certē opera, & D. Augustini opera aliquo modo erant: eius enim iudicio & uolūtate, tamen si nō dum solido eius iudicio, & plena uolūtate fiebāt. Erāt quoq; eatenus bona opera, quod ad præcepti rationē attinet: erant em̄ à Deo præcepta, quanq; deesset fides solida, ex qua ut fierent, præceptū Dei poscebat. Deniq; apparet his ipsi operib; peccus D. Augustini omnino fuisse indies magis magisq; ad Dñm & excitatū, & impedimentis ueniendū ad Dñm expeditū, atq; ad orandū, & ad percipiendū uerū fidei lumen, & ipsam iustificationē, inflammatū. Hinc ergo uidef dici posse, Augustinū his sese operibus ad iustificationē præparasse. Verū si diligenter cōsideremus hæc ipsa D. Augustini, uel Dei potius in Augustino opera, ut ea Augustinus ipse descripsit, facile uidebimus, rectē dici illū, à Deo non rectē autē à se ipso ad iustificationē fuisse operibus illis præparatū. Iudicatio em̄ & uoluntas quibus ista opera faciebat, sic erāt perturbatę & incertę & nutantes, ut fecisse illa opera, ipse dici propriē nō posset. Agebat em̄ ad ea, & efficiebat ea in illo spiritus Dñi, compungens eū indies acrius de peccato, & excitans efficacius ad iustitiā, ut suū ad hæc opera iudiciū, & uoluntatē ipse nondū planē adhiberet. Ad hæc, quoniam ista opera non faciebat corde planē cōsecrato deditoq; Deo per solidā fidē, certē bona opera, quantū edebant ab ipso, nō fuerunt, sed deprauationes potius eorū operū, quæ Deus ei recto & fideli corde facienda præceperat, ac etiā admirabili indulgētia ad preparandū eū solide saluti, in eo excitabat. In omni em̄ lucta illa, & contritione de peccatis suis, atq; desiderio cōuertendi sese ad Deū, suas prauas cupiditates & malā cōsuetudinē Deo, quā quā acriter extimulāti & benignē ad se inuocāti, adhuc ante-

Opera, quibus D. Augustinus ad iustificationē preparabatur nō planē Augustini, omnino autem ipsi nō bona opera fuerunt.

anteponere. Præparabat igitur omnino his quidē operibus ad salutarē pœnitentiā, sed quatenus ea in ipso Deus efficiebat, nō quatenus ea ipse deprauabat & reprimebat: dicitur cōuenit, quod Deus eū his operibus ad salutē præpararit: nō quod autē ipse sese, id est, quod ipse fecerit, per quod oculos misericordiæ Dei ad se cōuerterit. Nimis em̄ graue peccatū erat, quod tam potētē Dei ipsū ad se retrahētis dignationē supra totos 11. annos perrexit cōtemnere. Primū, non credendo simpliciter uerbo Dei in scripturis, ipsi iam Dei munere multis modis cōmendato. Fatetur em̄ ipse in Confessionibus suis, quod cum Deus ipsi iam Manichæorum fraudes detexisset, ad D. Ambrosium adduxisset, & operienti cor, ad excipiendum quā ille diceret diceret, dedisse ei, ut etiā animaduertere, quā uerē ille diceret, diu tamen distulisse ecclesiæ Christi dare nomen & fieri catechumenū. Cūq; ei & hoc contulisset, atq; animū eius eo usq; illuminasset, ut ibidem diuinorum scripturarum iam uideret ueritatem & maiestatem, atq; sentiret scientiam salutis ab his omnino petendam esse, tamen contatum fuisse perquam diu se, relicta spe seculi, conferre totum ad quarendū Deum, & uitam beatam. Vnde ubi lucam, quam Deus in animo eius excitauerat, de sua plena cōuersione, descripsit, subiecit hæc: Cum hæc, inquit, dicebā, & alternabant hi uenti, & impellebant hūc atq; illuc cor meum, transibant tempora, & tardabam conuerti ad Dominum Deum, & differebam de die in diem uiuere in te, & non differebam cottidie in memetipso mori, amans beatam uitam, timebam illam in sede sua, & ab ea fugiens, quærebat eam. Obserua hic, quod scripsit, Tardabam conuerti ad te Dominum Deum, Et differebat de die in diē uiuere in te, nō differebat cottidie mori in me.

Qui

Deus Augustinus non se ad iustificationem præparauit.

Vndecim annos Augustinus præparari se ad iustificationem passus est, antequam eam plane reciperet. Lib. 5. cap. 14

Lib. 6. cap. 8.

Lib. 11. cap. 7

Nota, huc atque illuc: nō dum igitur ipse hæc plane agebat, sed his agitabatur.

Qui igitur moriebatur in se, & differebat uiuere in Deo, tardabat conuerti ad Deū, ad condemnationem sanè sese parabat, quod ad ipsum attinebat, non ad iustificacionem: idēq; eo grauius, quod tam acriter exci-
tus à perditione, & impulsus ad uitam tum resilliebat: Deus tamē pro infinita sua misericordia hoc diffiden-
tium consiliorum, & uoluntatum astu, & ista animi e-
ius exagitatione præparare eū, & ad se attrahere nihil
ominus indies magis instabat. De quo inter cætera ita
confessus est:

*Lib. 6.
cap. 16.
En, &igno-
rabam, nõ
igitur pro-
prie ipse e-
gisse dici
debet.*

Tibi laus, tibi gloria fons misericordiarum: Ego
siebam inferior, & tu propinquior. Aderat iam tamq̃
dextera tua ereptura me de cœno, & ablatura, & igno-
rabam. Nec me reuocabat à profundiore uoluptatum
carnalium gurgite, nisi metus mortis & futuri iudicij
tui, qui per uarias quidē opiniones, nunquam tamen
recessit de pectore meo. Item, Tu uerò Domine in æter-
num imanes, & non in æternum irasceris nobis: quo-

*Lib. 7.
cap. 8.
En occulta
manus, &
conturbata
& contene-
brata acies
mentis.*

nam miseratus es terram & cinerem, & placuit in con-
spectu tuo reformare deformia mea, & stimulis inter-
nis agitabas me, ut impatiens essem, donec mihi per in-
teriores aspectū certus esses. Et residebat timor meus
ex occulta manu medicinæ tuæ, aciesq; conturbata &
contenebrata mentis meæ, acri collirio salubrium do-
lorum meorum de die in diem sanabatur.

*Lib. 7.
cap. 10.
Aduo lon-
ge à Deo al-
terat.*

Iam ubi eum Deus grandi illa luce perfudit, qua ip-
sum iam sine dubitatione cognoscebat adeò, ut contre-
meret amore & horrore, tamen fatetur quod se inuene-
rit longè esse à Deo in regione dissimilitudinis, & iam
audire uocem Dei de excelso: Cibus sum grandis, cre-

*Lib. 8.
cap. 1.*

sce & manducabis me. De quo & alio in loco: Et mira-
bar, inquit, quod iam te amabam, non pro te phanta-
sma, Et non instabam frui Deo meo: sed rapiebar ad
te de-

te decore tuo, moxq; deripiebar abs te pondere meo,
& ruebam in ista cum gemitu, & pondus hoc, confue-
tudo carnalis. Item infra: De mea uero temporali uita
nutabant omnia, & mundandum erat cor a fermento
ueteri, & placebat uia ipse Saluator, & ire per eius an-
gustias adhuc pigebat.

Vide operis
Dei Boni in
Augustino,
ab Augustino
deprecatio-
nem.

Vide, Ire ad-
huc pigebat.

Et hoc alterum esse impietatis genus, & in eo deten-
tum se tum fuisse, ab altero iam impietatis genere, im-
pia de Deo opinione, liberatum, ipse paulo post fate-
tur. Et est aliud genus impiorum, qui cognoscentes
Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias e-
gerunt, in hoc quoq; incideram.

En in quo Au-
gustinus ge-
nere impio-
rum seipsum
ponit, & qua-
lem.

Quanta in
preparato
ad iustifica-
tionem Au-
gustino im-
pietas.

Ipse itaq; Augustinus impius adhuc erat in omni
ista rixa & lucta, quam Dominus in animo eius excita-
uerat, & in suis omnibus cogitationibus, dictis & fa-
ctis, quantum ad ipsum attinebat, oculos misericordie
a se auertebat. Mala enim, quæ ei Dominus in istis co-
punctionibus clare ostendebat, non deferebat: in car-
ne & sanguine adhuc uolutabatur, ut ipse de se queri-
tur: aeternumq; bonum, quod ei sese offerebat, ut frue-
retur ipso Deo, & uiveret in eo, non amplectebatur.
Quod cum alijs, tum & his uerbis est ipse confessus:

Lib. 8. cap. 12
Ergo agita-
bar potius
a Deo, quam
agebat ipse

Sic enim, inquit, ægrotabam & exercebar, accu-
satis memetipsum solito acerbis nimis, ac uolens &
uersans me in uinculo meo, donec obrumperetur to-
tum, quo iam exiguo tenebar, sed tenebar tamen: & in-
stabas tu in occultis meis Domine seuera misericor-
dia, flagella ingeminans timoris & pudoris, ne rursus
cessarem, & non obrumperetur id ipsum exiguum &
tenue, quod remanserat, & reualefceret iterum, & me
robustius alligaret. Dicebam enim apud me intus: Ec-
ce modò fiat, modò fiat. Et cum uerbo iam ibam in pla-
citum, iam penè faciebam & non faciebam: nec rela-
bebar

Tenebatur
tamen.

Ecce, Pene fa-
ciebam & nò
faciebam.

Hæsitabat
mori morti
& uitæ ui
uere.

Nota hoc,

Plus.

Nota Pun

ctum.

Renasci erat
horrori.

Retinebant
nugæ nuga
rum.

Lib. 8. cap. 7.
Nollem me
attendere.

Sed dissimula
bam.
Lib. 9. cap. 1.

bebar tamen in pristina, sed de proximo stabam & re-
spirabam: & item conabar, & paulo minus ibi eram,
& paulo minus iam iamque attingebam & tenebam, & non
ibi eram, nec attingebam, nec tenebam, hæsitans mori
morti, & uitæ uiuere: plusque in me ualebat deterius in-
olitum, quam melius insolitum: punctumque ipsum tem-
poris quo aliud futurus eram, quanto proprius admo-
uebatur, tanto amplior in cutiebat horrorem, sed non
re-cutiebat retro, nec auertebat, sed suspendebat. Reti-
nebant me nugæ nugarum, & uanitates uanitatū, &c.
En placitum Dei nondum attingebat, nondum tene-
bat, mortique mortuus nondum erat, nec uiuebat uitæ.
Proinde quicquid detestationis peccati, & excitationis
ad ueram pœnitentiam in animo Augustini extitit, to-
to illo tempore, quo cœpit deprehendere, & dānare er-
rores & uitiā sua, & iustam conversionē sui ad Deum
quærere & expetere, fuit sanè præparatio eius ad salu-
tem: sed quatenus Dominus hæc omnia in eo efficie-
bat, non quatenus ipse. Dominus enim eum ad uitā pa-
rabat, ille se impediēbat. Dominus ad salutē trahebat,
ipse renitebatur. De quo ita ipse cōfessus Domino est:
Tu autem Domine inter uerba Potitiani retorque-
bas me ad ipsum, auferens me à dorso meo, ubi me po-
sueram, dum nollem me attendere, & constituēbas me
ante faciē meā, ut uiderem quam turpis essem, quam
distortus & sordidus, maculosus & ulcerosus. Et uide-
bam, & horrebam, & quod à me fugerē non erat. Et si co-
nabar à me auertere aspectū, narrabat ille quod narra-
bat, & tu me rursus opponebas mihi, & impingebas
me in oculos meos, ut inuenirē iniquitatē meā & odif-
sem. Noueram eam, sed dissimulabam, & conuiebam,
& obliuiscēbar. Itē, Domine, ego seruus tuus, ego ser-
uus tuus, & filius ancillæ tuæ. Dirupisti uincula mea,
tibi

tibi sacrificabo hostiã laudis. Laudet te cor meũ, & lingua mea, & omnia ossa mea dicant: Domine quis similis tibi? Dicant, & responde mihi, & dic anime meæ, salus tua ego sum. Quis igitur ego, & qualis ego? Quid nõ mali ego? An facta mea: aut si nõ facta, dicta mea: aut si non dicta, uoluntas mea fuit? Tu autem Domine bonus & misericors, & dextera tua respiciens profunditatem mortis meæ, & à fundo cordis mei exhauriens abyssum corruptiõis. Et hoc erat totum nolle quod uolebas, & uelle quod nolebas. Sed ubi erat tam annoso tempore, & de quo imo alioque secreto, euocatum est in momento liberum arbitrium meum, quo subderem ceruicem leni iugo tuo, & humeros leui sarcinæ tuæ, Christe Iesu, adiutor meus & redemptor meus: Quam suauem mihi factum est carere suauitatibus nugarum, & quas amittere meum fuerat, iam dimittere gaudium erat. Eijciebas enim eas à me, uera & tu summa suauitas: eijciebas & intrabas pro eis omni uoluptate dulcior, sed nõ carni & sanguini: omni luce clarior, sed omni secreto interior: omni honore sublimior, sed non sublimibus in se. Iam liber erat animus meus à curis mordacibus ambiendi & acquirendi & uoluitandi atque scalpendi scabiem libidinum, & garriebam tibi claritati meæ, & diuitijs meis, & saluti meæ Domino Deo meo.

Ecce fatetur se in imo & alto corruptionis hæsisse, ad illud usque momentum, quo subito euocatum inde est liberum arbitrium eius, quo subiceret planè ceruicem suam leni iugo, & humeros leui sarcinæ Christi. Illud uerò momentum tum ei illuxit, quando Dominus fecit in sonare auribus eius beatam illam uocem, Tolle, lege, Tolle, lege: & dedit simul ei agnoscere, se ea uoce iuberi diuinitus aperire codicem, & legere quod primum capitulum inuenisset, & cum sine apostolici di-

Ecce ipse agnoscit illa, quibus ad iustificacionem est preparatus, ne facta, nec dicta, nec uota sua fuisse.

Nolebat adhuc quæ uolebat Deus.

Memento. Momentum iustificacionis.

Cõditio iam iustificati.

Solida ad Deum conuersio.

Lib. 8. cap. 12. Vide ordinem operum Dei in iustificacione.

Et quod legerat, Induimini Dominum Iesum Christum, lucem securitatis cordi eius infudit, eaque omnes dubitationis tenebras ipse diffugauit.

Ex his, quis non uideat, cunctam hominis ad iustificationem, preparationem, opus esse non hominum, sed Dei in hominibus, qui, quam diu non afflatus diuinitus luce fidei, credunt solide in Christum filium Dei, inimici Dei sunt, & filij irae: mala arbores, quae nullos bonos sibi & salutare, sed malos tantum atque noxios fructus proferre poterunt, quod ad ipsorum quidem animum attinet, adhuc sicut incredulum, ita contemptorem Dei & inuisum Deo. Id uero adhuc plenius demonstrabitur in postrema huius tractationis parte, cum ostendemus peccata esse, quicquid homines ante iustificationem fecerint. Nunc replicandum uenit, ad quaedam aduersariorum responsa nobis ad obiectum eis a nobis dictum illud Domini, Nemo potest ad me uenire, nisi pater meus traxerit eum, data.

DE RATIONE, QVA PATER TRAHIT
homines ad filium suum, Billickij responsa reprehenduntur.

CUM dixissemus supra in nostra prima responsione, conuersionem nostri ad Deum totam pendere a Domino, & nos ante hanc operibus nostris nos preparare ad iram Dei, non ad gratiam, & auertere misericordiae diuinae oculos a nobis, non ad nos conuertere: subiicimus haec omnia niti illo Domini dicto, Nemo potest ad me uenire, nisi pater meus traxerit eum.

Ad haec Billickius regessit: Aliter trahi impios, aliter pios: & impios trahi cum operibus bonis insistant ac preparantur, non quidem sine quadam gratia Dei, quanquam non dum iustificante. Et subiicit: Quia Deus nonnunquam requirit a nobis preparationem, ideo attra-

trahere hunc, excitādo mortuam fidem, nunc per uerbum prædicationis, interdum per exemplū alienum, aliquando per calamitates & afflictiones. Et ad confirmandum hæc, adducit exemplum filij prodigi, in quo illa, quod hic fame compulfus apud se dixit: Ibo ad patrem meum, & dicam, peccavi pater. item, quod huic perditio filio adhuc procul existēti pater occurrit, sic interpretatur, ut dicat per ea significatum, peccatorē adhuc in peccatis, & amore sui commodi hærentem, statuere apud se redire ad patrem suum Deum, uotū confessionis concipere, & misericordiā consequi. Et hanc suam interpretationem audet Billickius sanctis Patribus adscribere: uerū nullum ex aliquo sanctorū Patrum testimonium adduxit, sicut nec potuit.

Excita fides mortua non est.

Noua Billickij de filio prodigo interpretatio.

Quanquam autem hæc eiusmodi sint, ut quicunque ea cum scripturis contulerit, liquidò uideat, quàm sint indigna theologo: paucis tamen id ipsum & nos indicabimus. Ait primū, aliter trahi impios, aliter pios. De piorū uerò attractu, in qua scriptura legitur: Agi hos spiritu Christi, iam ad eum attractos, & in ipso manentes, Paulus testatur, Rom. 8. Deinde dicit, trahi impios cum insistant bonis operibus. Dominus autem noster Iesus dicit, Malam arborem non posse bonum fructum ferre: omnis autē impius mala arbor est, quia Christo bonæ uiriditatis arbori nondum est insitus. igitur manet in uite uera palmes uigens.

Præterea dicit, Deum nonnunquam requirere à nobis præparationem: scripturæ uerò testantur, Deum requirere à nobis plenam conuersionem, & fidem qua iustificamur, non præparationem ad eam, quam etiam homo nondum iustificatus præstare non potest. Proferat uerò Billickius unum uerbū ex omni scriptura, aut etiam ex ullo S. Patrum, quo doceatur, Deum re-

Billickius, Deum ait requirere ad iustificationē præparationē.

quirere à nobis præparationem ad iustificationem, & non fidem solidam & iustificantem: quam licet ipse inspiret & donet totam, tamen iubet nos credere sibi, & habere fidem, quia nostra uoluntate credendum est, sed quam ipse huc permouerit. Præparationem ad gratiam D. Augustinus dicit esse Dei prædestinationem, De prædestinatione sanctorum, cap. 10.

Vide Augustinum, De prædestinatione sanctorum, cap. 8.

Aequè alienū à doctrina pietatis est, quod ait Deum homines trahere excitando mortuam fidem. Trahit enim pater ad filiū, ut D. Augustinus recte dixit, reuelando filium suū, & fidem euangelij uiuā inspirando. Nec enim potest mortua fides excitari, nisi uiua fiat.

Quod hic subiicit, Trahi autem homines per uerbum prædicationis, interdum per exemplum alienum, aliquando per calamitates & afflictiones, ista sic uera sunt, si intelligas trahentem patrem his omnibus rebus uti ad trahendum ad se quos uult: tractum autem ipsum in eo consistere & perfici, quod pater reuelat filium suum, ea fide euangelij inspirata, ex qua dicamus cum Petro, Tu es Christus filius Dei uiui.

Ad parabolam filij prodigi, quam adducit, respondemus. Primum, parabolis & allegorijs nihil probari credendum. Deinde contra omnem scripturam illud Billickium dixisse, hominem, dum adhuc ita longe à Deo abest, ut in peccatis adhuc sit, & impius, tendere ad Deum, uotum concipere confessionis, misericordiamq; Dei impetrare. Dominus enim inquit, Nemo potest ad me uenire, nisi quem pater meus traxerit, hoc est, cui me seruatorem reuelarit, fidemq; nominis mei inspirauerit. Nam ij demum ad Christum ueniunt, qui euangelion eius à patre ipso audierint & didicerint. At qui hac à patre fide fuerint donatis, hi à peccatis purgati & iustificati sunt. Rectè igitur D. Augu

Augustinus cogitationē istam, Surgam & ibo ad patrem meum, inspirari scripsit à patre misericordissimo.

Vides qualia hæc sint, quæ Billickius hoc loco proposuit, tamen ausus est dicere ea, quæ ipsi de operibus præparatorijs tradunt, tradere ferè omnes scripturas. Deplorandum certè est, ista adhuc defendi in tanta diuinarum scripturarum luce, quantam benignissimus Deus hoc seculo nobis infudit, quæ tam aperte pugnant, cum non solum diuina scriptura, sed etiam sanctis patribus: nec ullum aliud habent fundamentum, ne apud scholasticos quidem, quàm hoc unum, quod forma non possit esse nisi in materia disposita: quin & inter hos, qui sunt saniores, agnoscunt præparationem & dispositionem ad iustificationem perfectam, nihil esse aliud, quàm motum liberi arbitrij, ad recipiendum donum gratiæ & iustificationem, id est, conuersionem mentis ad Deum, & inspiratio nem fidei. Eos uerò ad poenitentiam motus, qui ad suscipiendam iustificationem non permouent, esse imperfectas præparationes, & nullo posse, ne cõgrui quidem merito deputari. Ex eo uerò cõcluditur, etiã secundum hos saniores scholasticos, hominem ante iustificationē, nihil posse boni operis efficere, quod tñm ullam habeat eum, ad iustificationem ita præparandī, ut oculos misericordiæ ad eum conuerteret.

Quæ scholastici scripturæ loca de præparatione ad gratiam adducunt, ut illud Amos 4. Præparare in occursum Domini Dei tui. Item 1. Samuel 7. Præparate corda uestra Domino, nihil in se continent, quàm exhortationem ad solidā cõuersionem animi ad Deum, quæ fide perficitur. Quare perinde ualēt, ac si dixissent Propheta: Conuertimini ad Deum toto corde: aut, ut in Ezechiele præcipit, Facite uobis cor nouū, & spiritum

Fundamentū
totius dog-
matis de ope-
ribus ad iusti-
ficationē præ-
parantibus.
Augustinus
ad Paulinū.
Thomas 1. 2.
parte, quest.
112. artic. 2.
Quid præpa-
ratio ad iusti-
ficationem
scholasticis
sanioribus.

Quas scriptu-
ras scholasti-
ci adducunt
pro dogmate
de præpara-
tione ad iusti-
ficationē ope-
ribus.

Ezech. 18.

tum novum. Dicemus, ne igitur, homines hæc præsta-
re posse ante iustificationem? Præcipit Dominus cre-
dere sibi, credere euangelio: & necesse est hominẽ huic
præcepto obsequi. Sed tum id fit, cum Dominus fidẽ
gratuito inspirat, ut simul & donum fidei percipiatur,
& obedientia fidei præstetur, & ea non nisi eo ipso, fi-
dei dono, & spiritus fidei effectu.

Ista sic habere agnoscent, quibuscunque Domi-
nus, eam maiestatis suæ, & innatæ nobis peruersita-
tis, tum & legis & gratiæ suæ cognitionem est largi-
tus, ut de his summis salutis nostræ mysterijs ex ip-
sius scripturis, non ex cæca ipsorum ratione, & stul-
ta semper in rebus diuinis philosophia statuere uelint.
Etenim omni animali homini hæc stultitia sunt, & in-
telligi ab eo non possunt.

RESPONSIO AD TESTIMONIA SVB NO-
mine sanctorum Patrum adducta, pro operibus ad iustifica-
tionem præcedentibus: Et primum ad testimonium
pseudochrystomi de præparantibus ad
iustificationem operibus.

AVSVS est Billickius, pro ipsorũ dogmate, duo
adducere sub nomine sanctorum Patrum testi-
monia, quodq; planè deplorandæ audaciæ est, etiam
sub nomine D. Augustini, quo nemo hoc ipsorũ do-
gma grauius & copiosius confutarit. Prius testimoniũ
affert ex libro priore, De compunctione cordis, ad-
scripto D. Chrystomo, in quo, quod ad uerba atti-
net, id satis locupletè affirmatur, quod aduersarij con-
tendunt. Nam eo disertè dicitur, gratiam ad eos, qui
non initium ipsi faciunt conuertendi ad Dominum,
omnino non uenire. illam enim rectas mentes dilige-
re, & sine fuce propositum. hisq; subiecit, quisquis ille
impostor fuit, Dominum eo quod perspexisset, Apo-
stolum

solum Paulum, licet adhuc alio itinere uideretur in ce-
 dere, tamen proposito recto, & zelo Dei hoc agere, di-
 xisse de eo, Quia uas electionis est mihi iste, ut portet
 nomen meum coram gentibus & regibus, & filijs Isra-
 el: atq; testatur hoc de eo esse, priusquam ei gratiã de-
 dit. Hæc bis terq; Pelagiana confictus ille Chryso-
 stomus. Ad quæ respōdeo. Primùm omnibus qui syn-
 cero in doctrinam Christi, & piã ecclesiarum cōsen-
 sionem studio sunt, hoc indubiè non absque magno
 dolore lecturos, hosce doctores eiusmodi uoluisse fi-
 cti Chrysostomi testimonium adducere. Nam etsi
 nulla eis causa dubitandi de inscriptione libri ex ipso
 scripto uniuerso atque stylo oblata fuisset, tamen cum
 nō solum orthodoxæ tantum sanctorum Patrum, sed
 etiã scholasticæ doctrinæ, de gratiã & initio conuer-
 sionis nostræ, hoc testimonium supra quã Pelagia-
 nicè cōtradicit, etiã à lectione eius abhorrere debue-
 rant, tam oportebat ab illis abesse, illud per se in tali ad-
 ducere colloquio, quo de summa doctrinæ Christi tra-
 ctandum erat, & quidem sub tanto nomine. Vno et-
 enim ore omnes scholastici fatentur, neminem cōuerti
 ad Dominum, nisi præuentum à gratia mouente. di-
 ferteq; negant, cōuertendi nos ad Deum initium fieri
 à nobis. Deinde, ut dicant hi quosdam præparari ad
 gratiã præcedentibus operibus, quæ eo quod præcepta
 sunt, generi bonorum operũ accensentur: tamen agno-
 scunt hanc præparationem esse imperfectã, & nullius
 omnino esse meriti, si non liberum arbitrium ad per-
 cipiendam ilico iustificationem permoueatur. At hic
 fictus Chrysostomus dicit: gratiam ad eos, qui nec ini-
 tium faciunt conuertendi ad Dominum, omnino non
 uenire. Itaq; initium salutis posuit totum in homine ip-
 so nondum gratia moto; quod contradicit Domino,

Videtur hinc
 quantum my-
 sterium anti-
 christi exeru-
 erit se pridè,
 in supponen-
 dis sanctissi-
 mis patribus,
 impijs & no-
 ctis signis,

Bistickius
 sub nomine
 Chrysostomi
 obiicit, ut di-
 ctum catholi-
 cū, quo tribu-
 tur homini
 initium con-
 uertendi ad
 Deum, & re-
 ctam mētem
 ante gratiam
 iustificantē,

GG neganti

neganti ad se uenire, quē pater non attraxerit: & quod
Thomas 1. schola quoque S. patres secuta fatetur, primam gra-
 2. *quest.* tiam mouentem, nullam prorsus præcedere in homi-
 112. *art.* 2. ne preparationem.

Quid igitur potuisset dici magis Pelagianū, quā
 id quod hic ementitus Chrysostomus. pro ratione hu-
 ius dicti sui subnectit: Rectas enim, inquit, mētes dili-
 git gratia, & sine fūco propositum. Homini ergo etiam
 ante Dei gratiam, tribuit hic impostor nomen Chry-
 sostomi, non minus impiē, quā impudenter mentit-
 us, rectam mentem, & propositum sine fūco. Contra
 id quod scriptura affirmat, hominis cogitationē à pue-
 ro ad malum propendere: omnemq; hominem nō re-
 natum, esse mendacem & plenum dolo.

Billicius di-
 cit Pauli ze-
 lum ante eius
 cōuersionem
 sic placuisse
 Deo, ut eum
 propterea
 uocaret orga-
 num electū.

Perinde est quod idem pseudo-chrysostomus tri-
 buit Paulo adhuc persequenti Christum, rectum pro-
 positum, & eiusmodi zelum Dei, propter quē Domi-
 nus dixerit, illum fore sibi organum electum. Et quod
 Dominus hoc testatus de Paulo sit, priusquam ad gra-
 tiam peruenisset. Nam gloriatur Paulus ipse in Domi-
 no, se esse electum ad salutem ante cōditum mundum:
 & ad munus Apostolicum iam inde segregatum ab
 utero, idq; propter nullum suum rectum propositum,
 aut zelum. Ex suo enim zelo, quem ante iustificatio-
 nem sui habuit, fatetur se Christum blasphemasse, &
 ecclesiam Dei esse persecutum summo odio & crude-
 litate. Quis ergo non grauiter doleat uicem eccle-
 siæ, cum adhuc isto in loco adducitur dictum adeo im-
 portunē Pelagianum, etiam secundum scholasti-
 cam theologiam, idq; sub nomine tanti
 episcopi & doctoris ecclesiæ

LIBROS DE COMPVNCTIONE D.

Chryfostomo esse impudentissimo
 ausu adscriptos.

EX præcipuis sanè satanę laqueis, & antichristi my-
 sterijs, quæ hic pridè exerere cœpit, hoc est, quod
 tam multa impia hostium Christi inuenta & cõmentata
 supposita sunt, tam magnis nominibus sanctissimorũ
 patrũ. De quo doctissimus uir Erasmus toties meritò
 est, & grauer cõquestus. Quocirca p̄ij omnes diligen-
 ter debent cõsiderare, cum libros legũt S. patribus ad-
 scriptos, quid legant: & probè expendere, quàm sint ea
 quæ legunt, digna illis uiris Dei, & cõsentanea illorum
 indubitatis scriptis & sententijs, sub quorũ titulis ob-
 truduntur. Nam cõstat permultos integros libros, esse
 S. patrum nominibus falsò in scriptos: tum etiã in non
 paucis eorum libris, impostores suos sordidos, & abo-
 minandos pannos putæ eorũ & synceræ purpuræ as-
 fuisse. Certè quod attinet ad istos duos De cõpunctio-
 ne libros, qui germanã D. Chryfostomi scripta aliqua
 mente legit, dubitare nõ potest, nõ pilũ Chryfostomi
 in illis inesse, siue phrasim, siue etiã rerũ tractationem,
 aut ipsam etiã doctrinã, quæ in illis profusa est, con-
 sideres. Quàm enim ridiculum, & alienum à D. Chry-
 fostomo est, tanto ueræ monasticę laudatore & cultore
 (ut ex permultis saltem unum locum monstrem, in
 quo a sinu auriculæ prominent) quod impostor iste,
 quisquis hos libros consarcinauit, in sui temporis mo-
 nachos scripsit, & de sua ipsius hypocrisis commemo-
 rat in priore libro. Scribit enim, monachos tum soliti
 fuisse, cum de monasterijs requirerent, ante om-
 nia requirere, si requies esset in loco, si abundarent om-
 nia, & nihil deesset eorum quæ & lara & spaciõsa uita
 deposcit. Et de seipso scribit: Et enim cum sedisset in

Quàm cau-
 tẽ legenda,
 & dijudi-
 canda sint,
 prodita
 sub sancto-
 rum patrũ
 nomini-
 bus.

O delicatū
Chryso-
stomum, & q̄
ab eo qui
ueram mo-
nasticam
laudauit,
dissidentē.

animo quondam, relicta urbe transire ad habitacu-
lum monachorum, ego scio quā sollicitē perscruta-
bar, unde nobis in illis locis quæ necessaria sunt cor-
pori, præberentur: et si possibile esset, & recentis &
diurni panis habere cottidie copiam. sed & illud non
segniter requirebam, ne fortē eodem oleo olla & lucer-
na esset aptanda, si non leguminis grauis & solitarius
cibus sumi iuberetur: sed & ne operis aliquis grauis
esset exactor, ne fortē fodere terram cogeret, aut ligna
deferre, aut aquam humeris portare, uel cætera huius-
modi exhibere ministeria: ita omni sollicitudine pro re
quie corporis percontabar.

Hæc cōfer pie lector, cum ijs monasticæ laudibus,
quas uerus Chrysofostomus accumulauit tribus libris
contra huius uituperatores. Sic, quā ineptum, quod
hic impostor suo impio testimonio, quod priore libro
aduersus gratiam tulit, ipse contradicat in libro poste-
riore. Nam scripturus de compunctione, rogat Deme-
trium, ad quem scribit, ut precetur Dominus, quo ille
in se accendat ignem, per quem possit omnis infirmi-
tas decoqui, & omne quod aggrauat animum exuri,
quo subnixæ pennæ suis anima tendat ad cælū, ut pote
leuior reddita, atq; in illo uertice posita, intueri de altis-
simis sedibus, & despiciere possit uniuersam uitæ huius
quæ in terris agitur, uanitatē. Quibus subiicit: Nisi
enim quis ad illam celsitudinem uolatu animæ, diuino
munere conscenderit, non posse terram despiciere, &
quæ geruntur in terris. Ergo ut ritē compungamur de
peccatis, & hic ipse pseudo-chrysofostomus agnoscit re-
quiri necessariō, ut Dominus accendat in animis no-
stris ignem spiritus sui, quo infirmitas animæ decoqua-
tur, & quod eam aggrauat terrenum exuratur, quo illa
leuior hinc facta, in cælū subuehatur, unde despiciat
terram

Hic negat
fictus Chry-
sostomus
quod prius
affirmauit.

terram, & quæ geruntur in terris: quod nisi in hanc diuino munere subiecta celsitudinem, omnino nõ possit. Initium igitur conuersionis nostræ ad Deum, quæ à uera peccatorum compunctione incipit, & hic pseudo-chrysostronus agnoscit non à nobis, sed à Dei munere fieri: eoq; gratuito, quia precibus impetrando.

Indignum quidem est, in refutandis his figmentis tantum uerborum infumi: tamen cum sint adeò non pauci, qui sibi præstringi oculos patiãtur, solo tam magnorum nominum strepitu, etiam horum infirmitati deseruendũ est. Alioqui satis fuerat, huic ficto opposuisse uerum, qui tam in multis locis clarissimè fatetur & prædicat, Dominum nos sua semper gratia præuenire, & initium nostræ conuersionis facere, inspirando uerbi sui fidem, extra quam & ipse agnoscit peccata esse, quæcunque ab homine in speciem bona opera fiunt. De quo postea, cum ostendemus omnia hominum opera ante iustificationem peccata esse, eius quoque testimonium adducemus.

TESTIMONIVM FALSVM CON-

ficti Augustini confutatur.

Videamus nunc quale sit testimonium quod Billickius affert ex euentito Augustino, in quo importuniorẽ exhibuit audaciam. Nam indubiè uel ex Erasmi censura nouerat eum librũ, ex quo testimonium ausus est proferre, esse supposititium. Deinde non ignorauit hoc ipsum quod adduxit testimonium, non solum esse à D. Augustino nominatim confutatum, uerũ etiam à magistro ipsorum Longobardo, & sanioribus scholasticis esse repudiatum. Nam & hi sequẽtes D. Augustinũ ex Apostolo dicente, Ut propositum Dei maneat secundum electionem, non ex operibus, sed ex uocante: concludunt, uoluntatẽ Dei,

Thomas
prima par-
te, quest.
25, artic. 5.

quā uult quorum uisum est misereri, & quos liber in-
durare, de nullis uitæ meritis uenire, nec futuris qui-
dem & præcognitis: sed eam sibi ipsi causam esse, nec
iniustam, cum nemini quicquam debeat.

Hęc planissimè demonstrat D. Augustinus multis in
locis: unum nunc adduxisse satis sit, & eum quē in En-
chiridio suo ad Laurentium perscripsit, cap. 98. & 99.
Quis porrò, inquit ibi, tā impiè desipiat, ut dicat Deū
malas hominū uoluntates, quas uoluerit, quando uo-
luerit, ubi uoluerit, in bonū non posse conuertere? Sed
cum facit, per misericordiam facit: cum autē non facit,
per iudiciū nō facit. Quoniā cuius uult miseretur, &
quem uult indurat. Quod cum diceret Apostolus, gra-
tiam commendabat, ad cuius cōmendationem de illis
in Rebecca utero geminis fuerat iam locutus: quibus
nōdum natis, nec aliquid agentibus boni seu mali, ut
secundum electionem propositū Dei maneret, nō ex
operibus, sed ex uocante, dictū est ei, quia maior serui-
et minori. Propter quod adhibuit alterū propheticum
testimoniū, ubi scriptū est: Iacob dilexi, Esau autem
odio habui. Sentiens autem quemadmodū posset hoc
quod dictum est permouere eos, qui penetrare intelli-
gendo non possunt hanc altitudinē gratiæ, Quid ergo
dicemus? ait. Nūquid iniquitas est apud Deum? Ab-
sit. Iniquum enim uidetur, ut sine ullis bonorum ma-
lorum ue operum meritis, unum Deus diligit, odiatq;
alterum. Qua in re si futura opera uel bona huius, uel
mala illius, quæ Deus utiq; præsciebat, uellet intelligi,
nequaquam diceret, Non ex operibus: sed diceret, Ex
futuris operibus: eoq; modo istam solueret quæstio-
nem, imò nullā quam solui opus esset faceret quæstio-
nem. Nunc uerò cum respondisset, Absit, id est, absit
ut sit iniquitas apud Deum: mox, ut probaret nulla
hoc

Nec prop-
ter futura
merita De-
us misere-
tur.

hoc iniquitate Dei fieri, inquit: Moyſi enim dicit, Miſerebor cui miſertus ero, & miſericordiam præſtabo cui miſericors fuero. Quis enim niſi inſipiens, Deum iniquum putet, ſiue iudiciũ pœnale ingerat digno, ſiue miſericordiam præſtet indigno? Deniq; inferit & dicit: Igitur non uolentis, neq; currentis, ſed miſerentis eſt Dei. Ambo itaq; gemini natura filij iræ naſcebantur, nullis quidẽ operibus proprijs, ſed originaliter ex Adã uinculo damnationis obſtricti. Sed qui dixit, Miſerebor cui miſertus ero, & miſericordiã præſtabo cui miſericors fuero, Iacob dilexit per miſericordiã gratuitam, Eſau autẽ odio habuit per iudiciũ debitũ, Quod cum deberetur ambobus, in altero alter agnouit nõ de ſuis diſtantibus meritis ſibi eſſe gloriandum, quod in eadem cauſa idem ſupplicium non incurrit, ſed de diuinae gratiæ largitate: quia nõ uolentis, neq; currentis, ſed miſerentis eſt Dei. Altiffimo quippe ac ſaluberrimo ſacramento uniuersa facies, atque uerba dixerim, uultus ſanctarum ſcripturarũ bene intuẽtes id admonere inuenitur, ut qui gloriatur, in Domino gloriẽt. Cap. 99.

Cum autem Apoſtolus miſericordiam Dei cõmendaffet, in eo quod ait: Igitur nõ uolentis, neq; currentis, ſed miſerentis eſt Dei: deinde, ut etiã iudiciũ cõmmentaret, quoniã in quo non fit miſericordia, nõ iniquitas fit, ſed iudiciũ, nõ eſt quippe iniquitas apud Deum: cõtinuò ſubiicit, atq; ait: Dicit enim ſcriptura Pharaoni, Quia ad hoc te excitauĩ, ut oſtendã in te potentiam meam, & ut annuncietur nomen meũ in uniuersa terra. Quibus dictis ad utrumq; cõcludens, id eſt, ad miſericordiam & ad iudiciũ, inquit: Ergo cuius uult miſeretur Deus, & quẽ uult obdurat. Miſeretur ſcilicet magna bonitate, obdurat nulla iniquitate: ut nec liberatus de ſuis meritis gloriẽt, nec dãnatus niſi de ſuis meritis

conque-

Nota,
Per miſericordiã gratuitam, per iudiciũ debitum.

*Sola gratia
redemptos
discernit à
perditis.*

conqueratur. **S**OLA enim gratia redemptos discernit à perditis, quos in unā perditionis cōcreuerat massam ab origine ducta causa communis. Hoc autē qui eo modo audit, ut dicat, Quid adhuc cōqueritur: nam uoluntati eius quis resistit: tanquam propterea malus non uideatur esse culpandus, quia Deus cuius uult miseretur, & quem uult obdurat: absit ut pudeat nos hoc respondere, quod respondisse Apostolum uidemus, O homo tu quis es qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit, quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem uas in honorem, aliud uerò in contumeliam? Hoc enim loco quidam stulti putant Apostolum in responsione defecisse, & inopia reddendæ rationis repressisse contradictoris audaciam. Sed magnum habet pondus, quod dictū est, O homo, tu quis es: & in talibus quæstionibus ad suæ capacitatis considerationem reuocat hominem: uerbo quidem breui, sed re ipsa magna est redditio rationis. Si enim non capit hæc, quis est qui respondeat Deo? Si autem capit, magis nō inueniet quid respondeat. Videt enim si capit, uniuersum genus humanum, tam iusto iudicio diuino in apostatica radice damnatum, ut etiam si nullus inde liberaretur, nemo rectè posset Dei uituperare iustitiam: & qui liberantur, sic oportuisse liberari, ut ex pluribus non liberatis, atq; in damnatione iustissima derelictis, ostenderetur quid meruisset uniuersa conspersio, & quò etiam istos debitum iudicium Dei duceret, nisi eius indebita misericordia subueniret: ut uolentium de suis meritis gloriari, omne os obstruatur, & qui gloriatur, in Domino gloriatur. Hactenus ille.

Eadem habes libro 5. aduersus Iulianum Pelagianum, cap. 3. Item in responsione secūda ad Simplicianum,

num,

num, & libro Retractionū 1. cap. 23. ubi retractauit, quod in expositione propositionis 60. ex epistola ad Rom. dixerat, Electionem sanctorum fieri ex præscientia, non quidem operum, sed fidei tamen. Nam agnouit postea ex Paulo, sanctorum electionē non agnosci gratiæ, nisi confiteamur eam factā esse ex mera Dei gratia, & nullo nostri meriti respectu, non tantum operum, sed nec fidei quidem, quæ & ipsa nimirū donum sit Dei gratuitum.

His uerbis pie lector, D. Augustinum disertè affirmare uides, eum Apostolo contradicere, qui non omnem dilectionem Dei erga homines, & electionem eorum ad uitam, sic agnoscit esse ex uocante, ut fateatur ex nullis eum omnino esse operibus, ne futuris quidem. Cernis igitur rursus, quā importuna sit ista cōtra puram euangelij doctrinam cōtentio, quæ sub nomine Augustini adducere audet, tam manifestè Pelagianam blasphemiam, damnatam uerbotim, non solum ab ipso Augustino in libris eius indubitatæ fidei, sed etiam ab eorum magistro Longobardo, & scholasticis omnibus sanioribus. Etenim ab omnibus illis Pelagianæ blasphemiae dānata sententia illa est, quam ex efficto Augustino Billickius hic adduxit: Affirmare aliquid præcedere in peccatoribus, quo quāuis nondum sint iustificati, digni tamen efficiantur iustificatio: ita ut in alijs peccatoribus præcedit, quo digni fiant obtusione. Nam concors omnium catholicorum sententia & fides est, neminem ullo suo merito cōdemnari: obturari quidem dignos, præstari autem misericordiam indignis: dilectionem Dei in omnes homines esse gratuitam, odium debitum. Ita affirmant omnes sancti, inter impios nullam omnino esse diuersitatem, quod ad peccatum & cōdemnationem attinet, omnes

Lib. 1. di-
stinct. 41.

HH enim

enim esse ex se pariter peccatores, filios iræ, & egere gloria Dei, solamq; Dei gratiam discernere redemptos à perditis. Hic autē ementitus Augustinus dicit: Quamquam peccatores propter generale peccatū unā massam faciant, non tamen nullam esse inter eos diuersitatem. Sic esse iustam Dei uoluntatē miserentis quorum uult, ex eo Catholici omnes defendunt, quod Deus nemini quicquam debet, & non potest ulla esse apud Deum iniquitas. Hic Billickij impostor uoluntatem Dei miserentis quorum uult, & indurantis quos uult, accusat iniustitiæ, nisi ueniat de meritis occultissimis.

In quibus fatus Augustinus contradicit dicitur uero, et toti Christi ecclesie.

Hæc cum in isto Billickij testimonio uiderent Longobardus & scholastici, non quidem uiderunt dictum hoc nihil minus esse quàm Augustini, tamen eò confugerunt, ut dicerent retractatum esse à D. Augustino, in eo quòd retractauit de præscientia fidei, ex qua putauerat electionem sanctorum fieri. Verùm cum id quod hoc testimonio affirmatur, apertè Pelagianum sit, & à D. Augustino nominatim confutatum, res ipsa cogit fateri, quicquid Augustini in hoc libro 83. quaestionum sit, hoc tamen dictum eius non esse: sicut nec illa eius sunt, quæ in farsa habentur quaestioni 12. ex Fonteyo, & quaest. 31. ex libro Ciceronis de Inuentione rethorica. Atq; adeò ex isto tam apertè Pelagiano dicto, quod D. Augustinus tanta cōtentione confutauit, datur certissimè cognoscere, ueram esse Erasmi de isto libro censuram: opus scilicet hoc, esse ab aliquo collectum ex Augustini libris, sed in quo aliena quoq; confuderit uel ille ipse collector, uel alius quispiam librorum corruptor: quales plerosq; extitisse, idem Erasmus in suis in D. Hieronymi & Augustini libros Censuris, euidentissimis euincit argumētis. De fide & sinceritate librorum Enchiridij, Quaestionum ad Simplicianum,

D. Erasmi censura de libro 83. quaestionū.

Contra

Contra Iulianum, De prædestinatione & gratia, De prædestinatione sanctorum epistola ad Sixtum presbyterum, nemo unquam doctorum hominum dubitauit.

In his autem & alijs certissimis libris suis hic uir Dei constantissime docet, eos, electionem sanctorum fieri ex gratia Dei, negare, atque ita uniuerso euangelio gratiæ contradicere, qui non fateantur eam ex nullis omnino uenire meritis, aut operibus non modo præteritis & presentibus, uerum etiam futuris, & à Deo præcognitis.

Ista aduersarij non ignorauerunt, aut certe ignorare non debuerunt: tamē in Colloquio tanti momenti ausi sunt autoritatē tam eximij, & facile omnium qui nobis extant, principis ecclesiæ doctoris prætexere sententię, adeo importunè Pelagianę, quam cum S. patribus ipsi quoque scholastici cõsentienter repudiauerunt, & cui ipsimet denique contradixerunt. Nam confessi sunt initium præparationis ad iustificationē, non ab homine, sed à gratia esse, cuncta merita præcedente. Hacenus de autoritatibus illis S. patrum, quibus aduersarij conati sunt confirmationē adstruere dogmatis sui, de operibus, ad iustificationem præparantibus. Nos ueras S. patrum autoritates, quibus ista operum præparatio ad iustificationē eueritur, in sequenti tractatu adducemus. Iam tertio loco huius nostræ responsionis de operibus, iustificationē præcedentibus, id agendum nobis est, An peccata sint, quæcunque homines opera faciunt ante iustificationē.

ESSE OMNINO PECCATA, QVAECVNQVE
homines faciunt opera ante iustificationem, firma testimonia ex diuinis scripturis.

Nos, ut ostenderemus, homines nullis se posse suis operibus ad iustificationem præparare, diximus, & cum scripturæ, tum D. Augustini autoritate comprobauimus, peccatum esse quicquid homo faciat non-

Suprà p.
gina 128.
138.

dum iustificatus, quantumlibet id boni operis speciem habeat. Hoc ait Maluenda durū, Billickius etiam horrendum esse auditu: & negat uterque nos firmum pro eo testimonium unquam adducere posse. Proferemus igitur primū testimonia firma pro hac fidei nostræ cōfessione, cum ex scripturis, tum ex patribus: deinde respondebimus ijs quæ aduersarij & cōtra ipsam hanc ueritatem, & contra nostras, pro ea prius adductas authoritates obiecerunt.

Testimonia spiritus omnibus firma hæc sunt. Et primum Christi seruatoris: Arbor mala, malos fructus facit. & Non potest fructus bonos facere. Matth. 7. Item: Aut facite arborē bonam, & fructum eius bonum: aut facite arborem putrem, & fructum eius putrem. Et rursus, Homo bonus ex thesauro bono cordis profert bona, & homo malus ex thesauro malo cordis profert mala: Matth. 12. Et iterum: Si oculus tuus nequam est, totum corpus tuum tenebrosum est. Oculus uerò mens est: huic igitur si desit fidei lumen, quicquid agat, cecum & tenebrosum, hoc est, peccatum est. Et rursus: Mundus odit me, quia testimonium de eo perhibeo, quod opera eius mala sunt. De mundo autem est omnis non iustificatus. At quæ mala homo facit, ea ipsi peccata sunt.

Ioan. 3.

Iam Paulus fatetur semetipsum, quatenus renatus non erat, spirituq; Christi nō agebatur, neq; liberatus erat à corpore mortis, nihil in se boni, sed peccatum habitasse: se sub peccato fuisse uenundatum, bonumq; quod probat & expetit mens renata, nō fecisse: fecisse autem malum, quod spiritus Domini detestatur. At qui quicumq; nondum est iustificatus, is nihil quam caro est, in qua nihil boni, sed peccatum tantum inhabitat: & ex qua nihil boni, sed omne malum provenit,
iuxta

iuxta illud Moſæ: Omne figmentum cogitationum *Gen. 6. 8.*
 cordis humani à puero, tantum ad malum omni tem-
 pore. & illud Pauli: Sensus carnis inimicitia eſt aduer-
 ſus Deum. Dum igitur homines nondum iuſtificati,
 adeoq̃ peccato adhuc uenundati ſunt, adhuc tenen-
 tur captiui à ſatana ad ipſius uoluntatē, & ſunt inimi- *2. Tim. 2.*
 ci Deo, nihil poſſunt quàm peccare, quicquid eorum
 operum faciāt, quæ alioqui ex Dei inſtituto & benigni-
 tate hominibus bono ſunt, quæq̃ Deus facere præ-
 cepit. Epistoſa ad Ebraeos dicit, impoſſibile eſſe, pla-
 cere hominem Deo ſine fide: quicquid ergo facit he-
 mo nondum iuſtificatus in ſpeciem boni, tamen Deo
 diſplicet. At placet Deo omnis nō peccans: ſemper er-
 go peccat, qui non credit Chriſto. Et peccatū eſt, quic-
 quid homo facit non ex fide, qua caret quicumq̃ iuſti-
 ficatus nondum eſt. Hinc ſpiritus ſanctus per Paulum
 non renatos, uocat mortuos delictis & peccatis: dicit
 eſſe efficacem in illis ſpiritum ſatanæ, & uiuere eos ſe-
 cundum huius imperiū, ſeruire prauis cupiditatibus,
 eſſe filios iræ, uerſari in uanitate mētis ſuę, obtenebra-
 tam habere rationem, & excæcatum cor, ab alienatos
 eſſe à uita Dei, &c. Vide & expende pie lector religio-
 ſe, quale non renatorum ingenium, qualisq̃ conuer-
 ſatio deſcribatur 2. & 4. Ephel. & 3. Tit. Iam & D. Au-
 guſtini, Ambroſij, & Chryſoſt. autoritatē ſubiiciemus.

FIRMA TESTIMONIA EX D. AVGV-

ſtino, Chryſoſtomo, & Ambroſio.

Diuvs Auguſtinus, cum aliàs, tum aduerſus Iu-
 lianum lib. 4. cap. 3. hæc ſcripſit. Noueris itaq̃ nō
 officijs, ſed finibus, à uitijs diſcernendas eſſe uirtutes.
 Officium autem eſt, quod faciendum eſt: finis uerò,
 propter quod faciendum eſt. Cum itaq̃ facit homo ali-
 quid, ubi peccare nō uidetur, ſi non propter hoc facit,

Peccare con-
uincitur, qui
non facit of-
ficiū propter
suum finem.

propter quod facere debet, peccare conuincitur. Et paulo pōst: Hoc tamen peccantes, quod homines sine fide, non ad eum finem ista opera retulerunt, ad quem referre debuerunt. Minus enim Fabricius quàm Catilina punietur: non quia iste bonus, sed quia ille magis malus, & minus impius quàm Catilina Fabricius: non ueras uirtutes habendo, sed à ueris uirtutibus nō plurimum deuiando. Vide hunc locum ipse pie lector, nam tractat in eo hic uir Dei, rem istā admodum copiosè & solidè.

Merces no-
stra, gratia
uocatur.
Omnia ope-
ra inueniun-
tur mala in
non renatis.

Idem in Psalmo 31, ita scripsit Augustinus: Merces nostra, gratia uocatur: si gratia est, gratis datur. Quid est gratis datur? gratis constat. Nihil bene fecisti, & datur tibi remissio peccatorum. Attenduntur opera tua, & inuenientur omnia mala. Si, quod debetur illis operibus, Deus redderet, utiq; damnaret. Stipendium enim peccati mors. Malis operibus quid debetur, nisi damnatio.

Item ibidem: Si iustificatur impius, ex impio fit iustus: si ex impio iustus fit, quæ sunt opera impiorum? laetet etiam impius opera sua, & dicat: Do pauperibus, nihil alicui aufero, non uxorem alienam concupisco, non quenquam occido, nulli fraudem facio, depositum apud me nullo teste repræsento. Hæc omnia dicat. Quæro, utrum pius sit, an impius? Et quomodo cum impius, inquit, ista faciens? Quomodo illi, de quibus dictum est: Et serui erunt creaturæ potius, quàm creatori, qui est benedictus in secula. Hæc ille.

Impietas in
operibus per
se bonis est,
quod illis nō
colitur rite
Deus.

Ex his sanè perspicuum est, opera non renatorum, quantumuis bona uideantur, non tamen hominem præparare nisi ad ea quæ merentur, hoc est, ad condemnationem,

Iam uide & D. Chryfostomi ſententiã. iſ ſermo
ne primo contra Iudæos, eorum condemnans ieiunium,
eo quod illud non ex uera fide ieiunabant, ita
dixit: Exhortor uos, ut impiũ hoc Iudæorum &
ſcleratum ieiunium fugiatis. Neque enim ita dixe-
ris, ieiunant. quin potius illud mihi oſtendito, eos ex
Dei ſententiã ieiunare. Quod ni fiat, quauis ebrie-
tate ſcleratiũs eſt ieiunium. Neque enim ſolum con-
ſiderandum eſt, quid ab iſtis fiat: uerũ illud etiam ob-
ſeruandum, quam ob cauſam faciant. Etenim quod
ſit iuxta Dei uoluntatem, quamuis uideatur impro-
bum eſſe, tamen omnino Deo gratum eſt & accep-
tum. Cõtrã, quod ſit præter Dei uoluntatem, ac ſecus
quã ille uult fieri, quanquam exiſtimetur acceptum
Deo, quauis humanitate melius eſt hoc homicidium.
Rurſus ſi quis parcat, & humanitatis officium collo-
carit in quempiã, præter Dei ſententiã, quauis
eãde ſcleratiõs eſt iſta ſanguinis parſimonia. Non e-
nim ipſa eorum quæ ſiunt natura, ſed Dei uoluntas ac
decretum efficit, ut eadem uel bona ſint, uel mala.

Nõ ieiunare,
ſed ex Dei
ſententiã ieiunare,
opus bonum.

Non ſecus
quam ille
uult fieri.

Dei uoluntas
& decretum
efficit noſtra
opera bona
uel mala.

Item paulo pòſt de eodem ieiunio: Hoc non eſt,
inquiit, ieiunium, ſed legis tranſgreſſio, ſed error, ſed
peccatum. In eandem ſententiã hoc ſermone multa
dicit, & ea euidentiffimis ſcripturis comprobat.

Nota, Sed
peccatum.

Maniſteſtum igitur, & D. Chryſoſtomi auctori-
tate, catholicã eſſe hanc eccleſiæ ſententiã, peccata
eſſe quæcunq; homines opera ante iuſtificationem
fecerint.

Audiãmus nunc & D. Ambroſium. hic libro pri-
mo De uocatione gentium, cap. 3. ſic ſcripſit:

Sine cultu enim ueri Dei, etiã quod uirtus ui-
detur eſſe, peccatum eſt: nec placere ullus Deo, ſine
Deo poteſt. Qui uerò Deo non placet, cui, niſi ſibi &
diabolo

Sine cultu ue-
ro Dei etiã
uirtus uicium
& peccatum.

diabolo placet. Et inferius cap. 5. Siue enim Iudæus legis scientia tumens, siue Græcus studio sapientiæ naturalis inflatus, priusquam iustificetur per fidem Christi, cõclusus est sub peccato: & si in sua infœlicitate perstiterit, ira Dei manet super eum, illa scilicet in Adæ præuariatione contracta. De qua Apostolus loquitur: Eratis quondã tenebræ, nunc aut lux in Domino.

Eadẽ & apud reliquos sanctos patres leges. Catholicum igitur est & hoc dogma. Nunc uideamus quid aduersarij contra hæc adferant.

RESPONSIO AD OBIECTIONEM MALUENDÆ, De præbente elemosynã, dum hæret in peccato aliquo:
Et de cunctis in speciem bonis operibus, quæ fiunt
a non iustificatis.

Hæc habes
obiectionẽ
suprà pag.
128.

ROGAT Maluenda, si Christianus ex infirmitate alicui peccato inhærens, alterum Christianum, fame confectum, & humi stratum erigeret, & cibo iuuaret, memor præcepti Christi, quo nobis pauperes commendauit, num ille peccare eo facto diceretur?

Vides primùm pie lector, hanc Maluendæ interrogationem ad propositum non pertinere. Agitur enim inter nos de operibus iustificationem præcedentibus: hoc est, non Christianorum hominum, & inhærentium peccatis ex infidelitate, non tantum ex infirmitate. Ille autẽ interrogat de Christiano homine, alicui peccato inhærente ex infirmitate, & faciente elemosynam, admonitu præcepti Christi.

Sumamus igitur nos exemplum, quod ad quæstionem propositam pertineat, hominis nondum iustificati. Sit aliquis simoniacus & scortator, inhærens istiusmodi sceleribus & flagitijs, qui tamẽ cum uideat egentem sua ope pauperẽ, cogitet apud se: Tu quidem non tam firmus es ad bonum, ut ualeas, quas sacrilegio & simonia

simonia comparasti & detines praevidas, abijcere, & repudiare scortum, quo te contra praeceptum Dei oblectas: tamen vis eleemosynam huic pauperi facere, sicut praecepit Christus, ut minus irascatur tibi Deus, & tua tibi aliquando condonet scelera & flagitia. Talem igitur eleemosynam putabit forsitan Maluenda non debere peccatum censerit: propterea quod peccatum sit, quod contra legem Dei sit: istud uerò beneficium, uideatur factum esse secundum legem Dei.

Sed cogitandum hic est, prima legis Dei capita esse, quibus de fide nobis praecipitur, & dilectione Dei, qua scilicet reliqua praecepta omnia pendent: eoq; peccatum esse & dici debere, quicquid non fit ex fide & dilectione Dei: hoc est, cum transgressione primorum Dei praeceptorum, quibus transgressis, transgressa sunt omnia. Deinde & illud perpendendum est, Christum non praecipisse simpliciter facere eleemosynam, sed praecipit facere eleemosynam studio & dilectione Dei: quae cum abest, non sine singulari Dei contumelia facit homo, quicquid ad hoc facit, ut placeat Deum, aut gratum faciat Deo.

Praeceperat Deus populo suo sabbata & alia festa celebrare, in sacrum coetum coram se uenire, ibi sacrificare, precari, aliaq; religionis sibi officia exhibere. At cum illa sibi exhiberent sine uera uitaq; poenitentia et fide, pronunciauit grauissimè, & summa cum indignatione, ea sibi non solum exhiberi frustra, uerum etiam esse oneri & abominationi, adeo ut ferre illa amplius non posset, iussitq; ea a conspectu suo auferre. Praecipit autem, ut primum lauarent corda sua, munda- rentur, auferrent malum cogitationum suarum a conspectu suo: cessarent facere male, discerent facere bene. Lege primum caput Iesaiæ, & Ieremiae 7. atq; loca

Prima praecepta Dei, de fide & dilectione Dei: quicquid igitur non ex fide & dilectione Dei fit, peccatum est, contra prima diuinae legis capita.

Opera primae tabulae non facta ex fide, Deo abominanda sunt.

alia his consentanea. Si iam opera primę tabulę sic in-
 uisa Deo sunt, cum exhibentur sine uera uiuacę poeni-
 tentia & fide: certę & secūda tabulę opera Deo displi-
 cent & ingrata sunt, cum non fiunt ex corde Deo peni-
 tus cōsecrato. Sic est, inquit per Haggeū, populus iste,
 & sic gens ista corā me, & sic est omne opus manū eo-
 rum, & quicquid obtulerint immundum est. Vnde &
 Paulus omnia affirmat munda mundis: contaminatis
 uerò & incredulis nihil mundum, sed cōtaminata esse
 eorū mentē & conscientia. Deū hos confiteri se nosse,
 factis autē negare, abominabiles esse & incredulos, &
 ad omne opus bonum reprobos. Cum itaq; Deus tam
 clarę, tam copiosę & seueriter testetur, se nimirū fidem
 cordis solidam, & legis suę uniuersę obedientiam po-
 scere, & sine hac nihil ab homine habere gratū, quid-
 no' n ne illudunt illi planē Deo, qui audent ei aliquid
 offerre uel facere, quo eum promereantur, si ullo inte-
 rim in peccato perseuerent, nec studeant ei cor suum,
 mundatum fide, cōsecrare totum? Similes profectō hi
 sunt illorū, qui Domino Iesu dicebant flexis genibus,
 Aue rex Iudæorum, ac simul ei dabant alapas. Nam
 quodcunq; præceptū Dei contempnas, eo & Deum ip-
 sum contempnis & abnegas, filiumq; Dei conculcas, &
 sanguinem eius ut immundum repudias: præterea illa
 huiusmodi impij cordis ficta bona opera faciētib; eo
 proficiunt, ut securius pergant Deū suis irritare sceleri-
 bus & flagitijs. Sperant em̄ per se illos suos impios cul-
 tus & falsō credita bona opera, posse Deū ita sibi placa-
 re, ut quanq; in sua impietate perseuerant, & nequitia,
 tamē eis et præsentis uitę bona suppeditet, quo diutius
 & grauius in ipsum cōtumeliosi sint, & post hanc uitā
 gaudia nihilominus largiat̄ celestia. Neq; em̄ hi Deo
 frustra suos cultus & bona opera facere uolunt. Atq;
 hæc

*Nō ad om-
 ne opus bo-
 num re-
 probi.*

hec quoque causa est, cur Deus cultus omnes & bona opera sine uera fide facta, tantopere per prophetas suos execret. Si igitur Malueda intelligat in exemplo suo, de faciente eleemosynam, per Christianum hominem, qui Christum uerbis quidem confiteatur, factis autem perneget: id est, qui in peccato mortali, hoc est infidelitatis heret, sicut intelligere debet (siquidem ad propositum facere eius interrogatio debeat) dicimus talem hominem faciendo eleemosynam, etiam ex recordatione precepti Domini, omnino peccare, & grauiter: facit enim sciens eleemosynam suam contra quam precepit Dominus. Deus enim non tantum precepit pauperi benefacere, sed precepit ei benefacere ex corde puro, conscientia bona, fide non ficta. Cum itaque precepti Christi, ille nomine Christianus recorder, & eo admonetur Dominum requirere ante omnia fidem & dilectionem, si nihilominus in uoluntate ullius peccati perseveret, certe Dominum noua contumelia afficit, reiecta scilicet tali eius admonitione. Præterea cum non ignoret, omnia sua esse inuisa Deo, dum in transgressione legis diuinæ hæret, si faciat eleemosynam, ut placet sibi Deum, addit priori contumeliæ, reiectioni salutaris admonitionis, etiam manifestam contradictionem eius, & illusionem aduersus eius maiestatem: cum scilicet se & suo Deo tanquam singulariter grata & accepta ingerat, sciens quod excretur Deus impiis & munera eius, & facta omnia: utque clamet uero contra omnes eos, qui cor mundare negligunt, & minuta legis facere student, grauiora interim transgredientes. At si quis suam eleemosynam non ad Deum referat, iam eo ipso peccat, quod munus Dei non facit ad gloriam Dei. Quocumque igitur motu & animo eleemosynam, aut ullum aliud opus ex genere operum a Deo preceptorum faciat homo, in ullo hærens peccato, peccat etiam eo ipso opere. Nec dici potest, talem hære in peccato ex in-

firmitate, propriè loquēdo. Est em̄ hoc incredulitatis, non infirmitatis peccatū prima legis diuinæ capita scientem transgredi. Nam quicumq; in ullius trāsgressione præcepti diuinī prudēs perseuerat, eum necesse est non credere Deum esse eum, qui præceptum eiusmodi dedit, atq; transgressoribus eius gehennam minatus est, & esse omnipotentem, ac ideo supra omnia & ex toto corde metuumdum, diligendum, & colendum.

Infirmitatis peccata illa propriè dicuntur, quæ imbecillitate nostra obrepūt nobis inuitis & repugnantibus. ut fastidiū in actionibus pijs, metus eūdi inrectè factis, cupiditas illicitarū rerū, ira subita, indigna tamē Christiano, cogitationes uanæ temerè oborientes, & dicta nugatoria imprudentibus elapsa. Etenim in quo corde uera uerbi Dei fides manet, in eo nulla uolūtas peccati hæere & subsistere poterit. Nam qui natus est ex Deo, non peccat, nec potest quidem peccare, semen enim Dei manet in illo. 1. Ioan. 3. De quo suprā plura,

VINDICATIO LOCI D. PAULI, QVIC
quid non sit ex fide, peccatum est.

AD demonstrandum, cuncta hominis nondum iustificati opera esse peccata, adduximus dictū Pauli Rom. 14. Quicquid nō ex fide est, peccatum est. Est enim dictum hoc uniuersale, ad omnes hominis actiones pertinens: & consentaneum illi, iustus ex fide sua uiuit: confusus scilicet, se & sua Deo probari. Præceptum sanè est nobis à Deo, ut diligamus ipsum ex toto corde, tota anima, & cunctis uiribus: eoq; quæcumque facimus, in gloriā ipsius faciamus, atq; ideo etiam ex certa uerbi eius fide, qua non dubitemus ipsi probari quod facimus, & ad eius gloriā pertinere. Qui iam in peccato aliquo hæret, sciens & uolens, ita ut sit sub condemnatione etiam sui cordis, atq; alienus à iustifica-

stificatione, is nec fidem, nec dilectionem Dei habet, eoq; ad gloriam eius nihil facere potest. Peccat itaq; in omni opere suo, quotienscunq; fecerit, in eo nimirum Pag. 128. quod illud non ex fide & dilectione facit, ad gloriamq; Dei refert, ut Deus iure suo requirit.

Authoritatem hanc Maluenda annisus extorquere nobis, dixit, eam habere longè aliam interpretationem, Ibi enim loqui Paulum de homine, qui cibo & potu aliquo utatur, quo se putet offendere Deū. Hac uerò elusione usus est & Iulianus, Pelagianæ impietatis defensor. Sed huic respondit D. Augustinus his uerbis. Nam testimonium illud, quod ex Apostolo posui, Omne quod nō est ex fide, peccatum est: sicut tibi uisum est, accepisti & exposuisti, non ut sapit, sed ut sapis. De cibis enim Apostolus loquebatur. Verum cū dixisset, Qui autē discernit, si manducauerit, damnatus est, quia nō ex fide. hanc peccati speciem, de qua agebat, generalis uoluit probare sententiā, mox inferens: Omne enim quod non est ex fide, peccatum est. Hæc ille.

Et sanè Apostolus id, quod de cibis contra cōscientiam usurpatis affirmauerat, haudquaquã hoc suo dicto probasset, nisi illud sit uniuersale. Hic uides Pauli authoritatē etiā Augustino uindice, nostrā esse: & quam nos eius interpretationē attulimus, uerā & propriam esse. Citatam præterea & D. Augustini sententiā ex epistola ad Sixtū presbyterū, qua ille affirmat, meritis impij nō gratiā, sed pœnā deberi: Maluēda & hanc auctoritatē uolens nobis eripere, ausus est dicere, hunc locum habere consentientē cum doctrina sua sensum, et Augustinū negare tantū, nihil deberi impij operibus.

Sed tu pie lector, uide ipse quid dicat in hac epistola sua D. Augustinus. Disputauit hoc loco contra Pelagianos, idem affirmantes quod aduersarij nostri, impij

scilicet adhuc hominis, id est, nondum iustificati opera conferre aliquid ad conciliandam Dei gratiã. Contra hanc blasphemiam demonstrauit hic uir Dei, ex certis atq; claris scripturis, quicquid homo ante gratiã iustificantem possit facere, esse opera & merita impij: hæc autem pœnam & nõ gratiã mereri. Non dicit, nulla esse hominis merita, ut Maluenda: sed quæ impij merita esse uidentur bona, ea non solum gratiam non mereri, sed mereri pœnam. At nemo pœnam apud iustum Deum meretur actione, quæ peccatum non est. Sunt igitur & bona impiorum, ut uidentur, merita, apud Deum peccata. Vnde idem uir Dei paulo post in eadem epistola scripsit: Quid enim habere boni meriti possunt peccatores? Si autẽ nihil possunt habere boni meriti, certẽ mala sunt merita & peccata quæcunq; peccatores operantur, etiam quæ uidentur in speciẽ bona.

Ex his nemo pius non uidet ipse, esse & diuinarum scripturarum, & S. patrũ autoritatibus euidentissimis planum factum, hanc apud Deum & eius ecclesiã ueritatem constare, esseq; omnino catholicã: Nihil posse ab homine fieri nondum iustificato, quod peccatum non sit, & non pœnam, id est, cõdemnationem mereatur. At si pœnam merentur omnia nondum iustificationis opera, ad cõdemnationem illa, non ad iustificationem præparãt: & oculos misericordiæ Dei ab hominibus auertunt, non ad eos conuertunt.

Hinc & illud manifestũ est, quã uanẽ Billiçius adiecerit, quod ipsi de operib. tradunt præparatorijs, tradere ferẽ omnes scripturas D. tradereq; Augustinum, & (quod nimiũ abest à religione, in tanta Christi causa adhibenda) etiam in libris contra Pelagianos. Nam in his libris ille uir Dei dogma hoc totis uiribus oppugnavit, & euidentissimis scripturis copiosẽ confutauit.

DE REMVNERATIONE OPERVM

ciuilitè bonorum.

ARRIPVIT Billickius hic ex nostris dictis, illud quod dedimus, Deū etiā ciuilitè benefacta remunerari: negatq; se uidere, quomodo hoc cū nostra assertione consistat, qua dicimus talia facta esse peccata. Quasi uerò indignum sit diuina benignitate, temporalibus beneficijs remunerare facta hominum, quę tamen ut facta contra quàm lex eius requirit, condemnet in æternum. Et miror si non legerit in D. Augustino, quomodo Deus Romanorum uirtutibus, quibus non erat daturus uitam æternam, terrenam gloriā excellentissimi imperij concesserit. de ciuitat. Dei lib. 5. cap. 12. & 15. Adeò bonus enim est Deus, ut etiam impiorum benefacta, sua, sed temporalí mercede, nō destituat: qui & diuiti epuloni, cuius tamen nulla recte facta cōmemorantur, dedit bona sua in hoc seculo. Nihil igitur minus consistens hac in parte diximus.

CONCLUSIO PRIMAE CONTROVER-

*sia, de ui & meritis operum iustificatio-**nem præcedentium.*

HÆC sint responsa ad primam realem controver-
siam de operibus iustificationē præcedentibus.
de quibus demonstratū abundē nunc est, quantūcun-
que boni speciem habeant, tamē esse omnino mala o-
pera & peccata coram Deo, ut sine cuius cōtemptu &
cōtumelia, certa q; legis eius transgressione nunquam
fiant: ac ideo preparare per illa homines qui ea faciant,
ad cōdemnationem, nō ad iustificationē: & oculos di-
uinae misericordiæ ab eis auerti, non ad eos conuerti.

SECUNDA REALIS CONTROVERSIA DE ALTERA

*natura & certitudine fidei.**principalis
pars nostrę
responsionis.*

SVPRÀ in prima nostra responsione de iustificatione
nede.

Pag. 67.
Fidei defini-
tio.

ne definitionem posuimus fidei iustificantis: & testati sumus hanc nos uelle fidem definire, quam Dominus intelligit, cum dicit, uitam æternam habere, qui in ipsum credit. Eamque fidem definiuimus, esse donum & testimonium spiritus sancti, quod hic præbet spiritui nostro, ut euangelio indubitanter assentiamur, & ex hoc credamus nobis peccata propter Christum condonari, & uitam æternam donari. Et ex hac definitione, ut consentaneum erat, diximus fidei proprium esse, reddere hominem de salute æterna certum & securum. Atque hæc abunde explicauimus, scripturisque confirmauimus, supra pag. 68. Tum etiã in familiari colloquio in responsionibus ad replicas aliquot aduersariorum, à pag. 258. usque ad pag. 264. Diximus etiam quædam in hanc rem in explicatione dicti Iacobi de fide mortua, quod Maluëda adduxerat, à pag. 289. usque in pag. 304.

Huic uerò nostræ definitioni & explicationi aduersarij duabus in rebus contradicunt: una, quod dicunt fidem ueram esse etiam eam quæ mortua sit, & bonorum operum sterilis: altera, quod affirmant, non esse fidei proprium, ut hominẽ reddat certum & securum de salute sua. Altera itaque inter nos realis controuersia est, de natura & ui propria fidei. Bipartitur autẽ, quod aduersarij duo fidei tribuunt, quæ cum eius ingenio pugnant. Vnum, quod ferat secum peccatum mortale: alterum, quod relinquat hominẽ de salute sua dubium. De priore itaque parte huius controuersie primo dicemus, deinde de altera. Et quoniam locis iam indicatis, satis cum nostram in his confessionẽ confirmauimus, tum aduersariorum contradictionem confutauimus, erimus in respondendo ad ea quæ uterque aduersarius, Maluëda & Billickius, contra hanc nostram confessionem in Acta retulerunt, breuiores.

ADSERITVR. PRÆMISSA FIDEI DE-

finiitio, ex diuinis scripturis nostra.

P R I M Ū M autem omnium paucula præmittam; quibus ostendam definitionē fidei, & quam protulimus in hoc colloquio, & quæ est tradita in Apologia nostræ confessionis, esse omnino desumptā ex diuinis scripturis, eoq; neutram esse nouā, aut nostram, sed utramq; ueterē, & spiritus sancti. Maluenda enim dicere ausus est, se eam fidei descriptionem, quam nos in hoc colloquio proposuimus, neq; in literis sacris, neque in catholicis scriptoribus legisse, & multo minus eam, quæ in confessionis nostræ Apologia depingitur. Definitio nostra in hoc colloquio altera habetur supra 67. Vbi & scripturæ loca, unde desumpta est, subnotata sunt, ut Ioan. 3. 6. 14. 15. 20. Rom. 8. 2. Cor. 4. Gal. 4. Videamus igitur num quid in illa nostra definitione posuerimus, quod non & in his indicatis, & in multis alijs scripturarū locis, disertè expressum sit, nedum sententia comprehensum.

Primum diximus, fidem ueram scilicet & iustifican-
tem, esse donum spiritus sancti. In eo & schola aduersariorum nobis consentit. Nam & ipsa agnoscit fidem esse uirtutem diuinitus & gratis infusam. Quo sanè factetur, eam esse donum spiritus sancti. Id uerò docet clarissimè Apostolus cum alijs, tum ad Philip. 1. cum scripsit: Donatum uobis est propter Christum, nō solum ut credatis in eum, sed etiam patiamini pro eo. Hoc donum uocat 2. Corinth. 4. spiritum fidei. Constat igitur de genere fidei, nemo enim illam non ponit in genere donorum spiritus sancti.

Quod uerò & testimonium sit spiritus sancti, quod datur nobis assentiri euangelio, his dictis Domini & Apostoli expressum est: Paracletus spiritus sanctus, quem

Genus fidei etia esse donū Dei.

Quod fides testimonium sit spiritus sancti.

Ioan. 14.

Ioan. 16.

quem pater mittet in nomine meo, ille docebit uos omnia, & suggeret quæcunque dixi uobis. Item: Spiritus ueritatis, qui à patre progreditur, ille testificabitur de me. Item: Accepistis spiritum adoptionis, per quæ clamamus abba pater. Ipse spiritus testificatur unà spiritui nostro, quod filij Dei sumus. Et rursus: Quia estis filij, misit Deus spiritum filij sui in corda nostra, clamantem, Abba pater. Est ergo id quod fidem uocamus, donum quoddam spiritus, & testificatio quam facit in cordibus nostris de euangelio, annuncianti & offerenti nobis remissionem peccatorum, gratiam, & adoptionem Dei, ut iam non simus serui, sed filij: Si uerò filij, & hæredes per Christum, & cohæredes Christi. Quod uerò hæc spiritus sancti testificatio cordibus nostris facta efficiat, ut euangelio præbeamus firmum assensum, & indubitato credamus nobis per Christum remissionem donari peccatorum, gratiam conciliari Dei, & hæreditatem assignari uitæ æternæ, eo Dominus abundè testatur & omnis scriptura, quod dubitationem ubique opponit fidei. Paruæ fidei, inquit Dominus ad Petrum, quare dubitasti? Et Paulus prædicans fidem Abrahamæ, dicit cum non dubitasse de promissione Dei. Rom. 4.

Proprium
fidei. ut eua
gelio firmi
ter assentia
mur.

Dubitatio
fidei ubiq;
scriptura-
rum oppo
nitur.

Hæc itaque & alia scripturæ loca qui ritè considerauerit, non inficiabitur, quæcunque nos in fidei definitione posuimus, esse ex ipsis uerbis scripturarum desumpta. Hæc fusius explicata & tractata sunt supra, à pag. 182. usque ad pag. 187.

ADSERITVR FIDEI DEFINITIO, POSITA
in confessionis nostræ Apologia.

NON minus uerò ex scripturis desumpta est definitio posita in confessionis nostræ Apologia, que sic habet: Fides est non nuda tantum notitia historiarum euan-

euangelicæ, sed assentiri promissioni Dei, in qua gratia propter Christum offertur remissio peccatorum, & iustificatio, adeoq; uelle & accipere promissionem remissionis peccatorum.

Nemo certè negat fidem esse persuasionem animi, qua dicis alicuius assentimur, propter dicentis auctoritatem, nulla oblata probatione dictorum. Fides itaq; qua credimus Deo, & iustificamur, quid possit esse aliud, quàm illa uis diuinitus inspirata, illa doctrina et testificatio spiritus sancti, qua amplectimur, & uolentes accipimus oblatam promissionem remissionis peccatorum. In quibus uerbis quid quæso est, quod non expressum sit in hoc dicto Ioannis: Hæc uerò scripta sunt, ut credatis quod Iesus est Christus filius Dei, & ut credentes habeatis uitam æternam. Quid enim est credere Iesum Christum esse, quàm eum esse seruato-rem nostrum. Si iam hoc credendo habetur uita æterna, certè promissio remissionis peccatorum & iustificatio accipitur credendo, & non ab inuitis. Igitur fidei est, ut uelimus, & accipiamus promissionem remissionis peccatorum: hoc est, ipsum euangelium Christi. Quod & illo Petri satis exprimitur: Huius testimoniū præbent omnes Prophetae, accipere remissionem peccatorum per nomen eius, omnem qui credit in eum. En omnis credens accipit remissionem peccatorum. Fidei igitur est, & uelle, & accipere peccatorum remissionem. Planum itaq; factū est & hanc definitionem, quæ cum priore eadem est reipsa, nihil in se continere, nisi quod in scripturis expressè traditum sit. Quam si non legit Maluenda in scripturis, ipse de se testatur, quod eas nec legerit animo Christum in illis ritè quærendi, nec discere cupienti.

Fidei definitio posita in cōfessionis nostræ Apologia.

Fides, persuasio ex dicentis auctoritate.

RESPONSIO AD ARGVMENTA ADVER-
 sariorum contra nostras definitiones, quibus
 fidem definimus.

N V N C uideamus quomodo Maluenda hanc de-
 finitionē oppugnarit. Affirmat, ociosam, infor-
 mem, charitate destitutam, & mortuam fidem, ueram
 fidem esse. Idem facit Billickius in expensione & repre-
 hensione nostri Axiomatis tertij. Atq; inde & illud af-
 firmant: Non esse fidei proprium, reddere hominē cer-
 tum de salute æterna. Prius dictum conatur Maluen-
 da probare per autoritatem Pauli dicentis: Si omnem
 fidem habeam, ut montes transferam, charitatē autem
 non habeam, nihil sum. Item per illud Domini: Non
 omnis qui dicit mihi Domine Domine, ingredietur
 in regnum cœlorum, &c. Item, Multi dicēt mihi in die
 illa, Domine Domine, nūquid in nomine tuo prophe-
 tauimus & demonia eiecimus, &c. Ex his locis sic collī-
 git Maluenda: Vera fides est, qua transferuntur mon-
 tes, prophetatur, eijciūtur dæmonia, fiuntq; multę uir-
 tutes in nomine Christi. At qui hac fide præditi sunt,
 possunt non facere uoluntatē patris cœlestis, facere au-
 tem iniquitatē, & ignorari à Domino, & repelli ab eo.
 Est ergo & mortua & ociosa à bonis operibus fides, ue-
 ra fides, & non uera fidei definitio, qua fidei tribuitur
 possessio uitæ æternæ, & certitudo gratiæ & salutis, nō
 enim hæc toti generi definito conueniunt.

Responsio: Non est quidē illa bona definitio, quæ
 non totum genus quod definit, complectitur & expli-
 cat. Sed nos cum definitionem hanc nostram afferre-
 mus, testati sumus, nos uelle definire fidem, non quam
 libet, sed iustificantē, eam scilicet de qua articulus no-
 stræ confessionis loquitur, in cuius explicatione diser-
 tē testati sumus, nos de ea fide loqui, de qua & Domi-
 nus

Argumen-
 tum Maluē-
 da pro eo,
 quod uera
 fides sit,
 quæ mor-
 tua tamen
 sit.

nus loquutus est, cum dixit: Qui credit in me, habet uitam æternam.

Nam fidei uocabulum uariè usurpari in scripturis, ibidem quoq; meminimus: & ultro confessi sumus, fidem uocari in scripturis etiã eum euangelij, & quidem totius assensum, quo homines tantum ad tempus credunt, & tempore tentationis à Domino recedunt: Matth. 13. Vocari item fidem dubiam adeò & subdolum, ut Dominus se credentibus in se, hac tantum fide non credat. Ioan. 2. Tum fidem infirmã, ut ea præditi Dominum, gloriam mundi anteferentes gloriæ Dei, confiteri nõ audeant. Fidem quoq; de iudicio Dei teritantem, non autem ex euangelio consolantem, qua Iacobus dicit & demones credere. Item fidẽ mortuam, hoc est, instar mortui hominis nihil se ad opera sua mouentem. Iacobi 2. Fidem deniq; faciendĩ miracula, & Christum prædicandĩ, quẽ hominem tamen relinquit sine studio faciendĩ uoluntatem Dei, ac ideo sine dilectione: Matth. 7. & 1. Cor. 13. Has omnes huius uocis fidei significationes supra definitioni nostræ præmissimus. Dum autem agitur inter nos non de qualibet fide, sed de ea modo qua iustificamur, sicut Dominus ipse, Paulus, atq; uniuersa scriptura hanc fidem uocat fidem simpliciter: nosq; cum tractamus uerba Domini & Pauli, Dominum & Apostolũ eius atq; ceteram scripturam sequi in omnibus conuenit, testati sumus nos, cum dicimus ex uerbis Pauli & scripturæ, hominem iustificari per fidem, fidem intelligere, non temporariam, non dubiam & subdolum, non infirmam adeò ut confiteri Christum non aulit, non tremefacientem tantum, & non simul consolantem, non denique mortuam, sed uiuã, sed regenerantem, Christumq; solidẽ completentem, & consentẽ, & ad bona se opera constanter

Fidei uocabulum quã multiplex.

Fides temporaria.

Fides subdola.

Fides infirma.

Fides teritans.

Fides mortua.

Fides faciendĩ miracula.

Vt Dominus ipse, ut Paulus, & scriptura, ita nobis si dei nomine utendum pro uua fide.

stanter mouentem. Et hanc saluificam fidē, quam D. Augustinus uocat euangelicā, diximus nos uelle definire. Iā omni tali fidei cōuenit nostra, quam dedimus, definitio: nec quicquā in ea positū est, quod non traditum sit, ut fidei propriū, ab ipso spiritu sancto. Iusta igitur est nostra definitio, & iniusta Maluēde reprehētio.

REFVTATIO FIGMENTI ADVERSARIO.

rum, quo fidem charitate destitutam, ueram & catholicam fidem esse contendunt.

ADuersarij autem, ut & supra dictum est, contendunt, ueram, catholicam, & facientem Christianos, fidem esse credulitatem qualemcunque, qua homines utcunque tenent & confitentur articulos fidei, cum ueteres & ueros, tum etiā quos ipsi affinxerunt, falsos & nouos, etiam si illi manifestis interim, & atrocissimis teneantur sceleribus & flagitijs, qualibus scilicet Romana curia adobruta est.

Hoc impīū dogma nos pernegamus, & cum Paulo dicimus eos fidem Christi, fidē ecclesiæ catholicam, fidem qua Christiani sumus, factis abnegare, quicūq; ullo in peccato mortali hæreant, eo quod necesse sit tales credere aut non esse Deum, qui id in quo manent peccatū sub pœna gehennę uetuit: aut nō puniturum tale peccatū, ut minatus est. quo rursus conuincuntur non credere Deum esse Deū, quia credunt eum nō puniturum esse, quod se ille puniturū testatus est. Talem itaq; credulitatem, qua homines manifestē scelerosi iactant se credere articulos fidei nostrę, dicimus inanem esse opinionē, & nō perspectā ab ipsis imaginationē, animis ipsorum ab institutione puerili, & uulgi cōsensu ingestam, sine uī animū ad Dominum cōuertendi, non fidem Christi, qua Christianus quisquam censeri possit. Et quanquam nec ista credulitas mortua & euana,

*Quid, &
unde mortua
fides.*

nida, insit hominibus sine aliqua luce & illuminatione diuina: tamen certū est, eam nō esse illam illuminationem, & uim, qua trahuntur homines ad Christum, quāq̄ uerē solidēq̄ credunt Dominū Iesum Christum esse: sed qua nudantur tantū excusatione ignorantiae, & condemnantur, Ioan. 9. & 15. & Rom. 1. & 2. Nunc uideamus quid argumēti aduersarij pro suo figmento adferant. Vera est (inquiunt) fides quę transfert montes, eijcit dæmonia, &c. & hæc tamen existit etiā in operantibus iniquitatem, & ignoratis à Christo. Potest igitur uera esse fides, quæ est in flagitiosis & sceleratis hominibus: est itaq̄ aliqua fides, & ociosa, quæ tamen sit uera fides. Responsio. Rursus labuntur homonymia aduersarij. Fides enim de qua his locis, quæ Maluenda adduxit, fit mentio, donum fuit quoddam spiritus sancti, quo nonnulli etiā mali homines, in nomine Christi prophetabant, dæmones eijciebāt, & miracula faciebant. Quę uis illa faciendū miracula, ideo fides dicta est, quia ea præditi credebant, cōfidebant, & nō dubitabant se nomine Christi, quod tamen uerē nō cognoscebant, aut credebant, effecturos ea quæ instituisent. Hanc fidem uocat D. Chrysostomus in 12. cap. prioris ad Cor. fidem signorū, nō dogmatū. Cum autē nos de fide catholica & Christiana loquimur, eam intelligimus, qua homines Christiani sunt, & membra corporis Christi. At qui in manifestis peccatis hærent, nō habent partem in regno Christi, quod est ecclesia: non sunt membra Christi, qui se faciunt mēbra scortorum: non norunt Deum, non sunt natī ex Deo, qui faciunt peccata, opera diaboli: sed sunt ex diabolo, quicquid ueri de Christo prædicēt, aut miri in nomine eius faciunt. Proinde ueram fidē Christi & ecclesię, huiusmodi homines non habent, tametsi ueram habeant illam, qua efficiuntur miracula.

Ioan. 1. 5.

6. & 15.

Rom. 6. 8.

1. Cor. 12.

1. Cor. 6.

1. Ioan. 1.

Ioan. 8.

Sed

Quid omnis
fides. i. Co-
rinth. 13.

Sed urget inter aduersarios, Alphonfus, Pighius, & alij, illud Pauli, Si habeam omnem fidem: & contendunt hoc dicto, omne fidei genus significari, non illud tantum quod Chrysostomus scripsit, signorum esse, non dogmatum. Volunt igitur Paulum hoc dicto innuisse, posse omnem fidem, cuiuscumque generis sit etiam, quae uera & catholica fides haberi debeat, esse absque dilectione, cum subiecerit, Charitatem autem non habeam.

Sed qui contentiosi non sunt, norunt uocem illam, Omnis, Apostolo saepe significare non uniuersitatem generis alicuius, sed rei cui adiungitur perfectionem, ut cum dicit, Sed quemadmodum abundatis omni fide, & sermone, & omni studio. i. Cor. 8. Item: Potens uero est Deus omnem benignitatem exuberare in uos, ut in omni re sufficientiam omnem habentes, exuberetis in omne opus bonum. ibid. 9. Signa Apostoli perfecta inter uos sunt omni patientia. ibid. 12. licet, Hortor uos omnes ut uersemini dignè uocatione, qua uocati estis, in omni animi moderatione & mansuetudine, &c. Ita in presenti dixit, Si omnem fidem habeam: id est, fidem faciendi miracula consummatissimam, adeo ut montes transferam.

Cui haec interpretatio non satisfacit, is tamen negare non potest, esse etiam genus quoddam fidei, & precipuum, de quo scriptura loquitur, quodque ubique fere intelligit, cum fidei nomine utitur simpliciter, quod sine dilectione esse non potest.

Si igitur in illo Pauli dicto, Si omnem fidem habeam, charitatem autem non habeam: uox Omnis, comprehendere debet omne fidei genus, necesse est, ut & precipuum fidei genus complectatur, fidei uirae & iustificatricis, quae sine dilectione esse non potest. Ex eo uero consequetur, Apostolum hic conditionem proposuisse im-

possibi-

possibilem. Possibile enim non est, ut qui fidē omnem habeat, atq; ideo etiam uiuam & regenerantē, charitatem non habeat. Atq; ita locus hic, etiam hoc ipso modo intellectus, nihil omnino in se habebit, quo probari possit, fidem Christi ueram posse esse sine charitate.

Hoc uerò figmento suo aduersarij non solum diuinis literis, uerū etiam S. patribus aduersantur. Hanc enim fidem iustificantem, D. Augustinus uocat fidem

Et D. Augustinus negat Christo credere, qui mortuam tantum fidem habent.

Christi, fidem gratiæ Christianæ, fidem euangelicam, fidem Christianorum: mortuā uerò illam, uocat fidem dæmonum: & negat credere in Christū, qui hanc mortuam, & dæmonum tantum fidem habeat: affirmatq; omnes eos qui ullo tenentur peccato mortifero, Christum fundamentū salutis, atq; ad eō fidem Christi, per quam Christus habitat in cordibus nostris, à se iam rececisse. Vide cap. De fide & operibus 16. uide item cap.

17. ubi de adulteris, exemplo adducto, dicit eos qui in adulterio perseuerent, conuinci, quod nolunt credere Christo. Nam necesse esse ut dicant, uel adulteriū non illud esse quod ille adulterium dicit esse: uel credant adulteros eius membra esse posse, quos per Apostolum dicit regnum Dei non possidere, & sanæ doctrinæ aduersari. Et cap. 21. scripsit: Inseparabilis est bona uita à fide, quæ per dilectionem operatur: imò uerò ea ipsa est bona uita. Constat igitur etiam D. Augustini autoritate, fidem mortuam non esse ueram fidem Christianorum: nec ea uerè credi Christo, aut in Christum, sed esse fidem dæmonum, fidem eorū qui fundamentum Christum non habent, nec partē ullam in regno eius.

Hæc nota.

Vera quidem fides et hæc dici potest, quatenus uera credit, & mira operatur: uera autem non est, quod ad uim attrinet fidei Christianæ, sed est falsum quoddam huius simulachrū, His, qui adiunxerit ea quæ supra

Vera fides etiam dicitur, qua uera credatur, etiam si uera credatur uerè.

retulimus ex familiari nostro colloquio, à responsione ad Replicam 15. usque ad finem eius tractatus, is indubie agnoscet, aduersariorum illud impiū & perniciosum dogma, fidem ociosam, & mortuam, tamē ueram & Christianam fidem esse, pugnare apertē & cum ipsis diuinis scripturis, & cum confessione catholica ueterū sanctorum patrū: nec quicquam adhuc adduxisse siue hos, siue alios aduersarios, quo id probari queat.

De fide informi & formata.

Nouimus quid schola doceat de fide informi & formata per charitatem: sed commentum hoc scholæ ex eo Pauli dicto, quod pro eo confirmando adducit, In Christo ualet fides operans per dilectionem, concludi non potest. Hæc enim consecutio firma non est: fides operatur per dilectionem, igitur dilectio est fidei forma & uiuificatrix. Aut, Ergo quædam fides uera est non operans per dilectionē, alia operans per dilectionē. Anima operatur per corpus, ideo ne dicemus, corpus esse formam uiuificatricem animæ: uel ut similis simile obijciā: Sapientia operatur per beneuolentiam & humanitatem, ergo sapientiam dicemus formari & uiuificari per beneuolentiam & humanitatem: & non potius per sapientiā istas uirtutes gigni, & perfici: Prudentia item operatur per temperantiam, fortitudinē & iustitiam, nulla tamen harum est prudentiæ forma uel uiuificatrix: nec est prudētia aliqua informis, id est, destituta uirtutibus ceteris, alia formata, id est, illis instruita. Quæ enim prudentia nō adiunctas habet reliquas uirtutes, uerē prudentia nō est, sed inane prudentiæ simulachrū. Ita fides uera Christiana, id est fides regenerans & corda purificans, eiusmodi est assensus uerbi Dei, ut quanquā sine cæteris uirtutibus esse nequeat, non tamē habeat uim & uitam suā ab ulla uirtute, sed ab ipso spiritu fidei quo inspiratur, à quo & illud fides acci-

Prudentia non est sine cæteris uirtutibus, ideo tamen non formatur per illas.

accipit, ut cū illis & uirtutibus & bonis operibus uim
& formā suppeditet, qua uirtutes sunt & bona opera.
Ex fide enim in nobis existit omnis recta uoluntas, &
uerè bonum opus. Vnde sine fide peccatum est, quic-
quid homo molitur & facit. Hæc ad primam ^{vers. α. σ. ι. ν.} obiectionem,
cōtra definitionem fidei, quam aduersarij obiecerunt,
de fide mortua & ociosa.

RESPONSIO AD CAVILLA VINTONIENSIS,

contra id quod dicimus, Charitatem nasci ex fide, si

deiq; semper coherere.

HANC Christianæ doctrinæ partem, uoluit etiam *In epistola*
Stephanus Vintoniensis episcopus, suis exagita *ad Marti-*
re argutis, admodum calumniolis quidem & blasphe- *num Buce-*
mis: tu aut uide pie lector, quam nulla tamē probabili- *rum.*
tate obiectis. Scribit: Primū hic quærā, quomodo pa-
riat charitatem fides, nondum collata remissione pecca-
torum, qui primus est felicitatis nostræ gradus. Dein-
de ait, in iustificatione donari nouam uitam, igitur &
charitatem, nō igitur gigni charitatē. Digna uerò e-
piscopo argumenta. In prima obiectione uides pie le-
ctor, quæ nihil pēsi hic episcopus habeat, quid in nostris
scriptis oppugnet. Legit certē passim in nostris scrip-
tis, & in hoc ipso scripto suo cōtra nos edito ipse cōme-
morauit, nos per fidē iustificantē, eam intelligere fidē,
qua remissionē peccatorū recipimus: satis igit agnos-
cere poterat apud nos, qui secuti D. scripturam fidei
iustificati propriū facimus, oblatā euangelio peccatorū
remissionē percipere: hāc fidē nemini attribui, quē nō
agnoscamus peccatorum remissionē hac ipsa iam fide
percepisse. Quid igitur causæ habet, à nobis quidem,
ut quærat quomodo fides pariat charitatē, nondū colla-
ta remissione peccatorū: cum sciat nos non agnoscere,
in eo esse fidē, nedum gignere ex se charitatē, qui non

Omnis amor ex cognitione, uel opinione uirtutis.

peccatorū remissionē tam euangelij assensu id est fide perceperit: Aequē consideratē & alterā obiectionem intulit, Charitas donatur, ergo nō gignitur. Donatur sanē, sicut & fides ipsa, & totus nouus homo donatur: tamen spiritus sanctus scribit per Paulum & Petrum, hunc gigni ex semine uerbi Dei, adeoq; ex fide uerbi. Quinetiam philosophi dicunt, uerum honestumq; amorem nasci ex opinione uel cognitione uirtutis. Unde D. Augustinus rectē dicit, nos amare posse, quos non uidimus, non autem quos non cognouimus.

Ioan. 6.

Cum itaque Dominus rogaret duodecim, quum multi discipulorum ab illo discessissent, eius sermone offensi, num uellent & ipsi à se abire? Respondit Petrus, Ad quem ibimus? Verba uitæ æternæ habes: Et nos credimus, & cognouimus, quod tu es Christus filius Dei uiuī. Cernis sic quæ his causa fuerit, ne à Domino, ut multi iam fecerant, & ipsi discederent, sed in eius comitatu, amore, atq; obsequio perseuerarēt? Crederunt, & credendo cognouerunt, quod uerba uitæ æternæ haberet, & esset Christus filius Dei uiuentis: hoc est, redemptor à peccato & morte, atq; uitæ æternæ largitor. Sicut ergo discipuli illi, qui cū Petro uerē sentiebant, certò & confirmatē crediderunt, & credendo cognouerūt, omnia expetēda sibi, esse sibi in uno Domino proposita: sic etiam solide eum & cōstanter amauerunt & coluerunt, ut abstrahi ab eo non possent.

Ita Ioannes in epistola sua: Omnis qui diligit ex Deo natus est, & cognoscit Deum; qui nō diligit, non nouit Deum. Et ex his itaque Apostoli uerbis uides, dilectionem proficisci ex Dei cognitione. At cognitio Dei hic fide constat: Ex fide igitur nobis uenit, sed donante Deo, ut diligamus & ipsum, & quem præcipit nobis diligere, proximum.

Est

Est quidem unum opus Dei, una vis Spiritus sancti, qua homo regeneratur, hoc est, & credens Deo, & amans Dei efficitur; nostra tamen ratione, sicut aliud quiddam fidem, & aliud charitatem intelligimus, ita fides natura priorē in nobis agnoscimus & sentimus (qua scilicet Deum, & eius erga nos charitatem cognoscimus) charitate nostra, qua cum fide cognitū Deum amamus, tum ex eo etiā proximum, in quo se Deus amari & coli vult, diligimus. Hæc itaq; cum ita habeant, quid quæso incommodi, uti nos hac in re metaphora gignēdi, & dicere, ex fide gigni charitatem, hoc est, charitatem in nobis Dei existere ex fide, qua credimus Deum esse amandum? præsertim cum & sancti patres ista metaphora usi sint, uocantes fidem matrem omnium uirtutum. D. Chrysostomus certè fidem nominatim uocat parentē charitatis. ἀπὸ πίστεως, inquit, ἐλκεται ἡ ἀγάπη τίνεταί. ὁ γὰρ ὄντως εἰς θεὸν πιστεύων, οὐκ ἀνέχεται ποτὲ ταύτην ἀφέναι. id est, A fide nascitur charitas. Qui enim uerè in Deū credit, nunquā illam dimittere sustinet. Et ista pronunciauit hic uir Dei ex dicto Spiritus sancti: Finis legis est dilectio ex puro corde, cōscientia bona, & fide non ficta. Dilectio ē itaq; Dei existere ex fide, auctoritate dicitur Spiritus sancti. De hac uide quid & D. Bernardus scripserit: iustus autem, inquit, quis est, nisi qui amanti se Deo, uicem repperdit amoris? Quod non fit nisi reuelante spiritu per fidem huiusmodi eternum Dei propositum, super sua salute futura. Quæ sanè reuelatio, non est aliud quàm infusio gratiæ spiritualis: per quā, dum facta carnis mortificantur, homo ad regnum præparatur, quod caro & sanguis non possident: simul accipiens in uno spiritu, & unde se præsumat amatum, & unde redamet, ne gratia amatus sit.

*Vera uis
Dei homi-
nē regene-
rās, et ista
men opera
distinctim
à nobis in-
telliguntur
& sentiun-
tur.*

*Sermone in
epistolam
priorem ad
Tim. 1.*

1. Tim. 1.

In his obserua primùm, amorem Dei non nisi ex spiritu fidei, & per fidem in hominis animo accèdi: deinde uno spiritu & carnem mortificari, & fiduciam in Deum excitari, & amorem Dei accendi. Primùm tamen horum esse, fidem euangelij ex reuelatione æterni Dei propositi super salute nostra futura. Quod ergo dicimus, ex fide gigni charitatem, eiq; adherere necessariò, & diuinarum scripturarum & sanctorum patrum authoritate comprobatur.

RESPONSIO AD BILICKII COROLLARIUM, quo conatus est dictum hoc, Charitatē esse formam iustificationis, adserere.

Hæc habes
pag. 26.
1. Ioan. 4.
1. Ioan. 3.
1. Tim. 1.
Rom. 13.
Galat. 5.

Responsio
ista habetur
suprà pag. 88.
usq; ad 93.

Hæc habes
suprà pag.
134.

Dixerat Maluenda in prima sua de iustificatione actione, charitatem iustificare formaliter, ut quæ sit forma iustitiæ. Et ad probandum hoc suum dictum, adduxerat quosdã Ioannis & Pauli sententiã de charitate, quod scilicet in Deo manet, qui manet in charitate. Et quod cū fratres diligimus, eo scimus, quod de morte transiuimus ad uitã. Item, quod charitas sit finis præcepti, & impletio legis. Ad hæc uerò loca respondimus: Nihil illis aliud de charitate concludi, quàm ea in choatã in nobis hic iustitiã cõstare maximè, & perfici, & demonstrari nobis iustitiã Christi esse donatã. Proinde nihil esse ab eis adductũ, quo suũ dictũ probarẽt, iustificari nos charitate formaliter, aut charitatem esse formã iustificationis: hoc est, charitatē esse eã uirtutē, propter quã nobis cõtingat & perficiat iustificatio uitæ: id est, adiudicet uita æterna, eo quod nostra siue in Deũ, siue in proximũ charitas, nunq; in hac quidẽ uita legi Dei satisfacit. Bilickius præ se ferens, se uelle ostendere, nostra respõsione nec cõtradici ipsi, neq; de probatione ipsorum, per loca Ioan. & Pauli quicquam esse detractũ, respõdit ad nostra: Hoc esse quod ipsi uelint,

lint, iustificationem, quam nos uocemus inchoatā, cō-
stare fide, spe & charitate: ostēdisse autem se, iustitiam
inchoatam esse uerē & propriē iustitiam, qua iusti in hac uita
sunt in hac uita. Manere ergo, quæ pro confirmatione
sententiæ suæ dicta sunt, omnia immota.

Hic iterum tu uide pie lector, quā cōsideratē ege-
rint in re tanta hi collocutores. Primū enim cū nos di-
ximus, iustitiā inchoatā constare fide, spe & charitate:
Billickius id nobis inuertit, & refert uerba nostra, qua-
si dixissemus, iustificationē cōstare fide spe & charita-
te. Quantum autē intersit inter iustitiam inchoatā, & iu-
stificationem uitæ, abundē ostendimus suprà, cum egi-
mus de duplici iustitia. Deinde, quid confert ad id
quod adferendum Billickius suscepit, nos charitate iu-
stificari formaliter, uel charitatem esse formā iustifica-
tionis, illud quod subiicit, se ostendisse iustitiā inchoa-
tam esse uerē & propriē iustitiā, qua iusti in hac uita su-
mus: Suprà enim satis supercūq; demonstrauimus, quan-
quam iustitia inchoata, sit iustitia, & simus nos ea iu-
sti, ea tamen neminem iustificari iustificatione uitæ.
Iam cum constet ex locis de charitate per Maluendam
adductis, nihil prorsus probari amplius, quā chari-
tate constare & perfici iustitiam inchoatam, quæ ta-
men propter sui imperfectionem iustificare neminem
potest, iustificatione uitæ: omnino confutauimus di-
ctum Maluendę de charitate, quod ea iustificet forma-
liter, aut sit forma iustificationis. Et iuxta demonstra-
uimus, nihil prorsus esse in sententijs Iohannis & Pau-
li, quas Maluenda pro eo adduxit, quo illud probe-
tur. Non igitur manent immota, sed iacent deiecta, &
id quod confirmandum susceperunt aduersarij, &
ea quæ sunt ab eis pro confirmatione dicti sui
allata, ludicet pius lector.

Billickius
uerba Pro-
testantium
peruertit.

Falsa cōse-
cutio, cha-
ritas perficit
iustitiā
inchoatā,
ergo est for-
ma iustifi-
cationis.

RESPONSIO AD SENTENTIAS D. AUGUSTINI, quibus Billickius frustra conatus est probare, charitatem iustificare formaliter.

VERVM subijcit Billickius pro clariore sententiae suae explicatione, corollarj uice, unum & alterum locum Augustini. Has itaq; D. Augustini sententias (habes eas supra ordine) ipse pie lector inspicias & diiudices, & uidebis eas quoq; tantundem ad ipsorum propositum adferre momenti, quantum priora. Prima enim Augustini sententia, desumpta ex libro De spiritu & littera, quid aliud docet, quam charitatem legis plenitudinem, diffundi per spiritum sanctum in cordibus, non inscribi in lapideis tabulis? Quomodo autem charitas illa plenitudo legis sit, dictum supra est. Perfecta quidem illam legem totam implet: sed in hac uita nemo est, qui de perfecta possit charitate gloriari, nisi qui nescit gloriandum esse in Domino. Nemo itaq; in hac uita charitate sua legem omnino perficit: ac proinde, charitate nemo iustificatur formaliter, nec est ea forma iustificationis.

Charitas legem implet prout est, perfecta, in perfecta imperfecte.

Cap. 117. Ita in altera sententia adducta ex Enchiridio, quid docetur aliud, quam hominis bonitatem perfici & agnoscere charitate? Ex hac enim cognoscitur homo esse natus ex Deo, & esse arbor bona, manereq; & uiuere in Deo: sicut etiam deprehenditur homo non esse natus ex Deo, esse arbor mala, & in Deo non manere & uiuere, adeoque Deo non credere, si sit charitate destitutus.

Vnde & D. Augustinus ijs uerbis quae adduxit Billickius, continenter subiunxit: Nam qui recte amat, proculdubio recte credit & sperat: qui uero non amat, inaniter credit, etiamsi uera sint quae credit: inaniter sperat, etiamsi ad ueram foelicitatem doceantur pertinere quae sperat: nisi & hoc credat & speret, quod sibi petenti donari

Inanis fides, non amantium Deum.

donari possit ut amet. Sentit itaq; D. Augustinus, à re-
cta fide uenire amorem, non ab amore fidem rectam
perfici, ut sua forma. Nam eodem loco post pauca ad-
iecit: Ipsa est autem fides Christi quam cōmendat A-
postolus, quæ per dilectionem operatur: & quod in di-
lectione nondum habet, petit ut accipiat, quærît ut in-
ueniat, pulsât ut aperiatur ei. Fides namq; impetrat,
quod lex imperat. Certum enim est, fide Christi ut re-
gigni nos, & Christo inseri, ita fieri bonos, & charitate,
id est bonitate donari. Vnde idem uir Dei alibi scrip-
sit: Nostra fides, hoc est, catholica fides, iustos ab iniu-
stis, non operum, sed fidei lege discernit. Quia iustus
ex fide uiuit.

Tertia D. Augustini sententia per Billickium ad-
ducta ex tractatu quinto in epistolam Ioannis, id ipsum
docet, nihil amplius scilicet, quam ex charitate cogno-
sci apud hominēs, quis sit natus ex Deo: & cui hæc de-
sit, illi nihil prodesse quod baptizatus sit, & cætera fide-
lium signa & opera habeat. Qui enim charitatem non
habet, nec fidem Christi uerâ habet. Quodq; dicit so-
lam dilectionem discernere inter filios Dei & filios dia-
boli, ad iudicium humanum retulit, Deus enim sua e-
terna præscientia, præfinitione & electione, discreuit
suos filios à filijs diaboli ante conditum mundum. Ele-
git enim nos in ipso, inquit Paulus, ante conditū mun-
dum. In ipsorum uerò cordibus discernuntur sancti,
primùm fide, qua gratiam Dei & adoptionē filiorum
percipiunt, & ob signati spiritu filiorum Dei, clamant
Abba pater. Deinde hac sui à mundo selectione, & ef-
ficacia fidei, confirmantur, & alijs quoque ut renati in
Christo innotescunt, uis charitatis.

Nam scripsit hic uir Dei, ut modò cōmemini, non
operum, sed fidei lege discerni iustos ab iniustis. Fides
enim

Lib. 3. con-
tra duas e-
pistolas Pe-
lag. ad Bo-
nifacium,
cap. 5.

Pios ab im-
pijs discer-
nit apud ho-
mines dile-
ctio, apud
Deum ele-
ctio: quæq;
apud se, fr-
des.

enim cum cordis sit, & ideo lateat homines, tum dubia sit apud homines fidei confessio, quæ fit uerbis & sacramentis, alijs uel signis: rectè requiritur etiam confessio & testimonium fidei, quod constat factis, & factis charitatis. Nec igitur ex hoc Augustini dicto probatur, fidem perfici charitate, ut sua forma.

REPELLITVR BILLICKII CALVMNIA DE
operibus charitatis, ad quid profint.

Hæc habes
pag. 136.

ILLVD uerò quod diximus, opera charitatis argu-
mento esse, nos manere in Christo: Billickius arris-
puit & calumniatus est, quasi dixissemus, opera chari-
tatis ad nihil aliud prodesse, quàm ut sint signa inhabi-
tantis nos spiritus sancti. Rogatq; Quid igitur pro-
sunt apud Deum, cui cognoscenti omnia, nō sit opus
his argumentis, ad nos cognoscendum? Atq; negat o-
pus esse, ut probemus nos proximo esse iustificatos, &
nihil referre nostra illū hoc scire: nec illius, nisi forsan
quod attinet ad ædificationem.

Vides iterū, hos collocutores, dum non inueniunt
in dictis nostris, affingere nobis, quod oppugnent: at-
que in hoc nostra impugnandi studio eò sese proripe-
re, ut ipsam etiam scripturam Dei impugnent. Pri-
mū enim, non diximus, opera charitatis ad nihil ali-
ud prodesse, quàm ut sint signa spiritus sancti in no-
bis inhabitantis. Sed diximus, nihil aliud de charitate
demonstrari in locis quæ Maluēda adduxit ex D. Ioan-
ne, quàm hoc. Interim uerò quoties cōfessi sumus bo-
na opera prodesse nō tantum proximis, quibus per ea
cōmodamus, sed etiam nobis ipsis, qui ea facimus, atq;
etiam apud Deum? Quanquam meritò adiecimus, ea
prodesse nobis apud Deum, & benignè remunerari,
non ipsorum merito, sed gratia Dei, charitate & libe-
ralitate, & propter meritum filij eius.

De;

Deinde cum Billickius dicit, non esse opus, ut probemus nos proximo iustificatos esse: nec referre nostra aut illius, ut id sciat: an non aperte cōtradicit Domino *Matth. 5.* dicenti ore suo: Sic luceat lux uestra corā hominibus, ut uideant opera uestra bona, & glorificent patrem uestrum, qui in cœlis est: Et ore Pauli: Manifestatio *2. Cor. 4.* ne ueritatis cōmendamus nosmetipsos ad omnē conscientiam coram Deo. Item: Prouidemus quę honesta *Rom. 12.* sunt, non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus. Postremò, parum ne uideatur interesse proximo, ut bonis nostris exemplis edificentur.

Vides quā malè hæc conferant ad piā ecclesiarum cōsensionem: Vides item, aduersarios nihil prorsus adhuc attulisse, nec hoc Billickij corollarium quicquam in se habere, quo ipsorum adstrui dogmata queant: Siue illud, de fide ociosa & mōrtua, quod ea sit fides uera & Christiana: siue quod iustificemur charitate formaliter, aut charitatem esse uel fidei, uel iustificationis formam: Manifestæ autē esse ueritatis, fidē Christi ueram, uitā & formam suam habere ab eo, à quo inspiratur, à spiritu sancto, non ex charitate, quæ ex ipsa gignitur. Item per hanc fidem ita habitare Christum in credentium cordibus, ut peccatum nullum ferat cōtra conscientiam, sed operetur per dilectionem omnne bonum: qua dilectione quicumque destituitur, eum etiam fide destitui: & si fidem habuit, eam iam cōuincitur abnegasse. Nunc & de certitudine salutis, quam fides affert, necessariò agamus.

DE FIRMISSIMA SALVTIS AETERNÆ FIDUCIA & certitudine, quam fides præstat necessariò.

IN explicando naturam fidei, diximus magnopere sanè dolendum esse & deplorandum, audere homines docere, nos nō debere certò statuere, nobis esse

peccata remissa, & donatam uitam aeternam, cum hanc ab eo per filium eius uera fide precamur, oblatam euangelio & sacramentis solida fide excipimus. Nec proferri posse unum uerbum ex omni scriptura, nec ex sanctis patribus, unde possit ista fidei deiectione & euerfio comprobari. Nam Maluenda in sua propositione sexta dixerat, eum qui firmiter & certo statuat, sibi remissa esse peccata, non habens conditionis suae & infirmitatis rationem, iudicio magis temerario, quam scripturae auctoritate ducti. In hoc tamen Maluenda dicto, illud, Non habens conditionis suae & infirmitatis rationem, quoniam potest duplicem sensum habere, explicauimus ac diximus, si quis ita suae infirmitatis & conditionis nullam duceret rationem, ut eum huius non pingeret & poeniteret, eum certe nec posse statuere per fidem Christi sibi peccata esse remissa: eum autem quem suae infirmitatis & miseriae uere poenitet, non debere ita huius suae miseriae & infirmae conditionis habere rationem, ut propterea non certo statuendum sibi putet, peccata sibi esse remissa, cum credit euangelio, & peccatorum remissionem orat ac percipit ex absolute ecclesiae, & sacramentorum gratia.

Maluenda uero & Billickius, non admissa nostra nec probatione, nec explicacione, quam proposuimus, istam salutaris certitudinem, quam fides uera praestat, oppugnare conati sunt, explicacione tamen praemissa sententiae, quam supra habes pag. 25. 26. Quae in eo sita est, ipsos quoque dicere & docere omnibus promissionibus Dei credendum esse indubitato, certo, & firmiter. Sed has promissiones non dari nisi poenitentibus, credentibus, sperantibus & amantibus. Proinde cum homo non sit certus, certitudine fidei, quando haec dona accipiat & intelligat, occultissimae superbiae uicium inter

Pag. 77.
et 78.

Quid Maluenda contra fidei certitudinem.

ter summas virtutes latere. hinc fieri, ut nō debeat tam certō credere, nihil esse in se impedimenti, quo minus Dei promissionem accipiat: quā certō credit, Christum esse filium Dei, quæ est fidei certitudo.

Billickius ferè eadem dixit in expositione & reprehensione quinti nostri Axiomatis: Dubitationem, inquit, referimus non in promissiones Dei, sed in defectus & impedimenta infirmitatis nostræ, ne fortè conditionibus promissorum Dei desimus ex parte nostræ. Sententia itaq; aduersariorum est, Christianum & credentem Christo hominem non debere tam certō credere se saluum fore per Christum, quā certō credere debet Christum esse filium Dei: sed dubitare de salute æterna oportere, non quidem propter incertitudinem promissionum Dei, sed propter certitudinem conditionis & infirmitatis suæ: non ut dubitet, ne Deus desit promissis suis, sed ne ipse desit conditionibus promissionum Dei. Adeoq; fidei Christianæ proprium non esse, excutere dubitationem de salute æterna.

Nostra uerò est confessio, Christianum hominem non esse, qui nō eadem fidei certitudine credat & Dominum Iesum esse filium Dei, & se per eum esse percipienturam uitam æternam, & se nunquam in hac uita factis credere, sperare & amare. Adeoq; fidei Christianæ proprium esse, metum qui in sanctis ex ipsorum indignitate meritō existit, superare: et si non penitus excluda, repressa tamē dubitatione, animum de salute æterna quo ad Dominum dederit, reddere certū & securū.

Quo scripturarum fundamento hæc nostra nitatur confessio, indicatum & explicatum à nobis est supra pag. 66. & 80. & pag. 82. Item in tractatione huius quæstionis, in colloquio familiari, quæ est relata supra à pag. 241. usque ad pag. 249. Nunc itaque tan-

Pag. 168.

Quid Billi-
ckius cōtra
fidei certi-
tudinem.

Confessio

Protestan-
tiū de fidei
certitudi-
ne.

rum respōdebo ijs rationibus & auctoritatibus, quas aduersarij obiecerunt.

RESPONSIO AD QVAEDAM SCRIPTURARUM loca, quibus aduersarij oppugnare uoluerunt certitudinem fidei.

Eccles. 1.

EX D. ergo scripturis hæc obiecerunt. Primum ex Ecclesiastico de propitiato peccato, uel ut alij codices habent, de propitiatione peccatorū: Noli esse sine metu. Hoc autem loco quid docemur à Sirach aliud, quam ne de propitiatione impetranda de peccatis nostris ita simus securi, ut peccata peccatis adijciamus? Sic enim habet locus iste: Ne dicas, Peccaui, & quid mihi factum est? Dominus est enim longanimis. Ne fias absq; metu de propitiatione, ut peccata peccatis adijcias, *πρόσι ἐφιλασομὲς μὴ ἀφοβῶς γίνεσθαι, προσηναί ἀμαρτιῶν ἐφ' ἀμαρτιῶν.* Et ne dicas, Misericordia eius multa est, multitudo iniquitatum meorum propitiatus erit, &c.

Philip. 2.

Vides, ne uerbum quidem inesse in hoc loco, unde cōcludatur, eos, quos peccatorū suorum uerè pœnitentibus cum eis remissio peccatorum per euangelion & sacramenta offertur, debere nihilominus dubitare de misericordia Dei, & peccatorū suorū remissione. Sicut nec in altero loco quicquam huius inest, quem Maluenda adduxit: Cum timore & tremore uestrā ipsorū salutē operamini. Eo enim quid aliud quam sollicitudo præcipitur uiuendi Deo, ut anxie caueamus peccatū: non sanè ut dubitemus de Dei misericordia & salute. Unde Apostolus ad hos ipsos Philippenses scripsit, se persuasum esse, Dominū, qui cœpisset in illis opus bonū, perfecturum etiam illud esse usq; in diem Iesu Christi.

Philip. 1.

1. Ioan. 4.

Ergo ne eos de salute sua dubitare uoluit, de qua se nihil dubitare testatus est? Tertius locus ex D. Ioanne adductus est: Si cor nostrū non cōdemnat nos, fiducia habe-

habemus erga Deū, et quod petimus, accipimus de eo, quia mādata eius seruamus. Cur hunc locū adduxerit Maluenda, mihi non liquet. nam nostrā sententiā confirmat. Etenim donec remissionē peccatorū fide Christi apprehendimus, cor nostrum nos semper reprehendit, & condemnat peccati, cū eius quod in nobis inhabitat contractū à uitiata origine, tum illius quod ex hoc peccato impulsū admittimus, errore mentis, & deprauata cupiditate. Quandoquē enim dixerimus, nō habemus peccatum, nosmetipsos seducimus: & nunquam nō uidemus legē in membris nostris aduersantem legi mentis nostræ, & captiuantē nos legi peccati. At dum confitemur peccatū, & Christum Dominum, qui est propitiatio pro peccatis nostris, solida fide complectimur, ille fidelis est & iustus, ut nobis peccata remittat, & nos ab omni iniquitate purget. Sicq; nos agat spiritu suo, ut non peccemus scientes & uolentes, sed seruemus mandata eius, & faciamus quæ ipsi grata sunt. Qui enim natus est ex Deo, non facit peccatū, quia semen eius manet in eo: & non potest peccare, quia ex Deo natus est. At fide Deo & regnimur, & regenerati uiuimus. Per solam itaq; fidem nobis id cōtingit, ut cor nostrum nos non reprehendat: & ut fiduciam habeamus gratiæ Dei, qua non dubitemus, nos ab eo esse accepturos, quicquid ab eo petierimus in nomine filij eius. Hic igitur locus nostram sententiā confirmat, & destruit dogma aduersariorum.

Quartus locus est ex Prouerb. 28. Beatus homo qui semper terret se: qui autem indurat cor suum, cadet in malum. Hic rursus quid aliud, quā ille timor offensæ Dei commendatur, qui obdurationi cordis Deum contemnentis opponitur:

EXCVSSIO LOCI ECCLES. IX. QVI RED.

di solet, Nescit homo an amore uel odio dignus sit.

Hebraica ueritas.

Quoniam locus ab utroque aduersario adductus est ex Eccles. 9. Nescit homo utrum amore uel odio dignus sit. Sed in Ebraeo hoc non habetur, uerum ita habetur: Posui omnia ista in corde meo, ut peruestigarem totum hoc, quod iusti & sapientes, & opera eorum sunt in manu Dei, & nescit homo nec dilectionem nec odium, sed omnia sunt ante eos: omnia sic eueniunt, tanquam sit unus omnium euentus, iusto & impio, bono ac malo, mundo & immundo, &c. Et paulo post: Hoc malum est in omni eo quod factum est sub sole, quod omnia habent unum euentum.

Ex eueni for
tune externae
non posse di
scerni bonos
& malos, nec
quatenus bo
norum posse
certum esse
de rebus suis
futuris, secun
da aduer
se euentura
sunt.

Ex eueni for
tune externae
non posse di
scerni bonos
& malos, nec
quatenus bo
norum posse
certum esse
de rebus suis
futuris, secun
da aduer
se euentura
sunt.

Dilectio, res
amatae & ex
petendae:
Odiu, res o
diose & fu
giendae.

In his quis non uideat Salomonem loqui de eo, quod non possint ex fortuna externa discerni boni a malis, & impij a pijs, sapientes a stultis: cum plerumque eadem utriusque fortuna utantur, & nesciat homo & dilectionem & odium, id est, quid euenturum sibi sit, uel alijs, siue earum rerum quas diligit, id est expetit homo, siue earum quas odit quisque & declinat. Sunt haec ante eos, id est futura & incertae expectationis. Sunt enim in manu Domini, iusti & sapientes, & opera eorum: qui illos adeo admirabili consilio regit, atque ita saepe habet in hoc mundo, quod ad carnem attinet, duriter, ut inuisi Deo, & reiecti a Deo habeantur, tandemque ut caeteri homines moriantur, eorumque & dilectio & odium & amulatio pereat: id est, obliterentur, & quasi oblivioni tradantur (apud homines scilicet, non apud Deum) quaecumque dilexerunt & sectati sunt, quaecumque respuerunt & fugerunt, quaecumque in alijs derestati sunt, & indignè trulerunt. Quod uero dilectionem & odium interpretor cum quibusdam Ebraeis, non Dei erga homines, sed de hominum dilectione & odio erga res expetendas & fu-

& fugiendas, adeoq̄ ipsas res quas homines diligunt
 & oderunt, mouet me cū ipsa uniuersa loci huius tra-
 ctatio, tum quod Salomon adeo paucis interiectis, per-
 manens in eadem tractatione, his nominibus rursus
 in eadem significatione usus est; cum dicit, Perire ho- *Perit homi-*
 minum dilectionem & odium & emulationē. Id enim *num dile-*
 de dilectione & odio Dei erga nos intelligi nō potest, *ctio, odiū,*
 quæ æterna sunt, nec morte hominum pereunt. Nam *emulatio.*
 odio habet Deus semper impios, & diligit perpetuo
 pios, & in finē. Dilectione, inquit, perpetua dilexi te. *Ierem 3.*
 Et Ioan. Cum dilexisset suos, in finem dilexit eos. Sed *Ioan. 13.*
 demus, nō hominū in res, sed Dei erga nos dilectionē
 & odiū intelligi hoc loco debere: tamen id constare ne-
 quibit, quod homo credens euangelio, possit ignorare
 Dei erga se siue dilectionem, siue odium. Si enim quis
 credit euangelio, & inuocat Deum per Christum uera
 fide, iam nouit dilectionem Dei erga se, & esse se Dei
 odio per Christum exemptū. In hoc enim, inquit D.
 Ioan. manifestata est dilectio Dei in nobis, quia misit *1. Ioan. 4.*
 filium suum unigenitum in mūdum, ut uiuamus per
 eum. In hoc est dilectio, nō quod nos dileximus Deū,
 sed quod ipse dilexit nos, & misit filium suū propitia-
 tionem pro peccatis nostris. Et Dominus ipse ad pa-
 trem dicit: Notum eis feci nomen tuum, & notum fa-
 ciam, ut dilectio qua me dilexisti, sit in eis, & ego in
 eis. Et Apostolus: Deus diues misericordia per multā *Omnis cre-*
 dilectionem, qua dilexit nos, cum essemus mortui pec- *dens euan-*
 catis, conuiuificauit nos in Christo. *gelio nouit*

Ita norunt etiam omnes habentes uerbo Dei solū
 dam fidem, nos dignos esse, quod ad peccata nostra at-
 tinet, quibus hic nunquam planē liberi sumus, odio, *se, ex se di-*
 & non dilectione Dei. Deum autem ex sua ultronea *gnum esse*
 misericordia præuenire nos dilectione sua, indignos. *Dei odio,*
non dile-
ctione.

NN

Proinde

Proinde qui nesciunt se à Deo diligī, ij nec credunt se à Deo receptos esse in gratiā, & adoptatos esse in filios: nec possunt cū ueritate dicere Deo, Pater noster: nec etiam credere filiū Dei esse, & pro se mortuū, atq; suorum quoq; peccatorū propitiatiōē. ideo nec habere Christi, & esse Christi, huiusmodi dubitatores ualent. Quapropter si hoc loco per dilectiōē & odium intelligere quis uelit Dei erga homines dilectiōem & odium, necesse est ut illud, Nescit homo dilectiōē & odiū, intelligat uel de homine ignaro uerbi Dei, & incredulo, aut certè de dilectiōe Dei & odio erga alios, de quorum fide non constet. Qui enim non credunt euangelio, sicut non norunt Deū ipsum, ita nec eius norunt uel dilectiōē, uel odiū: id est quos diligit, aut habeat odio: aut quid ualeat eius dilectiō & odiū. At qui credit euangelio, ut de alijs hominibus incertus sit, preferim si externam illorū fortunā, de qua hic Salomon loquit, cōsideret, an diligant à Deo, uel habeant odio: de seipsis tamen necesse est ut nō dubitēt, se dilectiōe Dei iam prauentos esse, & haberi in filijs Dei. Planū itaq; factū est, quomocunc; locus hic Ecclesiastæ accipiatur, siue iuxta Ebraē ueritatē, quam secuta est & uulgata uersio Græcorū, siue ut latini eum legūt: & siue intelligat de Dei, siue de hominū dilectiōe & odio, tamen nihil facere ad propositum aduersariorū, ut eo probent illam quam inuexerunt fidei dubitationem.

EXCVTITVR LOCVS IOB, ETIAM SI

simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea.

PERINDE facit ad propositum aduersariorum, lo
 scent facile, qui quæ illi loco cū præmissa, tum subie
 cta sunt, considerauerint. Præmissum enim est huic di
 cto, quod Billicius adduxit; Si iustificare me uoluerō,
 09

os meum condemnabit me: si dicere innocentem, prauum me declarabit. his subiicitur: Si innocens ego, id nō sciam animo meo, auerfabor uitā meam. His quid Iob aliud dicere uoluit, quā et si uidear mihi iustus & innocens, & nihil mihi cōsciū, tamen iudicio Dei condemnor: & cum in hoc Dei iudiciū respicio, etiam ipse me cōdemnare & detestari uitam meam cōpellor. Consumit ultio Dei non impios modò, sed eos etiam qui habentur innocentes. quod tamē de presenti tantū castigatione dixit. Qui enim fide *ימים* sunt, id est, simplices & innocētes eos, quanquā propria innocentia à consumente omnia iudicio eripere non possit, eripiuntur tamen eo iustitia & innocentia Christi, & gratuita misericordia Dei. Vides igitur locū istū, si eum ut in Ebræo habetur, legas, nihil prorsus habere, quod certitudinē salutis, quā fides Christi parit, labefaciet.

Imò contrariū potius docet totus hic locus. Nā illud potissimū Iob responsis suis egit, sanctos omnes & iustos homines oportere diffidere de sua iustitia, & sola Dei gratia sese erigere & confidere. Lege pie lector responsionē eam totā, ex qua aduersarij suā obiectionē traxerūt (ea cōtinetur 9. & 10. cap.) Lege & sequentes, & uidebis doctrinā hanc nostrā, imò totius catholice ecclesie, quod nullius hic uiuentis iustitia, Dei iudiciū ferat: & tamē in Dei iustitia per Christū donata, certā salutis spē esse figendā, doceri etiam à sanctissimo & sapientissimo hoc uiro Dei, & clarissimo, & copiosissimo. Cōtenderat Bildad Suchites, calamitatē, quæ Iobo acciderat, acceptā ferendā esse peccatis filiorū Iobi. & Iob ipse. Nunquid dixerat, Peruertit Deus iustitiam, aut peruertit omnipotens iustitiam, id est, iustam causam? An nō potius quoniā filij tui cōtra eum peccauerunt, misit eos in locum dignum scelere eorum, eo quod ab

Locus Iobi,
Si simplex fu-
ero, hoc ip-
sum ignora-
bit anima
mea: enarra-
tur, ut in E-
bræo habe-
tur.

Locus a Billi-
ckio pro se
adductus, cō-
tra eum facit

Somma om-
nium respon-
sorum Iobi,
Neminē hic
uiuentem iu-
diciū Dei
ferre posse,
quoniam liber in-
stus sit: coque
Dei sola mise-
ricordia om-
nes sanctos
uiuere & sus-
tineri.

ipso defecerunt: Si tu te mane ad Deum conuertas, & supplices omnipotentī, si purus sis & rectus, restituet habitaculum, & decorem iustitiæ tuæ, corpus scilicet & statum tuum, &c. Deinde pertexuit concionē suam de eo, quod Deus bonos & pios homines euehat, et fœlices reddat: malos uerò & impios destruat, & miseros faciat. Ecce, inquit, Deus non aspernatur hominē simplicem, & integrum: nec confortabit manum noxiorum, donec impleatur risu os tuum, &c.

Ad hæc orditur Hiob suam responsionem his uerbis: Verè res ita habet, id est, Deus benignè facit integris & rectis hominibus, euertit prauos & perversos. Verùm quis homo iustus sit coram Deo? Non respondit ei unum de mille. Atq; inde per totam suam responsionem prædicat immensam Dei potentiam, & iudiciij eius seueritatem, atq; altitudinem: ac cõfiteatur, quod in iudicio Dei ex sua iustitia iustificari nõ possit: indeq; se totum effundit ad implorandam misericordiam Dei, & deprecandum iudiciij seueritatem, quam queritur sibi esse intolerabilem.

Quod si iustus sim, inquit, nõ respondebo tamen, gratiam potius à iudice meo petam. Item: Dicā Deo, nolī me cõdemnare. Et rursus: Vitā & benignitatē exhibuisti mihi, & uisitatio tua custodiuit spiritū meum. Hæc abscondisti in corde tuo, scio quod istud tecū est. Quid: ut uitam & benignitatem mihi rursus largiaris. Sicut postea dixit 9. Ego autem scio, quod redemptor meus uiuit, & in postremo stabit super puluere, ut scilicet inde me excitet, &c. Item: Quem ego contemplanor mihi, & oculi mei uidebunt, & non alienus.

Sed quorsum hæc tam multis? Vt uideas pie lector, etiam D. Hiobi responsis doceri & confirmari & planissimè & copiosissimè, quam nos profiteamur ecclesiæ doctri-

Nota, Hæc abscondisti in corde tuo, scio. &c.

doctrinam catholicā, nullos omnino sanctorū sua fratros iustitiā iudiciū Dei ferre posse: fiduciā autem salutis figere debere omnes in gratuita misericordiā Dei, in Christo Domino, promissa & exhibita: figereq; tam certò, ut cunctā de salute sua dubitationem à se profligant, quantum per opem Dei ualent. Nec quicquam huic ueritati contrarium, latina huius loci lectio in se continet, quæ habet: Etiam si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea, & tenebit me uitæ meæ. Quid enim aliud ex hoc loco concludatur, quàm librum quæstum esse, se ita duriter castigari à Domino, ut etiam si innocens sit, id anima ipsius non sentiat, nō experiatur, flagellis Dei tātò opere proscissa & deiecta. Nā subiicit his uerbis: Vnū est quod loquutus sum, & impium & innocentem ipse cōsumit. Sed ut de scientiā innocentiae per se, & non ut cognosci ea à liobo potuit, in castigatione Domini tam dura, locum istum intelligas: tamen nihil habet, cur nostræ cōfessionī obijciatur. Nemo enim omnino scire potest se esse planè innocentem, cum nemo prorsus sit absq; peccato. Nec nos salutis certitudinem in propria innocētia & iustitia collocandam docemus, sed in misericordiā Dei & merito Christi nobis esse.

Enarratur locus liobi, Si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit a. m. ut habetur in latino. Nemo potest scire se innocentē, cum nemo sit innocens.

EXCVS IO LOCI II. PET. I. STUDETE

firmam facere uocationem uestram: quem obiecit Vintoniensis.

ET Vintoniensis hanc fidei proprietatem, quod ea certos reddit homines de salute sua, oppugnare uoluit. Obiecit uerò præcipuè locum Petri, Studete firmam facere uocationē uestrā, uocationē & electionē: & adiecit ex uulgata latina uersione, Per bona opera. Quod tamē indubiè nō ignorat, in greco non haberi. Nos istud tamen non moramur, agnoscimus enim ea.

NN 3 hoc

hoc loco esse posita: que perinde ualēt. Hortatur enim huius epistolæ autor fideles hoc loco, ut studeant in fide suppeditare uirtutē, in uirtute cognitionē, in cognitione continentiam, &c. Et subiicit, homines quibus ea adsint & abundant, cōstitui per illa in cognitionē Domini nostri Iesu Christi, nō ignauos et ociosos: quibus uerō nō adsint, eos cæcos esse, & palpitare oblitos purificationis à peccatis, id est, baptismatis. Inde concludit exhortationē: Propterea potius studete firmā facere ueram uocationē, & electionē. Hęc enim facientes nunquam excidētis. Sic enim uobis abundē suppeditabitur

Ingressi in regnū Dei abundantius. Ingressus in æternū regnū Domini nostri et seruatoris Iesu Christi: hoc est, quo his maiore studio incubueritis, hoc dabitur uobis ingredi in regnum Christi penitius: id est, eo plenius illius uos reget spiritus, & ab omni lapsu peccati custodiet, amplioreq; bonitatis sue per

Pag. 91. 92

Dona Dei usurpata, ampliora dona adducunt, ut peccata ad peccata depellunt.

Explicatur locus 2. Pet. 1. Suppeditate in fide uestra uirtutem.

fruitione uos cumulabit. Ut em̄ supra quoq; diximus, Dei in suos misericordia et benignitas tanta est, ut priora sua dona, cum sancti ea pie usurpāt, causas semper faciat ampliorū donorū. Sicut etiam iusto eius iudicio peccata quæq; suo pondere trahūt ad alia, & grauiora peccata. Per ea ergo ipsa, ad quæ faciēda inuitātur hoc loco, firmā iubemur facere uocationē nostrā & electionem. Quæ autē illa sunt nobis faciēda: Primum omnium certē, ut ex diuina uirtute, & cognitione eius qui uocauit nos, fidem habeamus & teneamus euangelij, eāq; non ociosam, sed ut studeamus in ea sic proficere, ut ex fide suppeditemus & exhibeamus uirtutē, id est, rectā per omnia uiuendī rationē, ad quā fides uera semper efficax est. Ex hac, ampliorē Dei: & diuinarū rerū cognitionē, quæ eo certē amplior cuiq; inspirat, quo ut tam quisq; suā degit magis sanctā, & ad leges Dei studiosius cōparatam. Ex cognitione uerō continentiam.

Sicut

Sicut certè quisq; carnē suā hoc seuerius refrenat, quo Deū & diuina certius & plenius habet perspecta. Et ex cōtinentia tolerantia, quæ utiq; in unoquoq; eo est cōfirmatior, quo magis repressas habet cupiditates carnis, & debilitatū amorē sui. Ex tolerantia autē pietatem: nec em̄ potest Deū solida pietate colere, inuocare, cōfiteri, celebrare, eiusq; numini sese totū cōsecrare, cuius uita nō sit omnis per uirtutē ad placita Dei probè composita: & in quo non sit aucta cognitio Dei, repressa caro, tolerantia crucis corroborata. Ex pietate uerò fraternā dilectionē: nec em̄ fratrem uerè in Dño diligere poterit, qui nō diligat & colat toto corde Deū. Deniq; ex fraterna dilectione, dilectionē omniū, etiā hostiū: quæ item in nemine existere potest, qui nō fratres suos uerè amauerit. In his uerò, quid aliud q̄ uita Christiani hominis, uita fidei, & noua in Christo descripta est: quā si toto corde meditamur, certè ad ampliōrē perpetuò Christi cognitionē promouemus: & ex hac etiā fructuosi magis bonis operib. efficimur, nec unq; torpemus ignaui, ἢ ἀπραγματοί. Sic itaq; in Christi & cognitione & uita progrediētes, firmā facimus uocationē & electionē nostrā, ne quādo excidamus. At cui eam firmam facimus, sic in Christi cū agnitione, tū uita promouentes: Deo nec At spiritus S. in Paulo ita testatur: Vt propositū Dei secundū electionē maneat, &c. Dicitur est Rebecca: Maior seruiet minori, cū uterq; &c. nec boni quicquam aut mali adhuc fecisset. Item sine pœnitentia sunt dona Dei & uocatio. Beda itaque in hunc locum ista scripsit:

Multi sunt uocati, pauci uerò electi. Certa est uocatio eorū qui ad fidē ueniunt. Qui uerò fidei sacramētis quæ perceperūt bona quoq; opera perseveratē adiungūt, isti suā uocationē & electionē certā intuitibus faciūt. Sicut ecōtrā, qui post uocationē ad crimina reuertuntur,

Firmam facimus uocationem & electionem per bona opera, nobis & proximis, non apud Deū.
Rom. 9.
Rom. 11.

tuntur, cum in his ex hac uita migrauerint, certū iam omnibus, qua reprobi sunt, reddunt. Hæc ille.

Vener. Bede inter-
pretatio ad
proximos
hanc certi-
ficationem
electionis
nostræ re-
fert.

Sensit ergo Beda, nos hic iuberi, uocationem & electionem nostrā certam facere proximis. Apud Deum enim est illa immota, propter ipsius sempiternā & immutabilem bonitatem. Quare debet ea sic etiam certa & firma esse in cordibus nostris per fidem. Fidem autē huiusmodi demonstrare nos oportet per bona opera proximis. In eandem ferē sententiam locum hunc & græca scholia enarrant. Sic enim habent, μαλλον ἀδελφοί μου ἀπουδέσαστε μόνιμον καὶ ἀμετακίνητον δεικνύετε τῶ κλήσιν ὑμῶν, καὶ ἐκλογῶν, τουτέστι τὸ κατὰ τὴν χάριτον λόγον διὰ παρὰ τῶ ἐκλογῶν ὑμῶν ἀκούσατε, καὶ τῶ κλήσιν, ἀνεπίληπτοι εἶναι, ἵνα μὴ ὡς ὕδατι λεηλομεθώμεν τῆς δωρεᾶς τῆς δεξιᾶς τοῦ Θεοῦ, ἀλλὰ μένητε βεβαίαν τῶ κλήσιν ὑμῶν ἔχοντες.

Græcorū
interpretatio.

Hoc est: Potius studete fratres, demonstrare stabilem esse, & immutabilem uestram uocationem & electionem, hoc est, sermonem catechismi, quem propter electionem & uocationem uestram audiuiſtis, ut sitis inculpabiles, neque iudicemini oblitī esse doni Dei: sed ut permaneat, firmam uocationē uestram habentes. En & hic Scholiastes, facere firmam uocationem & electionem nostram, pro eo intellexit quod est, per uitæ pietatem & puritatem demonstrare, nos uocationem & electionē nostram, & Dei dona, quæ ex hac in baptisinate percepimus, firmiter tenere, nec abijcere.

Electio &
uocatio
Dei nobis
quog; fir-
mior sit stu-
dio pietatis
bonorū o-
perum.

Sed nos libenter concedimus, etiam nobis ipsis uocationem & electionem nostram firmiorem fieri, hoc est, firmius eam à nobis fide teneri, cum in pietatis curriculum gnauiter procurrimus. Quo enim plura Deus donat nobis sanctè pieque facere, eo sentimus etiam plenius datum nobis spiritum filiorum Dei arrabonē electorum & uocatorum Dei, amplioremque exeri erga nos

nos Dei charitatem, & Christum uiuere in nobis potentius experimur. Fit itaq; & nobis aliquo modo fir-
 mior nostra electio & uocatio, de quo modo diximus
 supra. Primarium enim & omnino solidum fidei ro-
 bur, & perfecta fiducia nostræ cōfirmatio, testimonio
 conficitur & sustinetur spiritus sancti, qui nostro testa-
 tur spiritui, & nos haberi Deo in filijs, propter filium
 eius primogenitū Iesum Christum. Hac de re diximus
 etiam supra, in responsione nostra ad scripturas per Pag. 86. 87
 Maluendam adductas, pro suo nouo dogmate, iustifi-
 cationē bonis nostris operibus perfici & cōsummari.

CONCLUSIO RESPONSORVM AD OBIE-

cta scripturarum loca, contra certitudinē fidei.

Constat igitur iā, nihil ex istis omnibus locis, quæ
 Caduersarij contra nostrā confessionē afferunt de
 certitudine salutis, quam uera fides in Christū parit, cō-
 cludi: nec quicquam amplius doceri, quam primum,
 spem salutis non posse ulla nostra iustitia consistere,
 quod docet locus sextus ex Iob. Deinde oportere
 nos uersari hic in perpetua solitudine & metu, ne pec-
 cemus, & ne officio nostro usquam desimus uel erga
 Deum, uel erga proximū: id quod est seruire Deo cum
 timore & tremore. id docetur loco secundo. quarto, &
 ultimo: id est, Pauli, Salomonis, & Petri. Tū nunquā
 de salute debere esse securos, qui in peccato aliquo hæ-
 reant, & damnentur à sua ipsorū cōscientia: quod do-
 cet locus tertius ex Ioāne. Postremò, neminem debe-
 re fiducia ueniæ consequendæ peccare: id quod docet
 locus primus, qui est desumptus ex Sirach. At homi-
 nes non debere de sua iustitia planè diffisos, salutem
 æternam certò sperare & expectare, cōsisos gratia Dei
 & iustitia Christi: id tam non docetur locis istis, ut con-
 trarium potius statuatur locus tertius ex D. Ioāne, & se-
 xto.

xtus ex Iob adductus, ut respondimus. Locus quintus ex Ecclesiaste nihil omnino ad propositū pertinet: docet enim uel incertam esse bonis & malis externā rerum fortunā: uel sic hanc dispensari, ut ex ea statui non possit, quem Deus diligat, uel habeat odio. Nunc itaque uideamus, quid sanctorum patrum auctoritates concludant, quas aduersarij adduxerunt.

EXCVSSIO SENTENTIARVM QVAE EX
D. Hieronymo & Augustino adductae sunt, contra falsam
certitudinem, quae fidei a nobis
tribuitur.

EA quae ex D. Hieronymo adducta sunt per Maluendā, qui diligenter considerarit, & cum ijs quae his uerbis D. Hieronymus praemisit & subiecit, is satis uidebit, uirū hunc Dei, non uoluisse uerba Ecclesiae sic exponere, ut ex eis intelligamus credentes Christo debere de Dei erga se dilectione dubitare: sed uoluit ostendere, Salomonem queri, homines ab externo rerum euentu, siue angustiarum, siue mortis, non nosse charitatem Dei erga se, uel odiū: propterea quod perinde ut impij affligantur, ac etiam moriantur. Vnde & in uerbis illis, quae Maluēda adduxit, uides hunc uirū Dei Salomonis uerba interpretatū esse, nō de qualibet cognitione diuinę dilectionis, uel odij, quam sancti & iusti habeant: sed de ea, quae colligi possit ex euentu rerum aduersarum. Illas enim ita aequaliter euenire iustis & iniustis, ut ex his de Dei erga se uel dilectione uel odio, statuere certum non ualeant. Iustos, inquit, nunc scire non posse, utrum amentur a Deo, an non: & eos in ambiguo fluctuare, utrum ad probationē sustineant, quae sustinent, an ad supplicium. Et paulo post: Et quicumque aduersa sustinent, utrum per amorem Dei sustineant, ut Iob; an per odium, ut plurimi peccata

peccatores, nunc habetur incertum. Hic uides clare uirum Dei loqui de iudicio faciendo ex aduersis, quæ sancti sustinere eadem cum impijs solent. Vnde postea in illud quod subiicitur hoc loco, In omnibus euentus unus iusto & impio, &c. scripsit disertè, Salomonem significare euentum siue angustiarum, siue mortis. Et ante uerba adducta per Maluendam, Neq; amicitias, neq; inimicitia scit homo, sed omnia coram eis incerta: propterea quod omnibus eueniunt similia iusto & iniusto.

Præterea D. Hieronymum sensisse, Ecclesiastè hoc loco nō loqui de sensu & fiducia fidei, sed de perturbatione, quæ simplicioribus cōtingit ex ista pari bonorū ac malorum fortuna: sequentibus uerbis satis declarauit, explicādo illud, In omnibus euentus unus. sic enim scripsit: Ea quæ per se nec bona nec mala sunt, sed à sapientibus huius seculi mediā nuncupantur, quia æqualiter & iustis eueniunt & iniustis, simplices quosq; conturbant, cur ita eueniant: & propterea non putant esse iudicium, cum omnium rerum in futuro discrimen sit, & hic confusa sint omnia. Hæc ille.

Ex his sanè uerbis, quis non uideat D. Hieronymū ignorationem dilectionis diuinæ, nec tribuisse creditibus omnibus, nec etiā ijs, quibus eā tribuit, tribuisse simpliciter. Simples, inquit, quosq; cōturbant, etc. Ergo uulgaribus modò, & in fide rudioribus, tribuit illam de iudicio Dei, cum dilectionis, tum odij dubitationem: eamq; tum modo, cum illi de dilectione & odio Dei in homines iudicant, ab externis Dei uel beneficij, uel supplicij. Qui enim Christo Domino solidè credunt, & non in graui illa occupati tentatione sunt, quæ in Iob, & Psalm. 73. atq; Ieremiæ 12. descripta est, de externa impiorum foelicitate, & sanctorum flagellis,

flagellis: hi norunt ex iudicio & fiducia spiritus sancti & fidei, gloriari etiam de afflictionibus. ad Romanos 5. Scientes scilicet, quod afflictio patientiam, patientia probationem, probatio spem pariant, non pudefacientem, propterea quod Deus suam in illos dilectionem per spiritum sanctum in ipsorum cordibus diffudit: per spiritum inquam fidei, præbentem cum illorum spiritu testimonium, quod filij Dei sint, & hæredes. Ex quo certè iudicio Apostolus scripsit, Scimus quod diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Quin Salomon ipse inquit: Castigationem Domini filij mi ne abieceris, neque fastidium habeas in correptione eius. Quem enim diligit Dominus, eum corripit, & sicut pater filium gratum habet.

Ex his igitur liquet, D. Hieronymum in his uerbis, quæ Maluenda nobis obiecit, non quamlibet ignorantiam diuinæ dilectionis & odij sanctis tribuere, sed eam modò, quæ colligitur ex afflictionibus & molestijs præsentis uitæ: nec etiam hanc ignorantiam illis tribuere quolibet tempore, sed tantum tempore tentationis & perturbationis, eiusque præcipitationis, in qua dicebat Dauid, Præcisus sum à conspectu oculorum tuorum. & Dominus ipse: Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti?

Psal. 31.

Iam qui & Augustini locum, quem Maluenda adduxit, totum legerit, is quoque uidebit, non solum nihil eo doceri contra certam salutis fiduciam, quam uera fides adfert, sed eam potius confirmare. Clare enim docet, poenitentibus & corrigentibus se, portum indulgentiæ ita esse paratum, ut Dominus sicut promisit per Ezechielem, in quacunque die conuersi fuerint ab iniquitate sua, omnium iniquitatum eorum obliuiscatur. Sed monere uoluit de periculo audacius peccandi, quod

quod hominibus comparatur, & à falsa spe ueniæ con-
 sequendæ, & à desperatione salutis. Vnde præmisit
 illis uerbis quæ adduxit Maluēda: Ex utroq; igitur ho-
 mines periclitantur, & sperādo, & desperādo, cōtrarijs
 rebus, cōtrarijs affectionibus, sperādo quis decipitur:
 Qui dicit, Bonus est Deus, misericors est Deus, faciam
 quod mihi placet, quod libet, laxē habenas cupiditati-
 bus meis, impleam desideria animæ meæ. Quare hoc?
 Quia misericors est Deus, bonus est Deus, mansuetus
 est Deus: spe isti periclitantur. Desperatione autē, qui
 cū inciderint in grauiā peccata, putantes sibi nō posse
 iam ignosci pœnitentibus, & statuentes se ad dānatio-
 nem sine dubio destinatos, dicunt apud semetipsos,
 iam damnandi sumus, quare non quod uolumus faci-
 mus? Vides quam spem Augustinus damnet: non
 certē eam, quam nos ex scriptura docemus, figendam
 esse in Christo Domino, uera in eum fide, quæ nun-
 quam est sine uera peccatorum pœnitentiā: sed eam,
 quam homines sibi impiē fingunt in peccatis perseue-
 rantes, contra fidem uerbi Dei. Quocirca locum hunc
 conclusit per uerba Domini, dicta mulieri adulteræ,
 quæ his uerbis refert & interpretatur: Nec ego te con-
 demnabo, sed facta secura de præterito, caue futura.
 Nec ego te condemnabo, deleui quod commisisti: ob-
 serua quod præcepi, ut inuenias quod promisi. Vides
 uirum hunc Dei disertē docere, pœnitentes & creden-
 tes debere esse de præterito securos, cauere autem soli-
 citē futura. Quid uerò dici potuisset pro nostra senten-
 tia apertius? Nunc respondeamus & ad rationes quas
 aduersarij obiecerunt, dum in Christiano homine
 ponimus simul & dubitationem, & certi-
 tudinem de salute.

Augusti-
 nus tracta-
 tu in Ioan.

33.

Nota, Se-
 cura de
 præterito.

Item. Dele-
 ui quod cō-
 misisti.

SOLVTIO PRIMI ARGVMENTI ADVERSA

*riorum, contra certitudinem fidei, quo ostendere uolunt, nos pugnantiā
affirmare, dum in Christiano homine ponimus simul & du-
bitationem, & certitudinem de salute.*

*Nostra uer-
ba habes
pagina 68.
Maluenda
cōfutatio-
nem, 129.*

*In omni
Christiano
est simul fi-
ducia de sa-
lute, & me-
tus.*

P R I M A M rationem Maluenda ex uerbis nostris
P obiecit. Cum suprà de certitudine fidei uerba face-
remus, diximus: Cum ob infirmitatē carnis nunquam
satis firmi simus in fide Christi, & graues sæpe de pro-
missis Dei dubitationes animos nostros fatigant, de-
bere nos semper orare Dominum, ut fidem nobis au-
geat & cōfirmet, omniq; nos dubitatione de salute no-
stra nos liberet. Ex his Maluenda conatur ostendere,
nos nobis contradicere. Hæc, inquit, quo pacto cohæ-
reant, nō intelligo. Nunquam satis firmi in hac fide su-
mus, dum hic uiuimus: & firmissimam tamen semper
certitudinem habere debemus. Mirum autē quid nam
Maluendę in his uerbis potuerit uideri non consenta-
neum? Quid enim pugnat, dicere nos habere uirtutes
imperfectas, & debere habere perfectas? Nō ne arden-
tissimam Dei & proximi dilectionē habere debemus?
nec tamē unquam habemus satis ardentē? Non ne &
purissimā sanctitatē? cum ne purā quidē obtineamus.
Patientiā constantissimā? cum ne constantem quidem
præstemus? Deinde satis declarauimus, unde sit fidei
illa, quam fatemur, infirmitas: à carne scilicet, id est ue-
teri homine, cui innatū est, Deo non credere. Ostendi-
mus etiā unde sit fidei firmitas, à spiritu sancto, qui no-
stro spiritui fiduciam misericordiæ diuinæ sustērat
& confirmat. Ergo dicere, nos oportere per fidē habe-
re spem salutis certissimam, & tamen habere non bene-
certam, hæc duo adeò inter se non pugnant, ut nemo
Christianus non utrunq; in seipso cottidie experiatur.
Ut em̄ fides nobis inspiraēt, ita habet & certitudo salu-
tis: cū est fides infirma, imbecilla est & illa, quæ sola scilicet

licet Christi fide nititur salutis certitudo. Proinde adie-
cimus illud, semper orandū esse nobis, ut Deus fidem,
& salutis fiduciam in nobis augeat atq; confirmet.

REIECTIO CALVMNIAE VINTONIENSIS,
in eandem confictam ab aduersarijs in dictis nostris pugnan-
tiam, de securitate fidei & trepidatione conscientiae,
qua simul in sanctis deprehenduntur.

Vintoniensis episcopus calumniae, me in cōcilia-
tione articuli de Iustificatiōe, facta in Colloquio
Ratisbon. anno 41. aliquid dedisse cōtra fidem specia-
lem, quā docemus, qua nimirum promissionem salutis
quisq; pro se amplecti debeat. Quid em̄, inquit, magis
sit contrariū securitati? Quid porro cum fide illa uestra *Verba Vin-*
speciali pugnet apertius, quā dubitatio, quę tollit cer- *toniensis.*
titudinē, fide ad id noua excogitata à uobis, quam ec-
clesia ante uos catholica uniuersa ignorauit? Hęc ille.

De fide illa speciali & cuiusq; propria, quam hic Epi-
scopus audet uocare nouam, & ecclesie catholice ante
nos ignoratā, dicemus postea: & demōstrabimus, hac *Nihil da-*
una speciali fide & esse & uiuere omnē hominē Chri- *tū noui in*
stianum: cunctamq; Christi ecclesiam istam fidē cum do- *conciliatio*
cuisse semper, tum exegisse à quolibet suo membro. *ne Ratisbo-*
Nūc agemus paucis de eo, quid in cōciliatione Ratis- *nensi.*
bon. cōcesserimus, de dubitatione salutis, qua pias q; q;
cōscientias plerūq; tentari agnoscimus: & an hoc pug-
net cū eo, qd fidei tribuimus, homines reddere de salu-
te sua securos. Quod de dubitatione sanctorū in hac
cōciliatione dedimus, id certē nō fuit noua à nobis con-
cessio. Libri em̄ nostri referti sunt & querimoniarum
de huiusmodi dubitationib. fidei aduersantib. & cōfir-
mationū contra has dubitationes. Nec ulla unq; nobis
cū quoq; homine de eo cōtentio fuit, nū et piorū animi
tētentē, et subinde grauiter cōmoueanē sollicitudine &
anxie.

Orthodoxi agnoscunt san-
ctos multis dubitationi-
bus de promissis Dei ex-
ceteri, & has dubitationes
esse peccata.

anxietate de salute sua: de eo modo certatū à nobis est
cōtra novos theologos, quod illi has de promissis Dei
dubitationes negant esse peccata, cum tamē sint trans-
gressiones primi præcepti, Ego sum Dominus Deus
tuus. Calumniā igitur Vintoniensis est, quod ea quæ
in conciliato Ratisbonensī articulo de Iustificacione
composita sunt, de fidei certitudine, atque subrepenti-
bus nihilominus atque adherescentibus dubitationi-
bus, de Dei erga nos paterna charitate, sic cōmemorat,
quasi aliquid in ea conciliatione concesserimus, quod
antea sit à nobis negatum.

Quomodo
pugnat de sa-
lute dubita-
tio & fiducia.

Deinde nugatorium commentum est cōficti elen-
chi, quod subiecit: Quid magis sit contrarium securi-
tati, quid porro cum fide illa uestra speciali pugnet ma-
gis, quàm dubitatio, quæ tollit certitudinem quam uest-
ris pollicemini: Pugnat sanē, & est contraria dubita-
tio de salute, cum fiducia salutis, cum certitudine & se-
curitate salutis: quis negat? Hæc enim salutis fidu-
cia, certitudo & securitas fidei est & spiritus: dubitatio
iterò carnis, & infidelitatis. Sed quid pugnat, in eodem
homine carnem repugnare spiritui, & aduersari nouo
homini ueterem? Ioannes negat posse peccare homi-
nem natum ex Deo: & rursus mendacem pronunciat,
quicumq; se dicat esse absq; peccato. Fidei certè est, de
promissa salute nullam prorsus admittere dubitatio-
nem: sed quia in nemine hic uiuente fides perfecta est,
nemoq; uitio infidelitatis, & satanæ suggestionibus cō-
tra fidem planè liber est, nos, quemadmodum in alijs
scriptis nostris, ita & in illo conciliato articulo, fidei in
omnibus sanctis imperfectionem, & in multis etiam
imbecillitatem agnouimus. Sic enim habent uerba
articuli, quibus & cætera nostra scripta hac de re omni-
no consentanea sunt,

Verba concilii
articuli
Ratisbonæ,
anno 40. de
securitate fi-
dei.

Quo-

Quoniam aut̄ perfecta certitudo in hac imbecillitate non est, suntq̄ multæ infirmæ & pauidæ conscientia, quæ cum graui sæpe dubitatione luctantur, nemo est à gratia Christi propter eiusmodi infirmitatem excludendus. sed conuenit tales diligenter adhortari, ut ijs dubitationibus promissiones Christi fortiter opponant, & augeri sibi fidem sedulis precibus orent: iuxta illud, Adauge nobis Domine fidem.

Vides ergo uel ex isto loco, quàm inanis sit huius Episcopi, quantūuis cōfidens, argutatio: & quam nullatenatur ratione, tam superba eius insultatio.

SOLVITIO SECUNDÆ OBJECTIONIS CONTRA certitudinem fidei, in qua de eo agitur, An requiratur ad salutem hic fide percipiendam, certus aliquis fidei, pœnitentiæ, & charitatis gradus, & modus. Et an, atq; unde possit homo, certò cognoscere, se fidem uerã & pœnitentiam atque charitatem habere.

ALTERVM argumentum aduersariorum est: Quando promissum aliquid est cum certa qua-
dam conditione, non potest certus esse, se id quod pro-
missum sibi est accepturum, quamlibet certæ sit fidei is-
qui promisit, quicumq; incertus fuerit, an adiectã pro-
missioni conditionem impleuerit. Deus autem uitam
æternam promisit, non nisi pœnitentibus de peccato,
sibiq; credentibus, in se sperantibus, & se amantibus:
homines uerò incerti semper sunt, quando hæc pœni-
tentia, fidei & charitatis dona accipiant, & conditionē
hanc impleant. Solet enim occultissimum superbia: ui-
cium, quo homo sibi tribuit quæ non habet, etiam in-
ter humanas uirtutes delitescere. Nemo igitur potest
certus esse, se percepturum uitam æternã, quam Deus
non nisi cum illa pœnitendî, credendî, sperandî, &
amandî conditione promisit.

*Promissa cum cōditi-
one certò
expectari
nō possunt
ab ijs, qui
incerti
sunt, an cō-
ditionem
præstite-
rint.*

Ad Maforem: Verum, Deus uitam æternam non nisi de peccatis pœnitentibus & sibi credentibus, in se sperantibus, & se amantibus promisit. Sed non est à Domino definitus modus pœnitendî, credendî, sperandî, & diligendî, infra quem modum ipse uitam æternam nemini donare uelit. Dixit enim simpliciter: Qui credit in me, habet uitam æternam. Proinde quocunq; gradu quis fidem, sed ueram & uiuâ euâgelio habeat, is & uitam æternâ habet: sed inchoatè & infirmè, si fides sit modica, tamè habet. Et hac ipsa, quamlibet modica fide, orabit & impetrabit eiusdem fidei incrementum, tandemq; etiã perfectionem, imò plenam Dei cognitionem, abolita fide, quæ ex parte est. 1. Cor. 13.

Ad Minorem, & eius probationem: hominem nõ certum esse fidei certitudine, quando hæc dona pœnitentiæ & fidei percipiat, &c. Nam superbiæ uitium etiã inter summas uirtutes delitescere. Respondemus: Primum, uitium oculatissimum superbiæ non delitescere inter ueras uirtutes, sed insidiari uirtutibus, & summis maximè. Sed quæ consecutio, Vitia mentiuntur se esse uirtutes: et homines ex innata ipsis superbiã, persuadent sæpe sibi, se habere uirtutes, quas non habent: Ergo uirtutes qui ueras habent, & ex spiritu sancto habent, nõ possunt se scire illas habere: Est sanè dubia & difficilis rationi discretio uirtutum & uitiorum, maximè eorũ quæ uirtutes se esse mentiuntur, propter quandam similitudinẽ, quam habent cum uirtutibus.

At spiritus tamen ueritatis, qui ducit eos in omnem ueritatem, etiã quod attinet ad hæc sua in illis opera & dona, labi eos & decipi non patitur. Nos uerò (inquit Apostolus de se, & omnibus credentibus euangeliõ) nõ spiritum mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus, quæ donata nobis sunt à Deo.

1, Cor.

An fide cognosci possit fides.

Vitia sæpe propter cõfinium cõ uirtutibus, uirtutes habentur.

Nota, Sciamus.

1. Cor. 2. Ex quo spiritu Apostolus ipse de se scripsit,
Scio cui credidi. 2. Tim. 1.

Et cum humanitus cōcepta pœnitentiã, fides, spes,
& dilectio, neminem eorum qui eas uerè habeant, la-
tere possint, quis ignoret, si se alicuius rei pœniteat,
si cui credat, si quid speret, si quem amet, quomodo
possint filij Dei afflati spiritu ueritatis ignorare, an se
peccatorum uerè pœniteat, nec ne: an euangelio uere
credant, uitam æternam sperent, Deum ament, an se-
cus? Cum Eunuchus reginæ Aethiopiæ audiuisset à
Philippo, licere se baptizari, siquidem crederet ex toto
corde: & ipse respōdisset, Credo filium Dei esse Iesum
Christū: sanè non ignorabat sibi iam tum hoc fidei do-
num esse collatum. Ita & mulier illa peccatrix, quæ Do-
mino lachrymis suis pedes lauit, certa erat, se & pœni-
tere de peccatis suis, & credere Christo: sicut & Chri-
stus ipse utrunq; in ea agnouit, & comprobauit, quan-
quam nec illa satis nec pœniteret, nec crederet.

Christiani
ueri, igno-
rare non
possunt, an
uerè cre-
dant.

Insidiatur quidem satan hominibus, & illudit fal-
sis pœnitentiæ, fidei, spei & charitatis phantasmatis:
quid autem illud detrahit fidei ueræ, quæ donum est
Dei, & obsignatio spiritus sancti? Ut caueamus igi-
tur has satanæ insidias & illusiones, docendi & admo-
nendi sumus: non autem propterea contradicere scri-
pturæ Dei, quæ testatur sanctos scire, quæ ipsis per
spiritum sanctum donata sunt. Sic & Apostolus do-
cuit, monuitq; Corinthios: Explorate uosmetipsos,
si estis in fide, probate uosmetipsos. An non cognos-
citis uosmetipsos, quod Christus in uobis est, nisi re-
probi sitis. 2. Corinth. 13.

Insidie sa-
tanæ cauē-
dæ.

Hæc Apostoli uerba obserua. Reprobos pronun-
ciat, qui ignorant semetipsos, & nesciunt Christum in
se esse. Tamē quia satā abusus innata nobis philautia

Reprobi
sunt, qui
dubitant
Christum
in se habi-
tare.

& superbia, qua nobis saepe res preclaras attribuimus, quas tamen non habemus, praemisit: Explorate uos, probate uosmetipsos, si estis in fide. Non autem iussisset tentare & experiri seipsos, si in fide essent, nisi idipsum per spiritum sanctum etiam cognoscere certo potuissent. Sed quid opus uerbis? Hanc salutis scientiam certam & indubitata, quam fides adfert uere credentibus, praedicat passim uniuersa scriptura, & clarissime & copiosissime, quocirca & Apostoli ut singulares fidei doctores, eam nusquam scriptorum suorum non inculcant & comendant: & sentiunt quoque eam ipsi, quicumque Christi euangelio uere credunt, atque de ea cum D. Ioanne gloriantur, dicentes: Scimus, cum apparuerit, quod similes ipsi erimus, quia uidebimus eum sicuti est. Item, Scimus quod ex Deo sumus. Ac iterum: Scimus uero, quod filius Dei uenit, & dedit

Vide quam aperta haec testimonia sint. nobis mentem, ut cognoscamus uerum, & simus in uero, in filio eius Iesu Christo.

Semper orandum si dei incrementum.

Ephes. 1.

Ephes. 3.

Verum, ut diximus, haec fidei scientia in alijs magis minusque uiget, prout cuiusque fidei mensura est ad mensuram. Hinc, quod D. Paulus Ephesijs a Deo orauit, hoc omnes sancti sibi & alijs orant, ut Deus Domini nostri Iesu Christi, pater gloriae, det sibi spiritum sapientiae & reuelationis in cognitione eius, ut illuminatis oculis mentis eorum, scire possint, quae sit spes uocationis ipsorum, & amplissima gloria haereditatis eius in ipsis, &c. Item: Ut det ipsis secundum amplissimam gloriam eius uirtute corroborari per spiritum eius in interiore homine, & Christum habitare per fidem in cordibus ipsorum, ut in dilectione (Dei scilicet erga ipsos) radicati & fundati, ualeant comprehendere, quae sit latitudo & longitudo, & profunditas & celsitudo (item diuinae charitatis erga ipsos) & cognoscere excellentem charitatem Christi,

Christi, quam cognitionem superat.

Ita perpetuò quidem orare debemus à Deo incrementū spiritus sancti, fidei & cognitionis gratiæ Dei, qua certi semper, cognoscere & tenere ualeamus, quanta nos Deus charitate complexus sit in filio suo, & ad quantā felicitatem, quamq̄ certò etiam uocari: tamen quantulacumq̄ sit fides in Christū, modò uera sit, certitudinem hanc & tenet, & nouit se tenere, pro suo modulo, sæpe perquam infirmè, grauib; scilicet dubitationibus animum fatigantibus. Nunquam tamen uera fides, ipsa se ignorabit, aut de salute æterna quam apprehendit dubitabit. Ipsa inquam fides: caro enim suffundit semper, quod suum est, & dubitationem de uerbis & promissis Dei.

Pernegamus igitur illud aduersariorum lemma: *Duo falsa lemmata, Christianū non posse certum esse si fidem habeat, & an salutem sperare debeat.*
 Hominem incertum esse, fidei certitudine, de qua loquimur, quando accipiat ista Dei dona, pœnitenti-
 am, fidem, spem, & charitatem: quæ ut præclara dona Dei, res solidæ sunt & efficaces, *ἐνεργεῖται* scilicet spiritus sancti, adeoq̄ latere eos, quibus cōferuntur, non possunt. Pernegamus etiam esse à Domino modū quemdam pœnitendi, credendi, sperandi, & amandi determinatum: quem qui nondum fuerit assequutus, quod is propterea non debeat statuere, salutem sibi ex misericordia Domini & Christi merito esse expectandam. Summam quidem & omnino perfectam Deus requirit fidem, spem & charitatem: sed promisit propter filium nobis etiam horum debitorum, quòd nondū nos satis peccatorum pœnitet, quòd nondum satis credimus, speramus & amamus, cōdonationem: siquidem & istud imperfectū nobis doleat, & credamus etiam ipsum sanguine Christi expiatum esse.

Simul autē agnoscimus & docemus, homines om-

nino esse monendos, ut se, sicut Paulus docet, probe explorēt, num hæc Dei dona uerè perceperint, ueram uiamq̄ pœnitentiã, fidem, spem, & charitatē, ne eis satan inanibus horum donorum simulachris illudat.

Docemus item, ne sibi de ullo horum donorum & uirtutum modo satisfaciant: sed agnoscētes sua in his debita, orēt semper eam sibi remitti, et dona illa augeri.

Docemus deniq̄, cognosci quidem & agnosci ista Christi dona & opera in nobis, per eundem spiritum sanctum, per quem inspirantur: tamē cum certa opera & fructus hæc dona ferant necessariò, addimus nos, ea etiam ab his suis operibus & fructibus cognosci, & agnoscere debere, & experiri, an uera ista Dei dona, &

Vnde pœnitentia agnoscēda.

Vnde fides.

Vnde spes.

quàm firma acceperimus. Qui enim donum acceperit ueræ pœnitentiæ, is certè non poterit non assidue præcari peccatorū suorū ueniam: & peccata detestari, peccandi occasiones fugere, prauasq̄ cupiditates in se crucifigere. Ita qui fidei donum habet, id est, pacem obtinet, gaudiumq̄ conscientiæ, cōfiteri & prædicare nomen Domini studet, cupidè conuenit ad audiendum uerbum Dei, ad precandum, ad sacramentorum communicationem. Sic qui spe uerè donati sunt, hi animo sunt in rebus aduersis erecto, & in omni opere Domini alacri & prompto. Sic charitas sicubi obtinet, facit homines humanos erga omnes, comes, beneficos, tolerantes iniuriæ, & ualde sollicitos, ut discant, comparent & obtineant, quibus quàm plurimis, etiam male meritis & inimicis gratificetur ad bonum, & cōcordent, hoc est, ut ea omnia præstet, quæ spiritus sanctus docet esse charitatis propria. Si qui itaq̄ in ullo peccato contra cōscientiam hæreant, aut si occasiones peccatorum nō diligenter fugiant, si nō aduersentur prauis in se cupiditatibus, si audire uerbū Dei, & cōmunicare sa-

re sacramentis fastidiant, si frangantur rebus aduersis, & languescant in bonis operibus, si fratres odio habeant, & saluti eorum non studeant: hi certè, dum in his malis consistunt, quia fructibus necessarijs destituuntur poenitentiae, fidei, spei, & charitatis, frustra sibi haec dona attribuunt. Non sunt quidem in hac uita sancti, qui hos fructus perfectos ferant: nec enim potest quisquam gloriari se de peccatis suis satis dolere, & Christo plenè credere, atq; in eum solidè sperare, dilectionēq; proximi consummatā habere; tamen si quis in ullo he-
 reat peccato cōtra conscientiam, is certè nec Deo, ut su
 pra ostēdimus, uerè credit, nec de peccatis suis uerè poe
 nitet, neq; uerā habet spē aut charitatē. Alienus igitur
 à Deo est, nec uerè nouit Deū. Quicumq; igitur spiritu
 Christi praediti sunt, hoc ipso primū, deinde ab his si
 gnis & fructibus quos cōmemorauī, probè, certoq; di-
 scernēt ueram à falsa, & poenitentia, & fidem, & spem,
 & charitatem, explorantes & probantes semetipsos, si
 satis agnoscāt sese, si in uera fide sint, si Christum in se
 habeant, donatorem uerae solidaeq; poenitentiae, fidei,
 spei, & charitatis. Sēper autē eodē spiritu docti, agnos-
 cent nunquā satis se uel peccati poenitere, uel Christo
 credere: orabuntq; assidue augeri in se & poeniten-
 tiam & fidem, & cunctas noui hominis uirtutes.

*In adfertio
 ne defini-
 tionis fi-
 dei.*

SOLVTIO TERTIAE OBJECTIONIS,

contra certitudinem fidei.

Inhaereticis & perditis hominibus obstinatum qui-
 dem errorem, non autem fidei esse certitudinem.

Tertium argumentum innuit Billickius, in expen-
 sione & reprehensione nostri tertij axiomatis, & huius-
 modi: Apprehēdere certò misericordiam Dei propter
 Christum, non est propriū fidei Christianae: reperitur
 enim huiusmodi indubitata misericordiae Dei appre-
 hensio

*Hac pag.
 159.*

nensio etiam apud hereticos, & alios multos puerfos homines, quos ipsi quoque damnemus.

2. *Theff.* 2. Negamus uero eiusmodi in perditis hominibus reperiri certam misericordiae Dei apprehensionem. Est enim in his, ut Billickius ipse recte uocat, falsa securitas & erronea, non fides, ut ille abutitur hoc sancto nomine, sed obstinata persuasio, ingesta animis illorum à spiritu mendace, & efficacia erroris, quam mittit Deus ijs qui ueritatem non diligunt. Fidei autem certitudo, est à persuasione spiritus sancti, & ueritatis, quam mittit Christus.

REIICITVR CAVILLATIO VINTONIENSIS
*contra hanc de certitudine salutis doctrinam, qua calumniatur ea doceri & peccandi securitatē, & negle-
 Etum bonorum operum.*

Vintoniensis in sua contra me epistola, calumniandi & blasphemandi hanc pietatis doctrinam, de fidei certitudine nullum potest finem facere: identidem cōuicians nos ista doctrina tollere patientiam boni operis, qua Apostolus nos docet gloriam & honorem quaerere, obseruantiam praeceptorū Dei, quam Dominus requirit à uolentibus ingredi in uitam: & studium salutem nostrā perficiendī cum timore & tremore, ad quod item D. Paulus hortatur. Atque ita sublata bonorum operum patientia, praeceptorū Dei obseruantia, sollicitudineque perficiendī salutem nostram, nos efficere, ut homines secure sese in uoluptates & flagitia proijcerent.

Hæc autem mera calumniā est. tam enim abest, ut per hanc nostram de natura & certitudine fidei doctrinam tollamus patientiam, & studium seruandī praecepta Dei, faciendī bona opera, salutemque nostram bonis operibus perficiendī, ut ea sola & studium hoc ex-
 cite.

citemus, & patientiā hanc firmemus & sustineamus.

Vt autē uideas quā inani ista calumniā nitatur sophismate resoluiamus illud, sicq̃ habet resolutum. Qui *sophisma*
docent homines certos & securos esse de uita æterna, *aduersario*
ut quam iam fide certò possideant, illi auocant homi- *rum resolu-*
nes, ne pro acquirenda uita æterna multum uelint la- *tum.*
borare: causamq̃ præbent, ut illi suas potius cupidita-
tes persequi instituant. Vos docetis homines non de-
bere dubitare, se quā primū Christo crediderint, iam
fide tenere uitā æternā, quam nulla eis uis in coelo & ter-
ra queat auertere. Causam igitur illis datis, ut potius
suas sectari uelint uoluptates, quā pro cōsequēda sa-
lute multū subire patiētiæ, obediētiæ & sollicitudinīs. *Triplex pa-*
ralogismus

Hoc sophisma triplici contortum est paralogismo, *δυσωνυμίας*
sumpti, quod non datum est, & secundum
quid. Homonymias: cum enim nos loquimur de fide
uiua, & omnium malarum cupiditatū & flagitiorum
interfetrice & profligatrice, ille acer logicus Vintoni-
ensis cum suis, obijcit de fide sua mortua, malarum cu-
piditatum & scelerum omnium sociā & altrice. Et tum
ex hac uocis ambiguitate sumit, quod nos pernega-
mus, nec ipse probare unquam poterit, ueram fidem
esse posse sine studio certo & ardenti, cum peccata om-
nia uitandī, tum Dei præcepta cuncta seruandī. Po-
stremò, cum dicimus nos uerè credentes Christo, tene-
re uitam æternam, & totam fide, re autem ipsa non to-
tam, sed tenuē modò eius habere initium, ad quod per-
ficiendum Deus uult uti nostro studio & labore & so-
licitudine summa: ille obijcit, tanquam diceremus, ui-
tam æternam atq̃ salutem perfectam teneri à credenti-
bus etiam re ipsa, An' nō hoc perquam calumniosum
est? Sed ut rudioribus etiam ista pateant, respondeamus
etiam ad utramq̃ propositionem. In Maiore di-

Cum fide ui-
ua nulla cō-
sistit uel
peccandi se-
curitas, uel
in bonis o-
peribus ces-
satio.

cunt: Qui docent, homines non debere dubitare se ui-
tam æternā habere, simulatq; Christo crediderint, illi
auocant homines à labore & sollicitudine illam compa-
randi, & laxāt habenas eorum cupiditatibus. Ad hæc
respondemus bifariam: Primū, hæc rectè tribui do-
centibus, uitam æternam certò habere eos etiam, qui
euangelio mortua tantum fide credāt: calumniosè au-
tem impingit ea docentibus, eos modò uitam æternam
habere indubitato, qui credunt euangelio fide uiua.
Hæc enim fides tam abest ut ullam ferat secū uel pec-
candi cupiditatem, uel in bonis operibus cessationem,
ut sola & uerum peccatorum odium, & solidam præ-
ceptorum Dei obedientiam pariat, ut supra abunde
demonstrauimus.

Vitā æter-
nam fide,
nondum re-
ipsa tene-
mus.

Deinde, illi meritò dicentur à laboribus pro acqui-
renda uita æterna auocare, qui docent eam iam reipsa
teneri totam, non tantum fide: non autem illi, qui do-
cent nos uitam æternam nōdum tenere reipsa, sed exi-
guum modò eius inīitium: & quod in perficienda ea in
nobis, nos oporteat Deo cooperari cum timore & tre-
more, sedulacq; præceptorum eius omnīū obedientia.

Nunc ad Minorem: Nos sanè docemus, secuti uer-
bum Dei, & catholicam ecclesiæ Christi doctrinā, ho-
mines Christo credentes debere omnino securos esse
de salute & uita æterna, sed ex fide, non humana opi-
nionē: & ex fide uiua, nō mortua. Viuamq; fidē doce-
mus eam esse, quæ habeat sibi necessariò adiunctam
& ueram peccatorum pœnitentiā, & Dei dilectio-
nem, omnis obedientiæ erga Deum parentē. Nec do-
cemos uitam æternam haberi hic reipsa perfectam: ue-
rū necessarium esse, ut Deo, illam in nobis cotidie
perficienti, ad hoc ipsum assidue & summo studio in-
seruiamus; eamq; nos penitus amittere, cum hoc stu-
dium

dium abijcimus. Liquet igitur, nullam ad peccandum pronitatem, aut in peccatis securitatem, uel ullam patientiæ & sollicitudinis bonorū operum imminutionem, aut debilitationem inferri ex hac, non nostra, sed Christi doctrina, de salutis certitudine & securitate, quam fides uera necessario adfert, habetq; cohærentem in omnibus euangelio Christi uerè credentibus.

Quod autem hæc doctrina omnes prauas cupiditates reprimat & excindat, omnemq; patientiam & curam bene uiuendi excitat, firmat, & sustinet, ex eo facile cognoscitur, quod certum est, uerum peccati odium, & solidum rectè faciendi studium in homine tantum existere, incendi & cōseruari ex uero Dei amore: hunc autem eo esse in unoquoque uehementiorem & operosiores, quo quisq; de Dei erga se amore & benignitate est certius & plenius persuasus. Quo itaq; magis certo quis poterit credere, se ex gratuita & immensa illa Dei charitate, qua filium suum pro nobis in mortē dedit, & ex charitate illa incomparabili filij, qua animam suam pro nobis in mortem tradidit, hæreditatem uitæ esse æternæ, sicut antè conditum mundū sibi paratam, morte Christi comparatam, euangelio & sacramentis addictam: ita omnino etiā post hanc uitam esse representandam & exhibendam, eamq; perfectam: hoc certe maiore amore & studio Dei atq; Christi inflammabitur, indeq; acriore etiam odio peccatorum incendetur, & cura gratificandi Deo per cuncta bona opera extimulabitur. Ad quæ confert etiam suas partes, excitatus ex eadem fide metus diuini iudicij, & gustus salutis ex inchoata iā nostri inuolutione perceptus: quod utrumq; fidei huius, quæ credentes de uita æterna securus reddat, opus est. Plenum igitur & istud factum est per solam hanc fidem, quam nos docemus, & eius de

Quo certior est de salute ex fide fiducia & securitas, hoc acrius est in unoquoque peccati odium et studium bonorum operum.

salute certificationem, & peccandi cupiditates & peccata reprimi, excindi, & profligari. Contrarium eius quod nobis per calumniam impingit Vintoniensis, & eius cōiurati. Hac uerò de re dicemus infra copiosius, cum respondebimus Vintoniensi, de eo quòd cognitione Christi, quæ fide constat, uita æterna tenetur, & quarenda tamen est per bona opera.

REIICITVR ALTERA VINTONIENSIS CALUMNIA criminantis, ueram fidei certitudinem in dogmatis necessarijs euertere à nobis, per confictam fidei certitudinem.

ALTERA calumnia Vintoniensis, contra doctrinam de fidei certitudine, est, quod criminatur, nos per hoc dogma de certificatione salutis, inferre dubitationem omnium, & summè necessariorum fidei articulorum. Hanc uerò calumniam conatur facere probabilem, tali sophismate: Qui fidei certitudinem exigunt re aliqua impossibili creditu, ij causam dāt, ut homines fidei certitudinem despondeant in omnibus. Vna enim & eadem est omnium credendorum auctoritas & ueritas: quare eadem etiam certitudine omnia credenda teneantur necesse est: quæ si in uno aliquo articulo labefacietur in ceteris omnibus corruat oportet. Vos uerò hanc fidei certitudinem de aduenda & possidenda uita æterna exigitis ab unoquoque Christiano, de qua docetis, homines oportere esse tam certos, quàm esse Deum. Cōscientia autem peccatorum fit, ut istam fidei certitudinem nemo hic uiuentiū, nisi ex peculiari reuelatione, habere possit. Datis ergo causam, per hoc nouum uestrum dogma, ut labefiat in multis hominibus uniuersa omnium articulorum fides. Qui enim unum non tenet, nullum tenere potest: quandoquidem omnium unum & immobile obiectū sit, auctoritas

ritas Dei. Responsio: Vera hæc agnoscimus, tam esse certò credendum, nos per Christum habituros uitam æternam, quàm esse Christũ & Deum: nec posse quenquam uera uiuacq; fide credere Deũ & Christum esse, qui dubitet Deum esse etiã suum Deum, & Christum etiã suum Christum, id est, seruatorem, & uitæ æternæ largitorẽ: eoq; se omnino credendo in Deum & Christum, habere uitam æternam. Agnoscimus item articulos necessarios creditu omnes ita coherere, ut qui fidem labefaciet unius, omnium labefaciarit. Sed quo argumento probatur, nos nostro hoc dogmate de certitudine salutis fidem labefactare ullius articuli necessariò credendĩ? Cum impossibilis sit, dicitis, certa istius uestri noui articuli fides, facitis eam requirendo, ut despondeant homines fidem suam, & de cæteris articulis. Quid itaq; sentiunt enim se non posse tam solidè credere, se habere uitam æternã, quàm credunt Deum esse. Existimant igitur se ne hoc credere: itaq; omnem fidem abijciunt.

Primum falsum & istud lemma est, impossibilem esse istam fidei certitudinem de salute æterna Christo uerè credentibus: imò nemo Christo uerè credit, qui non & hanc fidem habeat, ut responsum est. Est enim unum idemq; opus spiritus sancti in electis, eademq; reuelatio Dei & Christi, qua creditur cum esse Deus & Christus, tum esse eundem nostrum quoq; Deum & Christum: atq; ideo nos in hæreditatem esse adscitos uitæ æternæ, eamq; nobis indubitato exhibendam. At nemo hac fide præditus, in uita uersabitur flagitiosa. Et cum sanctissimam quoq; uitam uiuētibus, peccata sua trepidationẽ aliquam de salute meritò ingerunt, attollunt se uerè credentes ad cõtemplandam immensam misericordiã Dei, & amplissimum Christi

meritum, in certissimam Dei promissionem, euange-
lio omni & sacramentis confirmatam, ut D. Bernar-
dus perpulchrè docet in sententijs, quas paulo post sub
ijciemus. Quod uerò homines putant se posse faci-
lius credere certò & sine dubitatione, esse Deum &
Christum, quàm se per Christum adituros regnũ cœ-
lorum, inde est quod hoc uitam æternam adeant, ipso
rum quoq; studium hinc requiritur, in quo meritò nun-
quam sibi satisfaciunt: cæterum reuera utrumq; ex eo-
dem Dei spiritu credere datur, sicut etiam utrumq; eo-
dem Dei uerbo prædicatur, ut non possit alterum sine
altero uerè credi. De qua re dicetur etiam nonnihil ad
obiectionem Vintoniensis, de dicto D. Augustini,
affirmantis sanctos certos esse in hac uita de perseue-
rantia. Sed iam sanctorum patrum authoritates addu-
cemus, quibus eadem ueritas confirmatur.

TESTIMONIA SANCTORVM PATRVM, DE
certitudine salutis, quam adfert fides uera in Christum.
Et primum D. Cypriani.

CUM hic Christi martyr, tempore mortalitatis &
pestilentia animaduertisset, nonnullos ex ecclesia
sua mortis metu, plus quàm Christianos deceat, com-
moueri: & instituisset hunc illis metũ, quem à fidei par-
uitate, ut scribit, & ueritatis errore patiebantur, exime-
re, futuraeque uitæ & fiduciam corroborare, & deside-
riũ incendere: eo maximè usus argumento est, & illud
scripturis potissimũ eis confirmauit: Omnes qui Chri-
sto uerè crediderint, morte corporis ad beatam uitam
certò transire: & qui de eo dubitent, eos fidem Christi
prodere. Cũque infirmis illis fratribus uelle t remouere
causas, ob quas inuiti mortem excipiebant, memora-
uit quosdam turbari eo, quòd eadem cum impijs pate-
rentur: nonnullos, quòd martyrio eriperentur, nusquam
autem

D. Cypria-
nus etiam
infirmos se
de iubet se
curos esse
de salute
eterna.

autem meminuit eius causæ, quam aduersarij afferunt, quod trepidarēt aliqui ex inopīa meritorum suorum: aut quod incerti essent, num satis crederent, pœniterent, amarent. Imò inter cætera mortis commoda prædicat non paucis & illud, quòd mors liberat à gladijs Zabuli, & à pugna cum uitijs & peccatis, quæ in hac uita uitari non possunt.

Cū ergo hic uir Dei promiscuè omnes, quos in sua ecclesia habebat, & nominatim infirmos fide, mūdiq; amore nimium detentos, tam multis hortatur, ut non dubitent se, excessu ex hac uita, in pacem & gaudium cœlorum continuò transire: planum certè est, hanc doctrinam de certa & secura expectatione æternæ salutis, esse catholicam: atq; ad istam nos fidei securitatem debere exhortari. quotquot in ecclesia Christi degunt, & pro Christianis haberi possunt, & debēt: eosq; qui de hac Dei gratia dubitarint, reprehendere, ut fidei & spei præuaricatores. Sed de his audiamus iam ipsa sanctissimi martyris uerba. Regnum Dei, inquit, fratres dilectissimi, esse cœpit in proximo (loquitur de tempore pestilentie, in quo plurimi moriebantur) præmium uitæ, & gaudium salutis æternæ, & perpetua lætitia, & possessio paradisi nuper amissa, mūdo transeunte iam ueniunt: iam terrenis cœlestia, & magna paruis, & caducis æterna succedunt. Quis hic anxietatis & sollicitudinis locus est? Quis inter hæc trepidus, & mœstus est, nisi cui spes & fides deest? Eius est enim mortem time re, qui ad Christum trāsire nolit. Eius est ad Christum nolle ire, qui se nō credit cū Christo incipere regnare. Scriptū est enim, iustū fide uiuere: si iustus es, & fide uiuis, si uerè in Deū credis: cur nō cum Christo futurus, & de Domini pollicitatione securus, quod ad Christū uoceris, amplecteris, & qd Zabulo careas gratuleris?

*Vbi fides,
ibi anxietas
& dubitatio
salutis
locum non
habent.
Securus
Domini
pollicitatione.*

Ecce

Ecce omnibus fratribus & peculiariter ijs, quos de fidei paruitate & animi imbecillitate, deq; cupiditate uitæ presentis nimia reprehenderat, præmium tamen uitæ & gaudium salutis æternæ, communiter propositum esse hic uir Dei pleno ore confirmat: sollicitudinēq; & anxietati de æterna salute locum esse negat, ubi non desit fides & spes.

Sed dices, scribit autem, Si iustus es. Verum, sed addit, Et fide uiuis, si uerè in Deū credis. De fidei igitur iustitia loquitur, eoq; iubet omnem credentē amplecti, quod ad Christum uocetur: & gratulari, quod Zabulo sit nūc cariturus, securus de Domini pollicitatione. Hac enim, non meritis proprijs, constat ista securitas. Deinde, uide cui proprium faciat trepidare metum mortis: ei nimirum, qui nolit transire ad Christum, & non credat se cum Christo regnaturū. Quam causam huius trepidationis postea plenius explicat, & grauius reprehendit, cum subiicit:

Qui de salute æterna dubitat, Christi fidē professus, fidem non habet, non nouit Deū, perfidus est.

Hoc autem fit fratres dilectissimi (quod scilicet fratres non cupidè moriuntur, & ad gaudium Christi festinant) quia fides deest: quia nemo credit futura esse, quæ promittit Deus, qui uerax est, cuius sermo creditibus æternus & firmus est. Si tibi uir grauis & laudabilis aliquid polliceretur, haberes utiq; pollicenti fidem, nec te falli ac decipi ab eo crederes, quæ stare in sermonibus atq; in actibus suis scires. Nunc Deus tecum loquitur, & tu mente incredula perfidus fluctuas? Deus tibi de hoc mundo recedenti immortalitatē pollicetur, atq; æternitatē, & tu dubitas? hoc est Deū omnino nō nosse, hoc est Christum credentium magistrum peccato incredulitatis offendere: hoc est in ecclesia constitutum, fidem in domo fidei non habere.

Et rursus: Mori planè timeat, sed qui ex aqua & spi-
ritu

ritu non renatus, gehennæ ignibus mancipatur. Mori timeat, qui non Christi cruce & passione censetur.

Vides quibus tribuat hic Christi testis, dubitare & fluctuare de æterna immortalitate, & hinc mortem timere. Iis certè, quibus deest fides, qui non credunt futura esse quæ promissit Deus, qui sunt mente incredula perfidi, qui non norunt Deum, qui Christū credentium magistrum peccato incredulitatis offendunt: qui in ecclesia, in domo fidei, fidē non habent, qui ex aqua & spiritu non renati sunt, qui Christi cruce & passione non censentur.

Iam & dubita, num sanctæ ecclesiæ antiquitas hoc fidei proprium agnouerit, de æterna uita nihil dubitare. Inde quæ iudica, qua fronte, & qua cognitione doctrinæ catholicæ aduersarij, hanc doctrinā non nostram, sed ecclesiæ uniuersæ, perpetuum nostrum figmentum esse calumniantur. Animaduertas autem simul & diligenter, quod hic ecclesiæ doctor & martyr, hanc uitæ æternæ tam certam atque securam expectationem collocat in nulla fidei nostræ, pœnitentiæ, aut charitatis fiducia, sed in sola Domini cruce & passione, & in confirmata nobis per uerbum & sacramenta eius pollicitatione, de qua considera & sequentem locum:

Qui autem spe uiuimus, & in Deum credimus, & Christum passum esse pro nobis, & resurrexisse confidimus, in Christo manentes, & per ipsum, atque in ipso resurgentes, quid aut ipsi recedere istinc de seculo nolimus, aut nostros recedentes quasi perditos plangimus ac dolemus, ipso Christo Domino ac Deo nostro monente & dicente: Ego sum resurrectio: qui credit in me, licet moriatur, uiuet: & omnis qui uiuit & credit in me, non morietur in æternum. Si in Christum credimus, fidem uerbis & promissis eius habeamus, & non

*In morte et
resurrectione Christi,
consistit fidei
sinceritas.*

Nota, Læta securitate transeamus.

Causæ huius securitatis, pollicitatio Domini, fides ueritatis.

moriemur in æternū: ad Christū, cum quo & uicturi & regnaturi semper sumus, læta securitate ueniamus. Et paulo pōsi: Venturus ad Christi sedē, ad regnorū cœlestiū claritatē lugere nō debet, nec plāgere: sed potius secundum pollicitationem Domini, secundum fidem ueritatis, in perfectione sua, & translatione gaudere.

Quid uerō potuisset dici uel disertius, uel planius, de fidei ueræ certitudine & securitate: & quāta illa esse debeat, & quod ea in nulla nostra fide, poenitētia, charitate, aut ullis nostris uirtutibus, sed in sola Dei misericordia, & meritis Christi, eiusq; pollicitatione nititur & consistit, percipitur autē & tenetur à nobis fide ueritatis, id est, fide uerbi Christi. Lege ipse pie lector, hanc totam martyris huius orationem, & uidebis nihil omnino à nobis de fidei certitudine, & salutis indubitata & segura fiducia esse allatum, quod non sit in hac D. Cypriani oratione & planissimè & copiosissimè traditum. Quocirca dubitare non licet, hanc ipsam doctrinam & fidem habitam tum fuisse, in illa meliore & sanctiore ecclesia, ut ueram Christi & catholicam ecclesiæ doctrinam & fidem.

QVOMODO ADVERSARII A SE IPSIS disident, dum morituris doctrinam de salutis certitudine inculcant, negant sanis.

SED forsā dicent aduersarij, Cyprianum uoluisse persuadere, cōstitutis tantum in periculo mortis, illud uerō & apud ipsos obseruari. Atqui hoc ipso illi maxime conuincuntur, dum docent nō esse hoc fidei Christianæ proprium, ut homines de æterna salute reddat certos, recedere eo à catholica ecclesiæ Christi doctrina, quam misericors tamen Deus, & princeps gregis sui pastor, etiā apud ipsos, quanquam ipsis nescientibus,

entibus retinuit, sicut ea est ecclesie ab ipso per Apostolos tradita, ut nimirum homines doceantur, reiecta trepidatione quae eis ab ipsorum meritis semper necessario ingeritur, fiduciam salutis aeternae in misericordia Domini & iustitia figere Seruatoris nostri Iesu Christi: ita ut morituros docent, quicumque aliquid de Apostolica doctrina reliquum tenent.

Istud igitur diligenter quaeso pie lector consideres, quam nulla ratione aduersarij circa hanc Christi doctrinam ipsi a se dissentiunt, dum eam morituris inculcant, sanis negant. Quo enim momento homo, quamquam corpore sanus, mortem non expectet, nisi animo non sit sanus? Si iam constitutus in mortis periculo, ista de fidei certitudine doctrina inculcari debet, ut debet, & ut ab Apostolis usque ab omnibus orthodoxis est obseruatum, certe nullo uitae praesentis momento inculcari ea hominibus non debet: tam abest, ut ulli hominum ullo uitae tempore negari debeat. nunquam enim hic in periculo mortis non est. Et quid quaeso de uita aeterna plus promissum est, expectantibus mortem tempore luis & pestis, aut alterius cuiusquam morbi, quam alio quamlibet sano tempore?

Dum abest, inquirunt, mortis metus, homines esse incertitudine salutis extimulandos, ut certam eam facere studeant per sua bona opera, quo studio alioquin languescerent. Scilicet. Quali non summa & tota etiam causa certitudinis huius de salute aeterna, sit primum omnium petenda a spiritu sancto, spiritu fidei. Et quali uerum bonorum operum studium possit magis incendi in hominibus, si doceantur de salute sua, atque ideo & de misericordia Dei & meritis Christi dubitare, quam si doceantur de immensa Dei & Christi erga se charitate, atque ideo & de sua salute bene confidere. Ex-

pende tu pie lector, quę hac de re diximus supra in reiectione cavillationis Vintoniēsis, qua ille doctrinā hęc de certitudine salutis calumniatus est, parere peccandi securitatem, & in bonis operibus cessationem. Item & quę in locum Petri attulimus, quem idem obiecit, de facienda certa electione & uocatione nostra. Item quę de eadem re dicta à nobis sunt supra in responsione nostra ad scripturas, quibus Maluenda probare conatus est, iustificationem perfici per bona opera. Pergamus nunc cognoscere, quid docuerit & crediderit ecclesia Christi, etiam in sua quasi media etate, idq; ex testimonijs D. Chrysostomi & D. Augustini.

TESTIMONIUM CHRYSOSTOMI.

DIUVS Chrysostomus in illud 5. cap. Rom. Per quem accessum habemus in gratiam hęc, in qua stamus, & gloriamur de spe glorię Dei: ita scripsit. Et bene dixit, inquit, in qua stamus. Talis enim Dei gratia non habet finem, nescit terminum: sed & in maius proficit. Quod inter homines nō sic habet. Verbi gratia: Accepit aliquis principatum, aut dignitatem, aut potestatem, tamen in his non semper perstat, sed citō illis excidit. Et si nemo hominum auferat, mors subit illa omnino tollet. Quę autem Dei sunt, talia nō sunt. Nec enim homo, nec tempus, nec res circumstantes, nec ipse diabolus, nec subiens mors his nos potest eijcere. Quin cum morimur, tum ea certius tenemus, & semper proficientes pluribus fruimur. Proinde si diffidis de futuris, à presentibus, atq; ijs quę iam accipisti, & de illis fidem confirma. Propterea enim dixit, In spe glorię Dei, ut discas qualem habere animam fidelis homo debeat. Nā nō modò de datis, sed & de futuris, perinde atq; de datis, τὸ ἀποφορεῖσθαι καὶ: id est, certum esse oportet, Nam de ijs rebus homines gloriari solent,

Gratia, in qua gratia stamus. Rom. 5. non habet finem, nescit terminum.

Nihil potest eorū possessione eicere, quę promisit Deus.

Non diffidendum de futuris.

Et de futuris τὸ ἀποφορεῖσθαι καὶ καὶ χροῖ.

solent,

solent, quas iam tenent. Quandoquidem igitur & re- Spes veri-
futurarum
firma &
certa pro-
pter Chri-
stum.
rum futurarum spes, perinde atq; dataram rerum, sic
est firma & certa, Gloriamur, inquit, & de illis: quocir-
ca etiam gloriam eam uocauit. Cum enim ad gloriam
Dei conferunt, omnino euenient: si non propter nos,
tamen propter illum. Hæc Chrysostronus.

Quid uerò possit de certitudine salutis, quam uera
Christi fides affert, dici apertius & plenius? Gratiam,
inquit, filiorum Dei, finem non habere, terminum ig-
norare. Itē: Dona Dei, dona salutis, auferri sanctis nō
posse, nec per uim præsentem ullam, nec per mortem,
uel diabolum. Præterea, certum esse oportere de futu-
ris, perinde atq; de ijs Dei donis, quæ iam accepimus.
Deniq; spem futurorum bonorum esse sic firmam &
certam, ut de illis gloriari conueniat: quod non conue-
nit, nisi de rebus iam planè obtentis.

TESTIMONIA D. AVGVSTINI,

De certitudine salutis.

AUdiamus nunc & D. Augustinum: hic in Psal.
88. hæc scripsit: Nunc autem Christus habet in
nobis sedem suam, edificata est sedes eius in nobis, nisi
enim sederet in nobis, non nos regeret: si ab illo autem
non regeremur, à nobis ipsis præcipitaremur. Sedet er-
go in nobis, regnans in nobis: sedet iam in illa genera-
tione, quæ fuerit ex resurrectione mortuorum. In æter-
num Christus regnabit in sanctis suis: hoc promissit
Deus. si parum est, hoc iurauit Deus. Quia ergo non
secundum merita nostra, sed secundū illius misericor-
diam firma est promissio, nemo debet cum trepidatio-
ne prædicare, unde non potest dubitare.

En regnum Christi in sanctis æternum docet præ-
dicare, & sine trepidatione, quia de eo non possit dubi-
tari. Quid ita? Nemo tamen potest certus esse, an im-

pleuerit poenitentiae & fidei conditionem? Quia, inquit, non secundum merita nostra, sed secundum illius misericordiam firma est promissio.

Idem uir Dei libro De bono perseverantiae, cap. 22 ita scripsit: Vos itaque etiam ipsam obediendi perseverantiam à patre luminum, à quo descendit omne datum optimum, & omne donum perfectum, sperare debetis, & quotidianis orationibus poscere, atque hoc faciendo confidere, non uos esse à predestinatione populi eius alienos, quia etià hoc ut faciatis ipse largitur. Absit autem à uobis ideo desperare de uobis, quoniam spem uestram in ipso habere iubemini, non in uobis. Maledictus enim omnis homo, qui spem habet in homine. Et, Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine: quia beati omnes qui confidunt in eum. Et hanc spem tenentes, seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Quoniã de uita aeterna, quam filijs promissionis promissit, non mendax Deus, ante tempora aeterna, nemo potest esse securus, nisi cum consummata fuerit ista uita, quae tentatio est super terram: sed faciet nos perseverare in se, usque in eius uitae finem, cui cottidie dicimus, Ne nos inferas in tentationem. Vide, iubet nos sperare, & cottidianis orationibus poscere obediendi perseverantiam, atque confidere nos à predestinatione populi Dei non esse alienos. Spes uerò & confidentia, dubitationem excludunt, & certitudinem salutis afferunt. Sed fidei, non scientiae, aut sensus. Obserua & illud, quod concludit spem hanc salutis nobis ex eo certam firmamque esse, quod ea non in nobis, sed in Domino ponitur. Omnino enim, ut diximus, de nobis ipsis diffidendum est, eo quod obedientia fidei in nobis, lege Dei nunquam satisfacit.

Addit autem hic scriptor de uita aeterna, Quanquam
Deus

Perseuerantia in fide si deliter oranda est, ergo de ea dubitandum non est.

Deus non mendax eam promiserit filijs promissionis *Obiectio,*
ante tempora æterna, neminem tamen posse esse secu- *et eius so-*
rum, nisi cum uita præsens fuerit finita. Rectè dicit: ne *lutio.*
mo enim potest esse sine metu peccati & lapsus. Ea e-
nim est nostra ad rectè uiuendū imbecillitas, & ad pec-
candum pronitas, ut Apostolus necessariò monuerit,
Qui stat, uideat ne cadat. Quocirca appositè hic à D.
Augustino adductum est illud Psalmi, Seruiendū esse
Domino in timore, & exultandum cum tremore. At
nos clarè semper confessi sumus, non solum neminem
si seipsum cōsideret, & quam ipse habeat iustitiā, posse
de salute sua esse certum, uerū certum esse oportere
omnem hominē de perditione sua: manet enim dum
hic uiuit, sub maledictio legis, quicumq; non manet in
omnibus uerbis legis. Certitudinem itaq; salutis poni-
mus in fiducia misericordiæ Dei, & iustitiæ Christi,
quam fides in euangelio oblatam apprehendit. Cui ue-
ritati consentiens D. Augustinus, cum negasset homi-
nem posse in præsentī uita securū esse de uita æterna,
piè subiicit: Sed facit uos perseverare in se, usq; in uite
huius finē, cui cottidie dicimus, Ne inferas nos in ten-
tationem. Et paulo supra: Absit autē à uobis, ideo de-
sperare de uobis, qui spem uestram in ipso habere iu-
bentini. Perseuerantiā enim in fide Christi, iussu Chri-
sti in omnibus precibus orare debemus. Impiū igitur
est dubitare, eam nos benignitate Domini acceptu-
ros, cum ille dixerit, Quæcunq; precando petitis, cre-
dite quia accipietis, & erunt uobis. Marci ii.

TESTIMONIA D. BERNHARDI.

HIC uir Dei, quo fuit magis sollicitus, ut salutem
suam pio cum timore & tremore perficeret, hoc
etiam misericordiam Dei, & Christi meritū sensit ple-
nius, & huius fiducia solidius acquieuit, eoq; & certitu-
dinem

In sermone de duplici baptismate, & relinquenda propria uoluntate.

dominum istius fiducia, predicauit confidentius atque copiosius, ac pijs omnibus comendauit diligentius. Et huius igitur uiri sententias aliquas adscribere hic uisum est. Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Nec uero inanis est, aut infirma potestas, qua nimirum certi sumus continuo & nos, quoniam neque mors, neque uita, neque uirtutes, neque angeli, neque altitudo, neque profundum, poterit nos separare a charitate Dei, quae est in Christo Iesu.

Gloriatio de charitate Dei a qua nihil queat separare, Rom 8. est omnium crediturum.

Hic uides pie lector, D. Bernhardum, gloriationem illam Apostoli Rom. 8. de dilectione Dei erga nos in Christo Iesu, deque summa illa certitudine, quod ab hac dilectione nihil queat separare, non esse Pauli tantum & paucorum sanctorum, ex peculiari quapiam reuelatione, ut Aquinas, & alij scholastici suspicati sunt: sed omnium, qui Christum fide receperunt, atque ideo potestatem ut filij Dei sint, consecuti sunt. De nostra quidem uoluntate, ut D. Bernardus in hoc sermone pie monendo subiicit, sollicitos nos esse oportet, ne ipsi scilicet ab hac Dei in nos charitate deficiamus. Sed etiam orandus est pater coelestis, ne nos inducat in tentationem: & orandus sine haesitatione impetrandi id, quod oramus. De quo D. Bernardus alibi.

In sermone in Cantica. 57.

Nota, Cauta securitas attestationibus nuntur Domini, quae sunt omnium Christianorum.

Et reuera quid diuitiae salutis, quid deliciae cordis, quid animae uerae & cauta securitas, nisi Domini attestations? Non enim, inquit, qui seipsum commendat ille probatus est, sed quem Deus commendat. Ut quid nos haecenus adhuc fraudamur commendationibus, seu attestationibus his diuinis, & paterna haereditate priuamur? Quasi minime & nos uoluntarie genuerit uerbo ueritatis: sic in nullo nos meminimus ab illo totaliter commendatos, nec ulla de nobis assecutos testimonia eius? Vbi est quod Apostolus dicit, Quia ipse Spiritus

Spiritus Dei testimoniū perhibet spiritui nostro, quod filij Dei sumus. Quomodo filij, si expertes hæreditatis? Arguit nos pro certo negligentia & incuria, ipsa inopia nostra.

Vide, omnium Christianorum esse agnoscit, habere in se testimoniū spiritus sancti, quod filij Dei sint & hæredes. An non igitur impium sit, spiritus sancti testimoniū non certam & indubitatam fidem accomodare, indeq; firmam habere supernæ hæreditatis expectationem?

Sed audi etiam hūc uirum Dei, unde depellendus sit metus, ne ista hæreditate excidamus, quem suggerunt nobis peccata nostra.

Quid non boni in petra: In petra exaltatus, in petra securus, in petra firmiter sto, securus ab hoste, fortis à casu: & hoc, quoniā exaltatus à terra. anceps est enim & caducū terrenū omne, nostra cōuersatio in coelis sit, & nec cadere, nec deijci formidamus. In coelis petra, in illa firmitas atq; securitas est. Petra refugium erinacijs. Et reuera ubi tuta firmaq; infirmis securitas & requies, nisi in uulneribus saluatoris? Tanto illic securior habito, quanto ille potentior est ad saluandū. Fremit mundus, premit corpus, diabolus insidiatur, non cado: fundatus enim sum supra firmam petram. Peccaui peccatum grande, turbatur conscientia: sed non perturbabitur, quoniā uulnere Domini recordabor. Nempe uulneratus est propter iniquitates nostras. Quid tam ad mortem, quod non Christi morte saluetur? Si ergo in mentem uenerit tam potens tamq; efficacax medicamentum, nulla iam possum morbi malignitate terreri. Et paulo pōst: Ego uerò fidenter, quod ex me mihi deest, usurpo mihi ex uisceribus Domini, quoniam misericordia affluunt, nec desunt foramina per quæ efflu-

In sermone
61. in Cānica.

In Christo firmitas & securitas, etiam infirmis.

Credentium conscientia turbatur, sed non perturbatur.

Quod nobis ex nobis deest, usurpandum est ex uisceribus.

Vnde gustus
bonitatis di-
uinae.

Vide hierone
lationem de
aeterna salute
est omnium
credentium,
ex morte
Christi.

Meritum cre-
dentium mi-
seratio Do-
mini.

Nota, Quid
enim quod
multorum mi-
hi sum con-
fessus delicto-
rum.

Christus no-
stra iustitia.

ant. Foderūt manus eius, & pedes, latusq; lancea fora-
uerunt: & per has rimas licet mihi fugere mel de petra,
oleūq; de saxo durissimo: id est, gustare & uidere, quo-
niam suauis est Dominus. Cogitabat cogitationes pa-
cis, & ego nesciebā. Quis enim cognouit sensum Do-
mini, aut quis consiliarius eius fuit? At clauis referans,
clauus penetrans factus est mihi, ut uideā uoluntatem
Domini. Quid ni uideam per foramē? Clamat clauus,
clamat uulnus, quod uerē Deus sit in Christo, mundū
reconcilians sibi. Ferrum pertransit animam eius, &
appropinquauit cor illius, ut non iam non sciat com-
pati infirmitatibus meis. Patet arcanū cordis per fora-
mina corporis: patet magnum illud pietatis sacramen-
tum, patent uiscera misericordiae Dei nostri, in quibus
uiscitauit nos oriens ex alto. Quid ni uiscera per uulne-
ra pateant? In quo enim clarius quā in uulneribus
tuis eluxisset, quod tu Domine suauis es, mitis, & mul-
tae misericordiae? Maiorem enim miserationem nemo
habet, quā ut animam suam ponat quis pro addictis
morti & damnatis. Meum proinde meritum, misera-
tio Domini. Nō planē sum meriti inops, quamdiu ille
miserationum non fuerit. Quod si misericordiae Do-
mini multae, multus nihilominus ego in meritis sum.
Quid enim si multorū sim mihi conscius delictorum?
Nempe ubi abundauit delictum, superabundauit &
gratia. Et si misericordiae Domini ab aeterno & usque
in aeternum, ego quoq; misericordias Domini in aeter-
num cantabo. Nunquid iustitias meas? Domine me-
morabor iustitiae tuae solius. Ipsa est enim et mea. Nem-
pe factus es mihi tu iustitia à Deo.

Quid quaeso potuisset his uerbis dici, de salutis se-
curitate, petēda fide ex uulneribus Christi, & clarius,
& fide pleniore? Agnoscit, turbari omnibus pñs con-
scientiā memoria peccatorū, quae illi sentiunt nec pau-
ca

ca esse, nec leuia: sed negat cōscientiā credētibz posse
perturbari, dum uulnerū Domini fide solida recordā-
tur. Obserua præterea, credentes nulla agnoscere sua
merita, sed omnem fiduciā salutis ponere in sola mi-
sericordia Domini, & solis Christi meritis, quem glo-
riantur sibi factum à Deo iustitiam. De qua re lege &
quæ alio in loco hic uir Dei scripsit.

Quis poterit saluus esse? dicunt discipuli saluato-
ris. Et ille: Apud homines hoc impossibile est, sed non
apud Deum. Hæc tota fiducia nostra, hæc unica con-
solatio nostra, hæc tota ratio spei nostræ. Sed de possi-
bilitate iam certi, de uoluntate quid agimus? Quis scit
si est dignus amore, an odio? Quis nouit sensum Do-
mini, aut quis consiliarius eius fuit? Hic iam planè fi-
dem nobis subuenire necesse est: hic oportet succurre-
re ueritatem, ut quod de nobis latet in corde patris, no-
bis per ipsius spiritum reueletur, & spiritus eius testifi-
cans persuadeat spiritui nostro, quod filij Dei sumus.
Persuadeat autem uocando, & iustificando gratis per
fidem, in quibus nimirum uelut medius quidam tran-
situs est ab æterna prædestinatione, ad futuram mag-
nificationem. Hic obserua, cuius nam sit, nescire si
dignus sit amore uel odio. Non certè Christo creden-
tis. Fidei enim & hic uir Dei tribuit, hanc tollere ne-
scientiam, & suppeditare gratiæ Dei scientiā, qua scia-
mus nos esse filios Dei. Quæ scientia unde firmanda
sit, docet alibi his uerbis.

Tria inquam sunt, quæ sic roborant & confirmant
cor meum, ut nulla me penuria meritorum, nulla con-
sideratio propriæ utilitatis, nulla æstimatio cœlestis
beatitudinis, ab altitudine spei ducere possit, in ea fir-
miter radicatum. Et paulo post: Tria considero, in qui-
bus tota spes mea consistit, charitatem adoptionis, ue-
rita-

Sermone 5.
De dedicati-
one.

Nota, Dubi-
tatio de uolū-
tate.

Dum fide te-
stimoniū spi-
ritus sancti ri-
te percipitur
certitudo sa-
lutis reuelat,
& firmatur.

Fides iustifi-
cations tran-
situs est, ab
æterna præ-
destinatione,
ad futurā ma-
gnificationē.

Sermone de
fragmentis se-
prem miseri-
cordiarum.

Causa securi
factis de salu
te, charitas a
doptionis, ue
ritas promif
sionis, pote
stas reditio
nis.

Hunc funē fir
miter tenea
mus.

Nulla penu
ria merito
rum abduce
re debet a
spe salutis.

ritatem promissionis, potestatem redditionis. Murmu
ret iam quantum uoluerit insipiens cogitatio mea, di
cens: Quis enim es tu, aut quanta est illa gloria, qui
bus ue meritis hanc obtinere speras? Et ego fiduciali
ter respondebo: Scio cui credidi, & certus sum quia in
charitate nimia adoptauit me, quia uerax in promissio
ne, quia potēs in exhibitione: licet enim ei facere, quod
uoluerit. Hic est funiculus triplex, qui difficilē rumpi
tur: quem nobis à patria nostra in hunc carcerem usq;
dimissum firmiter obsecro teneamus, ut ipse nos suble
uet, ipse nos trahat & pertrahat, usq; ad conspectū glo
riæ magni Dei, qui est benedictus in secula.

Hic uide, nullam nos penuriam meritorū, nullam
propriæ utilitatis considerationem, à spei altitudine ab
ducere debere. Et spem hanc fide firmandam esse, fide
charitatis Dei, qua nos sibi in filios adoptauit: fide pro
missionis eius, qua nobis æternæ uitæ hæreditatem ad
dixit: fide deniq; potentiæ eius, qua perficere potest,
quod coepit in nobis opus salutis. Animaduerte deni
que hunc uirum Dei, & illud Pauli commune omni
bus credentibus facere: Scio cui credidi, & certus sum,
quod potēs est depositum meū seruare in illum diem.

Huiusmodi uerò testimonia de salutis certitudine,
quam fides uera cuiq; adfert uerè credentium, plurima
passim apud hunc uirum Dei legis: Ita & apud alios
sanctos patres. Hi uerò cum nihil quàm catholicam
ecclesiæ Dei doctrinam, ut in cæteris, ita & in hoc do
gmate professi sint, & tradiderint: uides, quicumque
ista uoles seriò cognoscere, nos hac ipsa doctrina nihil
inferre noui, & à catholica ecclesiæ doctrina alienum:
sed ea docere & commendare, sine quibus fides uera
in Christum nec cognosci potest, nec haberi. Sed obij
ciunt his aduersarij sententiam unam D. Augustini,
quæ

quæ etiã explicanda, & ueritati catholice adserenda est

OBIECTIO EX D. AVGVSTINO, CONTRA
certitudinem salutis: eiusq; solutio, & solutionis eius
contra Vintoniensem assertio.

OBIICITVR ergo D. Augustini locus ex libro
II. De ciuitate Dei, cap. 12. qui sic habet. Cum
hodie non imprudenter beatos uocemus, quos uide-
mus iuste ac pie cum spe futura immortalitatis, hanc
uitam ducere, sine crimine uastante conscientiam, fa-
cilè impetrantes peccatis huius infirmitatis diuinã mi-
sericordiã: qui licet de suã perseverantiã præmio certi
sint, de ipsa tamen perseverantia sua reperiuntur in-
certi: quis enim hominum se in actione profectuq; iu-
stitiã perseveraturum usq; in finem sciat, nisi aliqua re-
uelatione ab illo fiat certus, qui de hac re iusto, laten-
tiq; iudicio, non omnes instruit, sed neminem fallit:
Hæc ille.

Hic aperte negat, inquit aduersarij, D. Augusti-
nus, sanctos ita certos esse de sua perseverantia, sicut
certi sunt de præmio perseverantiã. At non sic saluus,
nisi qui ad finem usq; perseverauerit. Negauit igitur
D. Augustinus hoc loco, homines de salute sempiter-
na esse certos. Hunc D. Augustini locum excussi
& in eo tractatu de iustificatione, quem inserui scripto
meo, De uera ecclesiarum in doctrina caremonijs &
disciplinã reconciliatione & compositione, ibiq; scri-
psi, D. Augustinum negare nos certos esse de perseue-
rantia nostra, indeq; de salute nostra certitudine scien-
tiã, non autem certitudine fidei.

Ob hanc uerò distinctionem, episcopus Vintoni-
ensis Anglus, me more & amore suo in ueritatẽ Chri-
sti, miris exagitat conuicijs uersutiã, mendaciã, impu-
dentiã, Sed uideamus, quibus meam distinctionem

Obiectio ex
D. Augustino
contra certi-
tudine fidei.

Crimine na-
stans confi-
entiam.

Peculiaris re-
uelatio.

Responsio x
D. Augustini
locum.

Argumentū
Vintonienſis
primum.

Argumentū
ſecundum.

Argumentū
tertium.

Solutio pri-
mi argumētū.

Sæpe dicta in
ſcripturis in-
definite, ex-
plicanda &
intelligenda
ut definire.

argumentis reſſiciat, conuicia relinquamus conuiciato-
ri. Primum argumentum eſt, Auguſtinum indefinite
& abſolutè negare, homines de ſua perſeuerantia eſſe
certos: me igitur non debuiffe hanc negationem inde-
finitam definire, & contrahere ad certum quendam in-
certitudinis modum. Alterum: Auguſtinum aper-
tè locutum de certitudine & incertitudine fidei. Cum
enim dixiſſet, ſanctos eſſe certos de ſuæ perſeuerantiæ
premio, id eum non niſi de certitudine fidei dixiſſe:
non igitur eſſe cauſam, ut non & quod adiecit, incer-
tos autem eſſe de ſua perſeuerantia, de eadem fidei cer-
titudine intellexiſſet. Tertium argumentū: D. Augu-
ſtinum nulla ratione potuiſſe negare, homines nō eſſe
de ſua perſeuerantia certos ſcientiæ modo, cum nihil
omnino rerum cōtingentium hoc modo certū haberi
queat. Nugacē enim eſſe orationem quæ de aliqua ſpe-
cie neget, quod in nullam generis partem queat cōpe-
tere. Hæc ſunt argumēta Vintonienſis in epiſtola ſua
altera conuiciatrice, contra me Louanij edita.

Accipe nunc igitur pie lector, & meam reſponſio-
nem, & iudica inter me & epiſcopum iſtum. Primum:
certum eſt plurima & in ſcripturis, & apud eloquen-
tes ſcriptores, dicta legi indefinite & abſolutè, quæ ta-
men non niſi certo quodam modo, & non in uniuersum,
ut ſonare uidentur, intelligere oporteat: quocirca
dialectici indefinitas orationes particularibus æquipa-
rant. Dominus dixit ſimpliciter & abſolutè, Pater ma-
ior me eſt: nō tamen id ſimpliciter, & quouis modo in-
telligendum eſt. Sicut nec quod dixit, Sermo quem au-
ditis, non eſt meus, ſed patris, qui me miſit. Et innume-
ra eiufmodi. Primum igitur argumentum eſt multo
dilutius, quàm ut proferri debuerit à ſophiſta tam ar-
guto, Alterum plus habet uerifimilitudinis. Eſt enim
anti.

antithesis quædam & cōparatio à D. Augustino hoc loco proposita, præmij quod sanctorū perseverantiæ promissum est, & perseverantiæ ipsius in certitudine. nam dicit, sanctos esse certos de suæ perseverantiæ præmio, incertos autē de ipsa sua perseverantia. Proinde ut detur in utroq; membro, de certitudine eiusdē generis esse locutus, & de certitudine fidei, qua sancti nimirū sola de suæ perseverantiæ præmio certi esse possunt. Hoc enim præmiū nec oculus vidit, nec auris audiuit, &c. Ergo Augustinus hac ipsa fidei, & nō scientiæ certitudine, negat sanctos certos esse de sua perseverantia. Hoc, inquā, argumentū aliquā habet speciē veri, nullā tamen necessitatē. Ad id enim, ut oratio illa verè & cōmodè proposita sit, satis est sanctos reperiri de ipsa sua perseverantia incertos, & de perseverantiæ huius præmio certos, quocūq; id modo vel certitudinis, vel incertitudinis cōingat. Quod verò id quod dixit Augustinus, sanctos de sua perseverantia reperiri incertos, nec scire se in actu profectuq; iustitiæ perseveraturos, interpretatus sum de incertitudine & ignorance quæ opponitur scientiæ, non de ea quæ opponitur fidei: id feci adductus & verbis & sententiā D. Augustini: imò & scripturæ sacræ. Probaturus enim Augustinus quod dixerat, sanctos reperiri de sua perseverantia incertos, subiicit, Quis sciat? non, Quis credat? Cū itaq; ex eo dixit, homines de sua perseverantia reperiri incertos, quia nemo hominū sciat se in profectu iustitiæ perseveraturū, liquet eum hoc suū dictū de incertitudine & ignorance intellexisse, quæ opponitur scientiæ, nō quæ fidei: hoc est tribuisse quidē sanctis, quod nesciāt se in actione profectuq; iustitiæ perseveraturos, nō autē quod non debeant credere se dono Dei servandos & sustinēdos, ut in gratia Dei per Christum hinc discedant. imò iubet potius hoc credere, cū subiicit; Sed faciet vos perseverare.

Solutio alterius argumenti.

Augustinum ex Augustino interpretatus.

Paulo supra
habet hoc re-
sponsum ad
dicitur, ex 22.
cap. De bono
perseueran-
tibus.

Euangelium
uocat ad gra-
tiam & uitam
Dei, non tem-
porariam, sed
aeternam, ergo
ex fide hæc
certo expecta-
da est creden-
tibus.

Quod fide
orandum est,
de eius in-
petratione
dubitare im-
pium est.

perseuerare in se usque in eius uitae finem, cui cottidie dici-
mus, Ne nos inferas in tentationem. Cum itaque dictum
hoc D. Augustini ex ipsius & uerbis & sensu interpre-
tatus sim, uides pie lector, Vintoniensem suo more ma-
litosè uoluisse calumniari, quod confutare ratione non
potuit. Præter has uerò duas causas, adduxi in illo
de reconciliatione ecclesiarum libro rationes, cur ne-
cesse sit illud Augustini dictum, sanctos reperiri de sua
perseuerantia incertos, intelligere non de incertitudine
fidei. Vna, quod sanctorum est credere, se à Christo esse
uerè uocatos & electos in sempiternam regni eius so-
cietatem, non temporariam. Euangelio enim non in-
gratiam incerti temporis, sed ad hæreditatem uitae sem-
piternae omnes sancti uocati sunt. Altera, quod san-
ctorum est semper orare Dominum pro dono perse-
uerantiae, & orare fide, ac ideo sine hæsitatione. Hinc
D. Augustinus in libro De bono perseuerantiae, à se-
cundo capite usque ad septimum, multis docet, & id etiam
ex D. Cypriani sententia, sanctos perseuerantiam à Do-
mino orare in singulis orationis Dominicæ particulis,
quæ ordine in hoc ipsum interpretatur. Iam constat, ut
omnes orthodoxos, ita etiam D. Augustinum docere,
à precatone ad Deum oportere abesse omnem impe-
trandi dubitationem, & incertitudinem.

Ex his satis liquet cuilibet non contentioso homi-
ni, D. Augustinum, quanquam illud, sanctos de sua
perseuerantiae præmio esse certos non dixerit, nisi de
certitudine fidei; tamen eo quod adiecit, sanctos de sua
perseuerantia reperiri incertos, nequaquam uoluisse
illis ullam de sua perseuerantia incertitudinem tribue-
re fidei, ita scilicet, quod putarit sanctos debere de do-
no perseuerantiae, pro quo illos perpetuò orare oportet,
unquam dubitare, & incertos dubiosque fluctuare,
quan-

quantum quidem ad Deum attinet, & eius promissionem, bonitatem & dilectionem, qua ille suos prosequitur in finem. De qua sola certitudine & securitate nos contendimus. Hominem enim ex sua uoluntate & uiribus in uia Domini stabilem non esse, certumque esse de lapsu suo, incertum de statu, satis & ubique scriptorum nostrorum confessi sumus. De quo & D. Augustinus eodem libro capite 8. hæc scripsit: Voluntate autem sua cadit, qui cadit, & uoluntate Dei stat, qui stat. Potens enim est Deus statuere illum: non ergo ipse seipsum, sed Deus. Verum tamen bonum est, non altum sapere, sed timere. Hæc ille. Timere nimirum de sua imbecillitate, & in lapsum pronitate: confidere autem de Dei conseruatione, & confirmatione.

Solutio tertii argumenti.

Tertium Vintoniensis argumentum tantumde habet momenti, quantum primum, cum ex eo quod nihil futurorum contingentium posse comprehendi scientiæ modo, contendit Augustinum sine ratione fuisse hoc detracturum perseverantiæ sanctorum. Satis enim constat, D. Augustinum non hic usum nomine scientiæ exacto illo Aristotelis modo, sed intellexisse per scientiam animi apprehensionem, cum qua nulla coherat de eadem re hæsitatio. Vnde cum dixisset, Quis se in actione profectusque iustitiæ perseveraturus sciat: subiecit, Nisi aliqua reuelatione fiat certus, &c. En scientiam uocat etiam eam cognitionem, quæ habetur de re singulari, & futura, & quidem ex reuelatione.

Hanc reuelationem esse ex testimonio spiritus sancti, omnibus Christo credentibus communi: ut de supra in sententia De Bernardi, adducta ex sermone illius De dedicatione,

Summa, D. Augustinus quicquid de incertitudine perseverantiæ sanctorum dixit, eam intellexit incertitudinem, quæ existit ex nostra ad pie uiuendum imbecillitate, & pronitate ad peccandum: non de ea, quæ nascitur ex diffidentia opis & confirmationis atque conseruationis diuinæ. Nam pro hac iubet indefinenter

TT ad

Vnde fit, qđ
sancti se cer-
tiores sentiūt
in fide de pre-
mio perseue-
rantie, quam
de ipsa perse-
uerantia.

ad Deum nos orare, & sine hæsitacione.

Etenim quia ad id, ut reddat Deus præmium in fi-
de perseverantibus, nihil nostri studij requiritur, uide-
tur sanctis hoc esse extra omne dubium. At quia ad eo-
rum perseverantiam etiam ipsorum poscitur studium,
quod ex ipsis est tam infirmum, & dubium, non pos-
sunt non de huius studij sui constantia metuere. Istud
discrimen certitudinis, de premio perseverantiae, &
ipsa perseverantia uoluit D. Augustinus hoc loco ex-
ponere, nec quicquā incertitudinis docere esse admit-
tendum sanctis, de dono perseverantiae. Nam permul-
tis docet, hoc sanctis esse promissum à Deo, & in omni
oratione à Deo fide & spe certa petendū. Et nomina-
tim urget illam promissionem Domini, quæ habetur
Jerem. 32. Timorem mei dabo in cor eorum, ut à me nō
recedant. Item illud Pauli Rom. 11. Sine pœnitentia
sunt dona & uocatio Dei. Et Philip. 2. Deum esse qui
operatur in nobis uelle & operari. Sollicitudinem igitur
de lapsu nostro, quæ in nobis esse debet, ex conside-
ratione nostræ infirmitatis, progredi hic uir Dei non
uult ultra id, quàm ut peccatum summo studio cauea-
mus, & ad perficiendam salutem nostram, nobis ipsis
cum timore & tremore insistamus.

Sed solet imbecillitate fidei nostræ fieri, ut hæc de
nostris lapsibus anxietas progrediatur ultra conside-
rationē nostræ infirmitatis, & trepidare nos faciat etiā
de uoluntate & promissis Dei: nec enim unquam dum
hic uiuimus, hæc infidelis de salute nostra dubitatio ex-
cuti animo nostro tota potest. Contra eam ergo, ut cō-
tra cætera carnis & satanæ machinamenta, docemus
opponere promissa Dei, & orare incrementa spiritus
Christi, qui succurrens nostræ imbecillitati, dubitatio-
nem istam aduersariam fidei à nobis profliget. De qua
re,

re, quid D. Bernardus in ijs locis quæ supra adduximus, doceat, pñ homines diligenter expendant.

Subiecit hoc loco Vintoniensis, Bone Deus, quas turbas, quas machinas in tuo libello moues, ne fides illa specialis, qua quisq; sibi ipsi pollicetur securitatem, cui uestri nituntur omnes, uideatur illa conciliatione sublata prorsus atq; reprobata? Quid tu igitur nõ eas turbas dissipasti episcope, & machinas cõfregisti? Cur tot indicta tibi, & cunctæ turbæ oppugnãti, hanc fidei Christianæ ueritatẽ, miseris cõscientias de gratia Dei confirmandi, ita præteristi, & de una tantum Augustini sententiã argutari uoluisti? Nec enim propterea cadunt, quæ illic de hac fidei facultate adstruxi auctoritatibus, & diuinarum scripturarum, & S. patrũ, ipsiusq; Augustini: etiamsi euicisses istam Augustini sententiam, de qua rixam instituisti, nostrę confessioni aduersari. Fatetur enim Augustinus ipse & se, & cæteros sanctos patres pleraque scripsisse, quæ correctione opus habeant, atq; ideo minus sint consentanea, tam cum ipsis diuinis scripturis, quàm cum recte dictis atq; scriptis siue suis, siue aliorum sanctorum patrum, quæ tamen non omnia retractarit. Si igitur uoluisses Vintoniensis, ut episcopum decet, non tantum nostra calumniari, & inaniter argutari, sed uindicare electis Dei sinceritatem doctrinæ orthodoxæ de fide, debueras etiam cæteras auctoritates & D. scripturarum, & S. patrum, quas ibi adduxi, nobis eripere. Sed agnouisti te illud non posse, ideo nec tentasti, & more tuo ad calumniandum nostra ex uno Augustini loco, quem ad id putasti magis esse idoneum, argutari maluisti.

Ex his itaq; responsis nostris, & adductis auctoritatibus, si iungantur cum ijs quæ de hac fidei certitudine tractaui supra pag. 67, & a pag. 461. usque in pag. 468.

TT 2 existit.

Vintoniensis præteritis iustis argumentis inaniter argutatur de una sententiã, qua causa non nititur.

Conclusio questionis de certitudine fidei.

existimo cuilibet Christiano homini satisfactum esse de cunctis aduersariorum obiectionibus, quas huic catholico ecclesiae Christi dogmati, de uirtute illa fidei, qua certos de salute hominem reddit, obiecerunt uel hi nostri collocutores, uel Vintoniēsis, uel ulli alij, iam igitur ad alia transeundum est, quae adiuncta sunt secundae reali cōtrouersiae, de natura & certitudine fidei.

DE FIDE SINGVLARI CVIVSQVE CHRISTIANI, qua quisque gratiam Dei in Christo Domino pro se apprehendit.

HANC quaestionem Maluenda & Billickius reiecerunt in alium locum & tempus, cum eam bis attigissent: nos tamen illam, quo plenior sit tractatio de iustificatione, hanc ecclesiae Christi catholicam & summè necessariam doctrinam, paucis, praeter ea quae iam adduximus, confirmabimus, idēq; ex diuinarum scripturarum & ecclesiae autoritate. Multis & amarissimis eam & Vintoniēsis blasphemijs exagitat: sed nec ille quicquam argumentorum contra eam attulit: tantum criminatur, eam esse nostrum figmentum, & homines reddere securos, in flagitijs suis, ad quam calumniam iam respondemus.

De fide specialis, confessio catholica.

Confirmatio confessionis catholicae, de fide speciali.

Confitemur & praedicamus sanè, neminem apud Deum iustificari: hoc est, remissis peccatis in gratiam & locum filiorum Dei recipi, nisi qui hanc Dei dignationem, hoc est sui iustificationem, apprehenderit & teneat fide sua propria, qua credat & sua sibi peccata esse à Deo remissa, & se quoque in filium & heredem Dei assumptum.

Hanc autem nostram confessionem & doctrinam, scriptura ubiq; & omnis ecclesiae cum doctrina, tum caeremoniae docent & inculcant, tam clarè & copiosè, ut meritò qui micā habeat mētis Christianae, agnoscat ipsi.

ipfiffimum antichrifti fpiritum obtinere in ijs omnibus, qui iftam fpecialem, uel fingularem fidem audent negare, & nouitatis accusare. Scriptura enim tota ab initio prædicat fœdus gratiæ & falutis æternæ inter Deum & electos eius ic̄tum, contineri hac promiffione, Ego fum Deus tuus, & Deus feminis tui. Constat etiam hanc promiffionē Abrahæ fingulariter factam per Chriftum Dominū, benedictum Abrahæ fermen, pertinere ad fingulos Chriftianos: finguli igitur debēt credere, Dominum uelle fe etiam ipforum Deum præftare, id eft, feruatorem in uitam æternam. Non enim eft Dominus Deus nifi uiuentium, & per beatam refurrektionem æternū uicturorum. Matth. 22. Hinc in Pfalmis ad exemplum credētibus omnibus paffim canitur, & quisque credentiū ut idem fuccinat inuitatur: Tu es Deus meus, feruator meus, paffor meus, nihil mihi deerit, fpes mea, robur meum: te confido, non confundar in æternum. Dic animæ meę, falus tua ego fum, &c. Hæ ergo acclamationes fingulorum Chriftianorum funt.

Eaę de caufa Dominus nofter Iefus Chriftus ijs quos ipfe in gratiam recepit, & quibus dona fua peculiaria fuo ore contulit, dicere folebat, Fides tua te faluum, aut faluam fecit. Atę ut quisę euangelion fua propria fide amplecteretur, iuffit prædicare omni creaturæ: & confirmauit faluos fore, quicunę ei crediderint, & baptizati fuerint. Ait enim, Quicunque. Ergo finguli debent credere euangelio, ac ita credere, ut falui fiant. At faluus fieri nemo potelt, qui non credit Chriftum & pro fuis peccatis elle mortuū, & propter fuam iuftitiam elle à mortuis refuscitatum: ac ideo & fe per eum habere remiffionem peccatorū, donumę uitæ æternæ. Paffor enim hic bonus cognofcit oues

suas, & singulas, & uocat eas nominatim, & cognoscitur etiam à singulis.

En quot-
quot.
En omnes e-
stis filii Dei.

Singuli pro
se baptizan-
tur, singuli
igitur crede-
re debent se
in filios Dei
esse regenera-
tos.

Singuli acci-
piunt corpus
& sanguinem
Domini pro
se, ergo & se
his redem-
ptos debent
credere.

Quod quo amplius testificaretur, & singulis confir-
maret, uoluit ut singuli baptizentur, & unusquisque
pro se per hoc sacramentum ipso induatur & incor-
poretur, inque mortem eius sepeliatur, & in uitam æter-
nam regnatur. Hinc est quod Apostolus inquit,
Quotquot baptizati sumus in Christum Iesum, in mor-
tem eius baptizati sumus. Rom. 6. & Gal. 3. Omnes enim
estis filii Dei per fidem in Christo Iesu. Quotquot
enim baptizati estis, Christum induistis. Item ad Corin-
thios: Omnes in unum corpus baptizati sumus. Hæc
Apostolus scripsit ad credentes Romanos, Corinthios,
& Galatas omnes: uoluit igitur id credi quoque ab omni-
bus, & singulis. Proinde singulis cum baptizentur, di-
citur à baptizante, Ego baptizo te, id est, abluo tua pec-
cata, in sero te Christo Domino, &c. idque in nomine
patris, & filii, & spiritus sancti, ut scias diuinum hoc bap-
tisma esse: ideoque te sic regigni diuinitus, ut Deus ac pa-
ter Domini nostri Iesu Christi, tuus quoque pater sit: fi-
lius, tuus quoque redemptor: spiritus sanctus, tuus etiam
sanctificator, doctor, & gubernator in uitam æternam.
Ex eodem uenit, quod singulis etiam datur corpus
& sanguis Domini, ut accipiant remissionem peccato-
rum, & uiuant in Christo, habeantque illum uiuentem
in se, & sciant se ab illo resuscitandos in uitam æteri-
nam. Hinc libro De sacramentis 4. ex ijs qui adscri-
buntur D. Ambrosio, legitur: Qui manducat hoc cor-
pus, fiet ei remissio peccatorum, & non morietur in æ-
ternum. Ergo non ociose tu dicis Amen, in spiritu con-
fitens, quod accipias corpus Christi. Et Chrysostomus
in cap. Matthei 26. Singulis fidelibus coniungit se Do-
minus per hoc mysterium, Augustinus de uerbis Apo-
stoli

stoli sermone secundo: Illud manducare refici est. sed sic reficeris, ut non deficiat unde reficiaris. Illud bibere quid est, nisi uiuere? Manduca uitam, bibe uitam, habebis uitam, & integra est uita. Iam singulos adhortari debemus, ut manducant & bibant de mensa Domini, non sacramentaliter tantum, uerum etiam spiritualiter: & a mensa Domini dehortari, qui hunc panem non uelit, & spiritu manducare panem, & hunc potum spiritu quoque bibere. Nec fas est ijs sacramenta dare, quos non debemus iuxta Domini uerbum agnoscere ita comparatos, ad mensam Domini accedere.

Bibere hoc, nihil quam uiuere.

Aut ergo luditur his tantis mysterijs, & redemptio nis Christi ob signationibus: aut docendi sunt Christiani, ut cum uel baptisma, uel sacramenta mensae Domini percipiunt, singuli credant, & uerè credant, hoc est, indubitanter, & se salutem, uitamque his sacramentis percipere. Istud in ueteri ecclesia tam fuit indubitatum, ut Aphri, sicut commemorat D. Augustinus, sua punica lingua, baptisma uocarint salutem: eucharistiam, uitam. Istudque testatur D. Augustinus illos recepisse ex traditione Apostolica. Quid iam dicam de absolutione ecclesiae? Quorum peccata remisistis, inquit Dominus, his remissa erunt: & quaecumque solueritis super terram, soluta erunt in caelis. Hac promissione ecclesiae Christi freta, ubique Christianae gentis, singulis hominibus peccata sua confitentibus, & ueniam petentibus absolutionis beneficiū impendunt. Ita ut cuique poenitenti huius beneficii minister dicat: Ego absoluo te a peccatis tuis in nomine patris, & filij, & spiritus S. Si iam is cui per hoc ecclesiae ministeriū peccata in nomine trinitatis remittuntur, non debet credere, ex memorata Christi promissione peccata sibi esse uerè remissa, quid & per absoluentem ministrū, & petentē absolutionem peccato-

De peccatorum meritis, & remissione
Ib. i. cap. 24.

Singuli per se a peccatis absoluuntur, singuli igitur credere debent peccata sibi esse remissa.

rem

rem geritur, quàm impius quidam de maiestate nomi-
nis Dei ludus. At si credere debet se esse à peccatis ue-
rè absolutum, idq; ex uerbo Domini, ut debet, dubita-
re sanè de eo non debet. Si uerò dubitare non debet,
certū esse absolutionis à peccatis oportet, idq; sua pro-
pria & singulari fide.

Singulis im-
ponuntur ma-
nus ut singuli
certificentur
de gratia &
donis Dei.

Eadem religione imponuntur etiàm manus singu-
lis hominibus, & fidem suam coram ecclesia confitentibus,
& munus aliquod ecclesiasticum suscipientibus.
Nec enim alia de causa & hoc sacramentum exhibe-
tur, quàm ut cuiq; fiducia promissæ gratiæ Dei singu-
laris, & propria confirmetur. Si hi igitur, quibus pro-
missa Dei munera ita singillatim, cum inuocatione S.
trinitatis addicuntur, ea se non certa fide credunt per-
cipere, quid faciunt aliud, quàm illudunt Deo?

Singuli cre-
dere se in De-
um profiten-
tur, & inuo-
cant Deum,
quo testatur
quisq; pro se
salutem ab ip-
so certo ex-
pectare.

Quod certè faciunt, & qui Deum patrem suum in-
uocant, & credere se in Deum singulatim profitentur,
si nō firmiter sentiant, Deum etiam suum esse patrem
& Deum, scq; eius esse filios atq; hæredes. Ecclesia cer-
tè ut doceret cuiq; pro se credendum esse, Deum, suum
quoq; esse Deum: id est, seruatorem, & uitæ aeternæ
largitorem: dictauit confessionem fidei, ut singuli pro
se dicant, Credo in Deū, non, Credimus. quod ipsum
tamen nemo sine illusione Dei dicere potest, qui non
etiam ipse in eum cum alijs credentibus uerè credat.
Sicut nec illud dicere uerè quisquam potest Deo, Pa-
ter noster, qui nō & se illum habere communem cum
sanctis omnibus patrem agnoscit.

Hæc qui piè expendit, in fictari profectò non po-
terit, eos docere Deo planè illudere, quicumq; docent
homines non debere, unum quenq; pro se, sua specia-
li & propria fide, salutem in Christo Domino appre-
hendere, complecti, & tenere firmiter: quicumq; nimi-
rum

rum euangelion Christi audierunt, & præterea Christi baptifmate inſiti, & in fide Christi manuū impoſitione cōfirmati, corporeq; & ſanguine Christi obſignati ſunt: qui deniq; fidem ſuam in Deum cōfiteſtur, & Deum patrem ſuum inuocant.

Vides ergo Chriſtiane lector, hoc noſtrum de fide ſpeciali dogma, nō eſſe noſtrum, nec nouum, ſed Christi & eccleſiæ eius, ac ideò omnino antiquum, atq; perpetuum. Nouum autem & pernicioſum eſſe errorem, dogma aduerſariorum. Quocirca, quæ Vintonienſis nos occasione huius dogmatis criminatus eſt, nihil quàm impotentis in nos, et doctrinam Christi, odiū cōuicia ſunt. Scribit enim, me homines ſecum *Depulſa conuitia* reddere, blāda pietatis appellatione, qui ſint ſum *Vintonienſis* mis etiam flagitijs immerſi: & me promittere, his in *ſis.* ſis. *ſis.* fortim cœlum ſola fide eſſe patefactum, ſi crediderint, fortiter ſe ſaluos fore: cum non ignoret nos docere, iter ad cœlum pateſcere hominibus tantū gratia Dei, & ſanguine Christi, non fide, aut ullo opere noſtro: fide autem credi eſſe patefactū & ſuſcipi, ſed fide regnante hominem, qua quicunq; præditi ſunt, non ſolum flagitijs non ſunt immerſi, ſed nulla etiam admittunt flagitia. Qui enim natus ex Deo eſt, non peccati, nec poteſt peccare. 1. Ioh. 3.

REFELLVNTVR CALVMNIAE VINTONIEN-
ſis, contra id quod dicimus, iuſtificationem ſola
fide apprehendi.

PRimum calumniatur, nos in religionē inuexiſſe uerbum apprehenſionis, ſicut Stoici uerbum apprehenſionis in philoſophiam. Deinde, doctrinam de iuſtificatione fidei, non noſtram, ſed Pauli, & ſcripturæ totiſ, ſua iniqua interpretatione peruertit,

uestit. Postremò oppugnat dogma illud Christi sum
mè necessarium atq; salutare, de fide apprehendente
iustificationem in Christo, per se sola, etiam si sine cha
ritate esse nunquam possit.

De verbo ergo apprehendere, primùm rationem
reddamus, quod Vintoniensis scribit à nobis cōmen
tum esse. Actorem 26. dixit Christus Dominus Pau
lo suo, se ipsum ministrum sibi & testem desumpsisse,
ut aperiret oculos gentium, et conuerteret eos à tene
bris ad lumen, & à potestate satanæ ad Deum, τὸ λα
βῆν, ut accipiant remissionem peccatorum, & sortem
inter sanctificatos. Et Paulus ad Galatas tertio: Ut
accipiamus promissionem spiritus per fidem. Et pro
missum ergo spiritum fide percipimus, indubiè ap
prehendo.

Verbū ap
prehensio
nis ubi tra
ditū sit in
diuinis li
teris.

Ita Ephesijs idem precabatur facultatem spiritus
& fidei καταλάβειν, ad comprehendendum gratiæ
Dei in Christo latitudinem, longitudinem, etc. Idem
Timotheo suo scripsit: Decerta bonum certamen fi
dei, ἐπιλαβῆ: id est, apprehende aternam uitam ad
quam uocatus es. prima ad Timotheum sexto. Hac
uerò apprehensio, qua alia facta est à Timotheo fa
cultate, quàm fide? Nam accedentem ad Deum, &
dona eius ambientem, oportet ante omnia credere
quod Deus sit, & remunerator sit inquirentibus se.

Heb. 11.

Vel ista igitur loca qui piè considerarint, satis co
gnoscent, non nostrum hoc esse commentum, sed do
gma spiritus sancti, quod fidei tribuimus primam ap
prehensionem gratiæ Dei, remissionis peccatorum,
& uitæ aternæ, id est iustificationis nostri.

Jam ad doctrine nō nostræ, sed apostolicæ deprauati
onē, quā Vintoniensis sugillationi suæ, quo ea proba
bilior

bilior uideretur, pramissit. Nō ignorabat nos secutos
 sermonem spiritus sancti, iustificationem nostri di-
 cere, nostri in gratiam Dei receptionem, qua nobis
 Deus propter filium suum & peccata remittit, & ui-
 tam æternam adiudicat, et dignatur habere in filijs et
 hæredibus suis: tamen scribit bonus doctrinæ no-
 stræ interpret, nos facere duas partes iustificationis,
 gratuitam remissionem peccatorum, & gratuitum
 donum uitæ æternæ: ipsamque iustificationem di-
 cere, esse apprehensionem horum duorum dono-
 rum. Et mox ait, nos ponere iustificationem esse fi-
 dem apprehendentem misericordiam Dei: & hanc
 Dei misericordiam duo continere, remissionem pec-
 catorum, & uitam æternam. Itaque interprete Vin-
 toniensi, facimus remissionem peccatorum, & do-
 num uitæ æternæ, partes & iustificationis nostræ, &
 iustificantis nos misericordiae Dei. Si uerò ita liceat
 quæ uelis sugillare, antea interpretando peruerte-
 re, facile uerisimilem effeceris sugillationem. At
 constat omnibus, qui nostra legunt, nos iustifica-
 tionem nostri, non dicere esse fidem misericordiam
 Dei apprehendentem, sed ipsam peccatorum no-
 strorum, factam à misericordia Dei, cōdonationem,
 & uitæ æternæ adiudicationem. Quod non nostrum,
 sed Dei opus esse agnoscimus & prædicamus: nos
 uerò illud fide Euangelij primùm intelligere dici-
 mus, & amplecti. Agnoscimus quoque hoc iustifi-
 cationis nostri opus, ut omnia Dei opera, esse sim-
 plex, nec ullas habere in se quidem partes, quanquā
 à nobis pro nostri intellectus imbecillitate multipar-
 titè intelligatur, consideretur & sentiatur. Hinc ergo
 uide quàm sit Vintoniensis candidus scriptorum no-
 strorum interpret.

*Reijcitur
 deprauatio
 nostræ do-
 ctrinæ ob-
 lata à Vin-
 toniensi.*

*Cuius opus,
 & quale ius-
 tificatio.*

Primū Vintoniēsis argumentum contra id quod dictū iustificatio nem apprehendi fide.

Sed conatur Vintoniensis oppugnare, non solum quod ipse nobis affingit, uerum id etiam quod nos reuera docemus, iustificationem scilicet apprehendi sola fide, id est per argumentis duobus. Quorum primum hoc est: Quod omnibus partibus nostris percipimus, id non debet dici, apprehendi à nobis sola fide. At iustificantem nos Dei misericordiam, hoc est peccatis purgantem, & nouæ uitæ restituentem, percipimus anima & corpore, & cunctis nostris partibus, beneficio scilicet gratiæ in omnes partes nostras diffuso: Non ergo soli fidei partes apprehendendæ iustificationis attribui debent.

Vide uerò pie lector, quale sophisma: duplici enim homonymia uitiosum est. Cum enim nos docemus fide iustificationem apprehendi, de facultate agimus mentis, qua primum iustificationem percipimus. Ille autem obijcit subiecta, in quæ Dei beneficia recipimus, et partes nostræ quæ donorum Dei sunt participes. Ita cum non ignoret, nos per nomen iustificationis intelligere remissionem peccatorum, & nostri in gratiam filiorum Dei receptionem, ipse obijcit de dono inchoatæ in nobis iustitiæ. Quod donum, quanquam iustificans Dei misericordia, iustitiam semper cum ipsa fide, quæ inchoatæ in homine iustitiæ prima pars est, inspiret, tamen in significato uocis iustificationis, usu scripturarum primum est, ut sepe iam diximus, absolutio à peccatis, & nostri in gratiam & sortem filiorum Dei acceptatio.

Hanc uerò Dei erga nos clementiam, charitatem & misericordiam, qua quæso alia facultate, quam fide primum agnoscimus, & apprehendimus: Et fide quidem sola, hoc est, eo tantum quod credimus Deo iustificanti impiū, & assentimur Euangelio eius, quo
hanc

hanc suam nobis clementiam offert. Hic enim Euan- *Probatur,*
 gelij assensus, & hæc fides, qua oblatum Euangelio *fide sola ap-*
 Christi amplectimur, misericordiae D. in nobis pri- *prehēdi mi-*
 mum opus & donum est, quanquam non solum, nec *sericordiā*
 destitutum alijs donis, ut fiducia, spei & charitatis. *Dei iustifi-*
 Hæ autem Spiritus sancti in nobis energiae, fidei a- *cantem.*
 ctum natura consequuntur, non præcedunt. fiducia
 enim, hac ipsa Dei clementia, quam fide apprehendi *Ordo o-*
 mus, confidimus: spe, promissam salutis perfectionē, *perum &*
 ab eadem expectamus: charitate, illa fruimur: dilecti *donorum*
 one proximi, eandem nobis perceptam declaramus. *Dei, quæ*
 Itaq; fide sola, id est, solo euangelij assensu, iustificati- *confert iu-*
 onem nostri, oblatam Euangelio, primum, sicut ag- *stificando.*
 noscimus, ita & complectimur. Assensu inquam illo,
 quem inspirat pater trahēs, quos in hoc sibi delegit,
 ad filium suum.

Sed dicet Vintoniensis: Etiam hanc Dei clemen-
 tiam, qua Deus nobis peccata remittit, nos apprehē-
 dere omnibus nostri partibus, ut qua totus homo fi-
 delis fruatur. nō igitur rectē dici, quod eā sola fides ac-
 cipiat. Ita dicit quidem, sed qua mente: Siquidem ue-
 lit nostra oppugnare. Nos enim non de eo agimus,
 quid misericordiam hanc Dei recipiat, aut in quo re-
 cipiat: sed de eo, quo illa à nobis primum apprehē-
 datur. Amici benevolentiam habes item totus, atq;
 eam nonnunquam multis tui partibus sentis: qua au-
 tem animi facultate eam primū apprehendis & com-
 plecteris? Nonne fide, quam habes amico, suam be-
 neuolentiam tibi pollicenti? Alieni etenim animi af-
 fectio, nec agnoscitur, nec recipitur primū, nisi men-
 te de illa persuasa, uel mentis persuasione.

Quo d uerò dicimus cum sanctis patribus, iustifi-
 cantem nos misericordiam Dei fide sola apprehēdi,

& percipi, satis superq; testati supra sumus, eo nos ni-
 hil aliud, quam quod & S. patres uoluerūt, exprime-
 re uelle, nimirū id ipsum quod Apostolus expressit
 sola, signifi-
 catio, & q.
 hac uoce u-
 timur sicut
 S. patres ea
 usi sunt.

per gratis, ut ad gloriam Christi, & ad confirman-
 dam fidem electis, clarius significemus & exprima-
 mus, Deum nos iustificare nullo nostrae uirtutis aut
 operis merito, sed sola ipsius gratia, & propter uni-
 cum filij sui meritum, id quae simulatque dederit no-
 bis Euangelio suo, quo hanc nobis clementiam su-
 am offert, uerè credere: eandem que clementiam su-
 suam, ita ut Euangelio nobis offertur, fide certa, nul-
 lo ad nostra ulla merita respectu, apprehendere, &
 tenere firmiter, Verum hac de re dictum abundè su-
 præ est.

Duplici itaque *διωκτική*, ut dixi, uitiosum est hoc
 Vintoniensis argumentum. Priorem admisit in par-
 ticula, Quo: alteram in uoce iustificationis. Disputan-
 tibus enim nobis, qua primū animi facultate iusti-
 ficatio à nobis apprehendatur & percipiatur, non
 quo subiecto, aut in quibus percipiatur partibus: Vin-
 toniensis obijcit ea, in quæ, ut subiecta hæc Dei dona
 percipimus. Ita cum nos per iustificationem, dignati
 onē Dei intelligimus, Paulū secuti, qua nobis Deus
 peccata remittit, & nos in filios sibi adoptat: ille de
 dono inchoatē in nobis iustitiæ obijcit, quod tamen
 si unā cum iustificatione, à iustificante Dei misericor-
 dia, iustificatis omnibus infunditur, tamen nō est pri-
 mum iustificationis significatum, iuxta Paulum &
 scripturam, ut est supra ostensum.

Alterum Vin-
 ton. argumen-
 tum cōtra id
 quod dici-
 mus, iustifica-
 tionē appre-
 hendere fide.

Alterum eius argumentum adhuc minus habet
 rationis. Est enim huiusmodi: Impium est sic loqui
 de donis Dei, ut significantur adhuc esse expectan-
 da, &

da, & speranda, quæ iam collata sint, & habeantur. Cum autem dicitur, nos fide apprehendere iustificationem, significatur hac loquendi forma, remissionem peccatorum, & restitutionem nostrî in nouam uitam, expectari adhuc à nobis, non esse iam nobis perceptam. Ait enim, apprehendere fide gratiã Dei, perinde ualere, quasi nondum eam perceperimus, sed adhuc expectemus. Igitur non stulta modo, sed etiam impia est (inquit) hæc loquendi ratio. Minor conatur uerisimilitudinem aliquam adiungere ex dicto ad Hebræos undecimo: Fides est *πίστεως* rerum sperandarum.

Me uerò si Vintoniensis deprehendisset, scripturam Dei sic mutilare & peruertere, quibus in me *Fides etiam index et cõ* conuicijs debacharetur? Non uero uerò adijcit epistola ad Hebræos, in descriptione fidei, *καὶ ἔλεγχος οὐ* est rerum non apparentium? *ἀφανῶν.* Fruitur quidem suo modo homo presentî Dei bene *Habetur,* uolentia & misericordia erga se, & iam habet proprium Deum, habet fortem inter filios Dei: at qua hæc *non expectatur adhuc iustificans Dei misericordia sed habetur sola fide.* facultate tenet, qua apprehendit & percipit ista: Sensibus nec aut mente naturalis? Animalis uerò homo non percipit quæ sunt spiritus Dei. *1. Corinth. 2.* Cum sancti præ alijs hominibus cruce exercentur, & eos sua quoque ipsorum conscientia, graui diuina seueritatis metu concutit, qua quæso tum animi sui, uel corporis facultate percipiunt & tenent iustificationem se clementiam Dei? Nunquid fide euangelij, & promissæ gratiæ sola? Nec charitate certè, nec ullis uirtutibus, afflicta & trepidans conscientia apprehendere Dei misericordiam ualet, sentiens scilicet eas in se uirtutes multo esse inferiores, & infirmiores, quam ut illæ Dei iudicium ferre possint.

Tum

Tum igitur nisi fides verbi Dei succurrat, animus à iudicio Dei formidantis, non Dei misericordiam, sed iram & seueritatem Dei animus apprehendit & sentit.

Vnde D. Bernhardus trepidanti de uoluntate iustificatrice conscientiae, & hæc obijcienti, Quis scit si dignus sit amore an odio? quis nouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit: ita respōdet: Hic iam planè nobis fidē subuenire necesse est: hic oportet succurrere ueritatem, ut quod de nobis latet in corde patris, nobis per ipsius spiritum reueletur, &c.

Bernardus. Hanc, & reliquas D. Bernardi sententias lege, quas suprà ad probandū fidei certitudinem, adduximus. Billickius uolens oppugnare hoc ipsum doctrinæ Christianæ princeps dogma, nos iustificari firma misericordiae Dei apprehensione, obijcit, hæreticos, &

Hæretici et prauis homines, non Dei misericordiam fide, sed falsam eius opinionem apprehendunt per suasionem satanae. alios obstinatè malos, misericordiam Dei propter Christum firmiter apprehendere, tamen ob id non iustificari: non igitur iustificationem in huiusmodi consistere apprehensione misericordiae Dei. Sed obiectionem suam ipse soluit. Fatetur enim, horum apprehensionem esse falsam, & fidem erroneam. Nos autem non de falsa aut erronea fide, sed de uera, atque ex certo uerbo Dei regnante fide in his, loquimur: ut plus satis testati sumus. Hancque obiectionem reieci- mus etiam suprà, in solutione tertij argumenti aduersariorum, contra certitudinē fidei, in qua responsum est, in hæreticis & perditis hominibus non esse fidē, sed obstinatum errorem.

Hæc de fidei apprehensione satis sint. Pergamus nunc ad ea quæ Vintoniensis & contra illud arguta tur, quod dicimus, credentes Christo uitā aeternam iam fide totam tenere, & sola,

COGNITIONE CHRISTI, QVAE FIDE CON-
stat, uitam aeternam uerè haberi, & tamen pro eadem obti-
nenda plenius, semper bonis operibus ela-
borandum esse.

CAuillatur praeterea Vintoniensis de uita aeterna
admodum irreligiosè. Scribit, Dominum dicere, *Sophisma*
Si uis ad uitã ingredi, serua mãdata: Nos uerò, Crede *Vintonien*
tantum, & habes iam uitã aeternã. Cum itaq; nemo la- *sis, Dicitis*
boret pro re aliqua adipiscẽda, quã quis habere se iam *fide haberi*
arbitretur, nos homines hoc nostro dogmate auertere, *uitam eter*
ne studeant ingredi in uitã aeternã seruando præcepta *nam, ergo*
Dei, ne ue ita curraut in stadio, ut percipiãt *Bea. Beov su*
pernae uocationis: ne deniq; progrediant de uirtute in *ecam querẽ*
uirtutẽ, ut uideat Deus in Zion. Et ne tantũ in nostra *dam esse,*
uerba sit calumniator, inuadit etiã uerba ista Domini:
Hęc est aeterna uita, ut cognoscant solũ uerũ Deum, &
quẽ misisti Iesum Christũ. Vintoniensis posuit, Vt cre-
datis: & interpretat hæc, quasi Dominus ideo patris
& sui cognitionẽ uocarit uitã aeternã, quòd ea cogni-
tio uitã aeternã quoquo modo promoueat. Subijcit ue-
rò huius sue interpretationis rationẽ hanc, quod fides
& spes facessant, solaq; charitas maneat, cũ uita eterna
quæ propriae uocet, donabimur. indeq; cõcludit, uitã
aeternam non esse credere, sed diligere & frui Deo.

Vides ne causa nimiũ esse nobis, cur grauemur, &
cõtemur respondere huic calũniatori. cũ enim eũ nihil
cõtemur Domini uerba calũniari, quibus eum respon-
sionibus repellemus ne calumnet nostrã? Ne tamẽ fu- *Quomodo*
mi istorũ sophismatũ cuiq; simpliciorũ nõnihil oculos *uita eter-*
obtenebrent, respondeamus ad hæc semel. Christus *na habetur*
Dominus ipse uitã eternã definiuit esse, uerã uiuamq; *et uiuitur*
cognitionem patris & sui. De hac ergo definitione ne *fide Chri-*
mo dubitabit, nisi sit Christi aduersarius. Quin autem *sti.*

ista patris & filij cognitio habetur hic fide euāgelij, in futuro primū reuelata Dei contemplatione, ipsam quoq; uitam æternam obtinemus hic inchoatā modō, in coelis percepturī perfectam: uita tamē hæc, quæ fide percipitur & tenetur, uita Dei est, æterna & beata, ut cunq; ea adhuc non plenē fruamur & perfectē. Hæc enim quæ fide cōstat cognitio Dei & Christi, uis eius modi est Dei in hominibus, ut qui ea donati sunt, sese ipsi acti spiritu adoptionis, semper attollant ad Deum & patrem suū in Christo Domino, & ad pleniorē eius perfruitionē perpetuō suspiciant, seseq; excitēt & moueant, quisq; pro modo huius cognitionis, quo à Domino fuerit inspirata fide donatus. Vnde Apostolus Paulus, suis tam anxie incremēta orat huius cognitionis. Propterea oro, scribit Philip. ut dilectio uestra magis ac magis abundet in agnitione, & omni sensu, ad hoc ut probetis quæ præstant, &c.

Cognitio
Dei uita
æterna.

Vides ad quæ ualeat sanctis cognitio Dei & Christi solida, sensusq; uerus & certus: uides quæ inde uita excitatur & mouetur. Hinc enim uenit, ut homines ista cognitione uiuificati, in omnibus rebus uera bona & uideant & deligāt: studeantq; esse synceri in omni uita sua, ut toti scilicet uiuāt Deo, nihil sui admiscentes: uiuantq; sine offensione, & propriæ cōscientiæ reprehensione, referti fructibus iustitiæ, id est, omni genere bonorū operū, qui fructus tamen nō nostris uiribus, sed uirtute Christi ferātur ad gloriā & laudē Christi. Hæc itaq; cognitio Dei, & fons uitæ diuinæ, quia cōstat fide, scriptura dicit, iustu fide sua uiuere. & Paulus, uere se fide filij Dei: imō iam nō se, sed Christū in se uiuere. Atqui uita Christi, uita æterna est. Habent igitur omnino uitam æternā, quicunq; Christo credūt, ita ut Dominus ipse claris uerbis testatur: sed habēt eam, ut dixi,

Quid uita
æterna quæ
fide tene-
tur.

dixi, adhuc imperfectā. Caro enim semper cōtra spiritum cōcupiscit: eoq; sit, ut ad perniciē sæpe nos, cū scilicet carnis cupiditatibus cōcedimus, nō ad salutē nostram moueamus, hoc est, in mortē cōtendamus: iuxta illud, τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς δάματ' ἔσται. id est, Sensus carnis mors est. Et, Si secundum carnem uiuetis, moriemini: Si uerò spiritu actiones carnis interfeceritis, uiuetis. Item, Sensus spiritus uita est & pax. Dum itaq; hic uiuimus, & carnem hanc circūferimus, in qua nō inhabitat bonū, sed peccatū, multū sanè superest nobis quod agamus, ut carnē hanc nostram cōficiamus, cum morbis suis & cōcupiscētijs: ut deponamus & exuamus, reiecta priore cōuersatione, ueterem hominem, qui corrumptur erroneis suis cupiditatibus, & renouemur spiritu mentis nostræ, atq; induamus nouū hominem, qui secundū Deum conditus sit, in uera iustitia & syn-
 ceritate, quiq; renouetur semper in cognitionem amplio-
 rem Dei, secundum imaginem eius qui fecit eum. Nam nobis in Christi mēbris, in ipsum, qui caput est, crescere oportet per omnia. His itaq; incumbentes studijs, & hac præceptorum Dei obedientia, penitius indies in uitam Dei ingredimur, pleniusq; eam & percipimus, & uiuimus, imò etiam perficimus. Salus enim nostra & uita æterna eadem est. Philippens. 2. At quia nondum abolito corpore mortis huius, nondum renouato per resurrectionem à corpore nostro, conformiq; facto corpori Christi glorioso, Deus nōdum est in nobis omnia, nec regnū Dei & uitam percipere plenè possumus, semperq; premunt nos peccata, ut necesse habeamus exclamare cum Apostolo: O me miserum hominem, quis liberabit me à corpore mortis huius: In hac igitur miseria dum detinemur, suspicere oportet ad Christum Dominum, & fide, quam

A carne mouemus nos in perniciem.

Rom. 3.

Vnde uitæ æternæ in nobis hic debilitas & imperfectio.

Rom. 7.

Gal. 5.

Ephes. 4.

Coloss. 5.

Quomodo in uita æterna perficiendum.

1. Cor. 29.

Vita aeter-
na quo fide
tenetur. so-
lidius, hoc
queritur
per bona
opera stu-
diosius.

Ioan. 20.
Ephes. 2.
1. Pet. 1.
Clarissima
testimonia
quibus fi-
dei adseri-
tur vita
aeterna.

Ille nobis meruit, unam aeternam in ipso apprehende-
re, ut cum eodem Apostolo etiam illud quod sequitur
dicere valeamus: Gratias ago per Iesum Christum Do-
minum nostrum, alioqui sane desperantes de salute no-
stra, Deum nec amare, nec colere possemus. Etenim
quo vitam aeternam donatam nobis in Christo, fide tenue-
rimus solidiore, hoc magis haec ipsa fides sollicitos red-
dit, ut obliti eorum quae a tergo sunt: hoc est, pro nihilo
ducetes, quicquid adhuc iustitiae assecuti sumus, enita-
mur ad ea quae a fronte sunt, quae nondum assecuti su-
mus, donec Christum Dominum ita comprehendamus, ut
sumus ab ipso comprehensi. Quo enim certius immensam
illam Dei in nos charitatem tenemus, hoc magis anxie &
offendere eum cauemus, & gratificari ei studemus. Re-
gignit enim hominem haec fides indies perfectius, pro ut
ipsa proficit: & operatur per dilectionem, opera & fru-
ctus spiritus, semper perfectius atque uberius. Et haec
certe de causa, sicut Christus ipse, ita etiam spiritus S. per
omnes suos & prophetas & apostolos cognitionem
Dei, quae per fidem habetur, tanto opere commendat, vitamque
aeternam ei plenissimo ore ubique addicit, & finem facit om-
nis scripturae & doctrinae Dei, unde & per Euangeli-
stam: Haec scripta sunt, ut credatis Iesum esse Christum,
illum filium Dei, & ut credentes habeatis vitam aeternam.
Et rursus per Apostolum: Nos qui Christo credimus,
Deus cum Christo uiuificauit (gratia enim estis seruati),
& unam excitauit, & in caelestibus collocauit in Christo
Iesu. Gratia seruati estis per fidem. Et rursus: Benedi-
ctus Deus, & pater Domini nostri Iesu Christi, qui se-
cundum multam misericordiam suam regenuit nos, in
spem uitam, per resurrectionem Iesu Christi a mortuis, in
haereditatem incorruptibilem, immaculatam, serua-
tam in caelis, in nos, qui uirtute Dei custodimur per fi-
dem.

dem in salutem, paratam ut reueletur in extremo tempore. Ecce spiritus sanctus ipse pronunciat, nos, qui credimus, esse iam seruatos, cum Christo uiuificatos, à mortuis excitatos, & in cœlestibus collocatos, esse in sp̄e uiuam, in hereditatē incorruptibilem, id est, uitam æternam regenitos, idēq; ex misericordia Dei, & per resurrectionem Domini nostri Iesu Christi. Et hanc seruari nobis in cœlis in nos, qui uirtute Dei custodimur in salutem per fidem. Et per alterum Apostolum: Hęc ^{1 Ioan. 5.} scribo uobis, credentibus in nomen filij Dei, ut sciatis quod uitam habeatis æternam. Sed quid opus multis? Omne euangelium Christi, & uniuersa scriptura Dei hoc prædicat, Vitam æternā habere omnes qui Christum habent: Christum autem qui non habent, nec fidem habent. Hoc, inquit Ioannes, testimonium Dei est, id est euangelion, quod uitam æternam dedit nobis Deus, Et ipsa uita in filio eius est. Habēs filiū Dei, uitam habet: non habens filium Dei, uitam nō habet.

Hęc ergo, cum illa prædicauit Christus, cum spiritus sanctus in Apostolis suis, si non solum neminem reddiderunt in peccatis securū, sed maxime extimularunt ad omnem cautionem cōtra peccatum, & inflammarunt ad omne studium bonorum operū, neq; modo cum & per nos prædicatur, Christum & Apostolos in eo sequentes, securitatē peccandī ullam hominibus adferent, sed excitabunt potius in eis atq; acuent uerū atq; salutarem Dei cum metum, tum amorem, & sollicitudinem se ei approbandi summam. Neq; enim taceamus, Christum Dominum requirere obedientiā præceptorum suorum, & redditurum cuiq; secundū opera sua, & uitam æternam perfectam ijs qui gloriā & honorem quærunt, hoc est, incumbunt ijs operibus quæ apud Deum gloriosa & honesta sunt. Et hanc etiam

2. Cor. 6.
Philip. 3.

Explican-
tur hæc lo-
ca, Qui
perseuera-
uerit usque
in finē, sal-
uus erit, &
reddetur
corona iu-
stitiæ.

Vita eter-
na datur
euangelio
& sacra-
mentis.

oportere nos, ceu cooperantes Domino, per bona opē-
ra perficere, cum timore & tremore. Qui uerò Christo
credit, is omnibus uerbis eius credit, nō minus minis
quā promissis. Vigilabit igitur, quisquis Christo et
euangelio uerē crediderit: & orabit atq; sataget dies &
noctes, nō solum ne à percepta gratia uspiam excidat,
sed etiā ne unquam eam in uanū receperit. Seruiet Do-
mino & seruatori suo toto corde, tota anima, cunctis
uiribus: oblitusq; semper omnium quæ iam de iustitia
& uita æterna est assecutus, enitetur ad ea quæ deesse
sibi agnouerit, donec creuerit ad Christū caput suum
per omnia. Cum ergo Vintoniensis rogat, quam
uim habeat ea sententiā, Qui perseuerauerit in finem,
saluus erit, si in ipso lumine credulitatis reddimur con-
tinuō salui? Et cur Paulus dicat, coronam iustitiæ in
die illo reddendam, si iam collata sit statim ut quis cre-
didit? Audiatur spiritum sanctum ipsum responden-
tem per eundem Paulum: Gratia salui facti estis per
fidem. item, Spe salui facti sumus. Ut autem ea ipsa sa-
lus in nobis re ipsa quoque perficiatur, in uia Domi-
ni & officijs pietatis perseuerandum esse usque ad fi-
nem, sicut etiam in fide & spe, qua salutem & uitam
in initio percepimus atq; tenemus, cum totam repositam
in cœlis, tum etiam ex parte inchoatā in nobis, & tum
demum id quod inchoatā in nobis iustitiæ nostra cul-
pa deest & condonabitur, & perficietur: sed id nō pro-
pter opera nostra, sed ex ultronea misericordia Dei, &
propter Christi perfectam iustitiam. hæc corona pro-
missa militiæ non datur ante militiā, nec *βραβειον* pro-
positum certamini ante certamen, nec triumphus de-
cretus uictoriæ ante uictoriam.

Ipsa tamen uita æterna tota donatur baptisate, &
euangelio, atque tenetur à credentibus, mox atq; fide
uera

vera euangelio fuerint assensi. Ex quo planum est, uitam æternam percipere & habere omnes sanctos, ex omnino gratuita Dei misericordia, & merito Christi, etiam antequam quicquam ipsi uel militarint, uel certarint, uel uicerint. At, quia omnes in Christo renati, si eis detur adulescere, in fide uiuunt filij Dei, imò filius Dei uiuis in illis, nō possunt sanè nō semper dum hic uiuunt, militare, & certare contra peccatum, mortē, & diabolum: ac etiā uincere, sed Christi, non sua uirtute.

Vita æterna donatur ante militiam, & militiam excipiat, ut percipiatur plenè.

Perpicuum igitur est ex his cuiq; Christiano, primum: Populum Christi diligenter esse docendū, & in eo confirmandum, ut uitam æternā apprehendat fide in Christo: eamq; donatam sibi, simulatq; Christo uerè crediderit, ne dubitet. Deinde, hanc ipsam Christi cognitionem, quæ fide euangelij constat, esse uitam æternam, in nobis inchoatam. Tum, hac sola doctrina excitari & cōseruari posse in hominibus studium omnis iustitiæ & pietatis. Deniq; nihil quàm animi odio nostri peruersi, calumnias esse, quæ Vintoniēsis obiecit: siue cōtra id quod dicimus, uitam æternā apprehendi fide, cōstare eam Christi cognitione, quæ fide habetur: siue contra id, quod confirmamus, uitam æternam quanquam perpetuò bonorum operum studio nobis quærenda sit, totam tamen haberi fide, ab omnibus euangelio Christi solide credentibus.

Conclusio.

Satis hinc quoq; patet, quàm sine causa Billickius in sua expensione & reprehensione nostri tertij Axiomatis dixerit, Scripturam hoc non dicere, quod docemus hominem eo solo iustificari fide, quod fide apprehendat misericordiā Dei, peccata gratuita remittentis, propter filium suum, in ipso Christo, &c.

Supere est autem adhuc una Vintoniensis cauillatio, contra id quod dicimus, fide nos iustificari, quatenus

ea Dei misericordiam in Christo apprehenderit, non quatenus adiunctam sibi habet charitatem.

DEFENDITVR ORATIO ARTICVLI CONCILII Ratisbonæ, in Colloquio anni XLI. Iustificare nos fide, quatenus illa apprehenderit misericordiam Dei in Christo, & non quatenus habet charitatem sibi adiunctam.

Reprehendit Vintoniensis admodum acerbè, quod dicimus fide nos iustificari, non quatenus illa charitatem sibi habet adiunctam, sed quatenus misericordiam Dei apprehendit in Christo.

Primum enim ait, nos hoc dogmate charitatem ociosam facere, eo quod nullas illi partes tribuimus in iustificatione. Deinde conatur, si sophistis placet, demonstrare, nos nobis ipsis contradicere, & quæ affirmamus ipsos euertere, cum dicimus fidei quidam charitatem deesse non posse, non iustificari tamen nos fide, quatenus habet charitatem sibi coherentem.

Quod uerò ait, nos charitatem facere ociosam, & uacantem in uitæ functionibus, luculenta calumnia est. Dicimus enim, fidem operari per charitatem. Et charitati adscribimus, cuncta nouæ uitæ officia, huiusmodi esse affirmamus ex dicto Domini, Qui diligit me, sermonem meum seruat: seruare, quæ Deus præcepit omnia, legemque Dei uniuersam implere: id est, diligere proximum, fieri, facere, & pati omnia omnibus in bonum, & ad ædificationem.

Quare charitati nullæ tribuuntur partes in iustificando.

Quod autem nullas charitati partes in iustificatione peccatorum, & gratia Dei, huius causa abundè supra exposita est. Certum enim est, quod remissio peccatorum donatur nobis gratis, ex ultronea Dei misericordia, cum adhuc inimici sumus Deo, priusquam diligere Deum ualeamus.

Quam ne-
gotiosa sit
apud nos
charitas.

Gal. 5.

Ioan. 14.

Rom. 13.

Gal. 5.

Rom. 15.

leamus. Prior enim ipse diligit nos, suāq; dilectionē
 & euangelio ultro offert, & donat per spiritum fidei,
 apprehendere fide: indeq; efficit, ut se quoq; redame-
 mus. Itaque dilectio Dei & proximi, tum demum in
 homine existit, agitq; cum homo iam credit Deum
 sibi esse propitium, atque eo est iustificatus. Proinde
 Dominus ipse optimus prædicandi hæc sua dona ma-
 gister, dicere solet, Fides tua te saluum fecit: qua scili-
 cet salutem à me tibi gratis oblatam, credēdo recepi.
 si. nusquam aut, dilectio te saluum fecit. Sed diligere
 multum eos, quibus credentibus multa peccata re-
 missa sunt: credentibus, ut legimus de peccatrice mu-
 liere, & in parabola de duobus creditoribus. Luca 7.

*Dominus:
 Fides tua, non
 dilectio tua, te
 saluum fecit.*

Nunc uideamus, quomodo ostendat Vintonien-
 sis, nos nobiscum pugnare, cum dicimus, fidem qui-
 dem sine charitate esse non posse: & tamen nos iusti-
 ficari fide, non quatenus charitatem nostram in De-
 um habet sibi coherentem, sed quatenus charitatem
 apprehendit Dei erga nos.

*An pugnent
 hæc, charitas
 iustificanti fi-
 dei nunquam de-
 est. & fides iu-
 stificat tantū,
 non quatenus
 charitatē sibi
 habet adiunctā.*

Ponitis, inquit, fidem iustificare apprehen-
 dendo: Apprehendere autem fidem, nisi charita-
 te comite, non posse: Efficitur ergo, uos dicere, fi-
 dem iustificare, quatenus habeat charitatem comi-
 tem: quæ, quatenus, abesset charitas, non iustifi-
 caret. Contradicitis igitur uobis ipsis, in eo quod
 negatis, fidem iustificare quatenus comitem habet
 charitatem.

*Sophisma Vin-
 toniensis.*

Ita uerò si liceat Vintoniensi uerba nostra pro sua
 libidine pervertere, posset forsan ex eis aliquid con-
 tra nos probare. Dicimus quidem nos per fidem iu-
 stificari, quatenus fide misericordiam Dei, nos propi-
 ter filium suum iustificantis, apprehendimus. Dici-
 mus etiam, fidem hanc sine charitate esse non posse.

*Ex nō datis lē-
 matis cōcludit
 Vintoniensis.*

At fidem hanc, misericordiam Dei, nisi charitate comite apprehendere non posse: istud uerò Vintonien-
 sis dicit, nos non dicimus. Videremur enim eo dice-
 re, charitatem aliquid fidei conferre, ad id, ut ea mi-
 sericordiam Dei apprehendat: quod fieri nō potest,
 cum ex fide iustificante charitas proueniat. Multo
 minus autem dicimus, fidem percipere iustificatio-
 nem, quatenus habeat charitatem comitem: quod in-
 tem dictum Vintonien-
 sis nobis falso attribuit. Affir-
 mamus enim nos fidē, id, ut iustificationem appre-
 hendat, habere non à charitate, sed ex eo quod fides
 est huiusmodi spiritus sancti in nobis opus & donū,
 quo euangelio assentimur.

Omnes sanè dialectici, ista loquendi forma, A est
 B, uel efficit, aut percipit B, quatenus est, uel habet
 C, significari intelligūt, C oportere id esse, quo B per-
 se, & primo B, insit A, uel efficiatur, aut percipiatur ab
 A. Inde rectè dicimus, homo intelligit, nō quatenus
 animal est, sed quatenus homo est, uel quatenus ratio-
 nē habet: & tamē omnis homo necessariò animal est.

Non tamen inficiamur, posse materiam uerbo-
 rum eiusmodi esse, ut ueræ sint hæ ambæ: Sine A, B
 non est, & A est B, aut habet B, quatenus est, uel ha-
 bet C, ut, Petrus non potest homo esse sine anima ra-
 tionali: & Petrus homo est, quatenus habet animam
 rationalem. Sed inter has duas orationes nulla est
 consecutio, non infertur posterior ex priore. In isto
 enim pronunciato, Petrus non potest esse homo si-
 ne anima rationali, nulla continet causa, cur illa uera
 sit, Petrus homo est, quatenus animā habet rationalem.

Rectè igitur & uera dialectica ratione reieci-
 mus istam consecutionem, & adhuc reijcimus, Fides non
 potest esse sine charitate, ergo fides iustificat quate-
 nus

nus habet charitatem, uel Charitas iustificat hominem unâ cū fide. Nulla enim est in hac oratione consecutio, nec formæ, nec materiæ causa.

Sicut nec ista cōsecutio ulla esset: Intellectio rei expetendæ, uel fugiendæ, esse non potest, quin uoluntatē ad expetitionē, uel fugam eiusdem rei moueat: *Exemplum.* Ergo intellectus rem expetendam eiusmodi, aut fugiendam non intelligit, nisi quatenus uolūtatē ad expetitionem, uel fugam eius rei mouet, & proinde intelligit rem illam expetendam uel fugiendam etiam uoluntas expetens, uel fugiens, unâ cū intellectu. Intellectus enim intelligit, quatenus intellectus est, nō quatenus coniunctum habet motum uoluntatis, aut ut mouet uolūtatē ad expetitionem uel fugam rerum intellectarum.

Sic fides apprehendit misericordiam Dei in Christo oblatam per Euangelion, quatenus fides est, tale scilicet donum spiritus sancti, quo Euangelio uerē assentimur, non quatenus habet uoluntatem coniunctam, ac mouet eam ad amandum Christum, quem Deum & seruatorem suum esse ipsa agnoscit, assentiendo euangelio.

Aliàs ad confutandum istam falsam consecutionem, charitas ad salutem necessaria est, & fidei abesse nō potest, igitur ea quoq; iustificamur: usus sum similitudine de sanguine, neruis & ossibus, quæ quantū ad uiuendū necessaria sunt, tamen nec ipsa uita sunt, nec id quo primū uiuimus. *Prior consuetatio.* Usitata enim, & uerē dialectica est non probæ consecutionis refutatio, cum ostenditur, eam non in quauis materia ualere, simili concludendī forma seruata. Vintoniensis autem criminatur me conatum hac similitudine ueritati lucem eripere, & ueræ doctrinæ uitam.

Attamen confutationem hanc meam refutare non potuit. Adhuc igitur nunc aliud, ut ipsi uideatur, argumentum: sed est reuera idem cum priore, hac ipsa nostra similitudine confutato, atque idcirco & ipsum iam repulsum est.

An charitas uiuificet in iustificatione. Nullam, inquit, esse sine charitate uitam, pronunciat scriptura: & illa si affuerit, non posse uitam abesse. quod de sanguine & uenis non item predicatur: atque hinc uult concludere, esse charitatis partes, ut uiuificet in iustificatione. Hoc uero tam sequitur ex illo sumpto, quod uita Dei nec desit habenti charitatem, nec adsit non habenti: quam sequitur, uitam homini respiratione conferri, propterea quod nec uiuere homo possit qui non respiret, nec non uiuere qui respiret. Ita omnis quidem uiuens in Christo, & iustificatus, habet charitatem: & quicumque charitatem habet, is uiuit in Deo, & est iustificatus. In iustificatione tamen uitae, nulla in nobis existens uirtus uiuificat, sed sola gratia Dei, & uita Christi, quae omnem in nobis, ut adhuc impijs, uirtutem, & praeuenit, & efficit. Atque haec uiuificatio & uita, fide primùm percipitur, non dilectione, quia percipitur cum inimici adhuc dei sumus, & peccatis mortui, alieni ut à uita Dei, ita & à charitate. Quinetiam cum iam est inspirata charitas, & partem uitae nouae praecipuam complet, tamen quia in hac uita legi Dei non satisfacit, sicut nec fides, nec spes, aut ulla nostra uirtus: relinquit nihilominus illa, & tota inhærens nobis iusticia, nos, quod quidem ad ipsam attinet, sub maledictione legis, & condemnatione mortis aeternae, nisi succurreret nobis uita & iustitia Christi, apprehensa fide. Inde dicit cum Apostolo, omnis sanctus: Quod

Ro. 5. Eph. 2.
Charitas nõ uiuificat: nec in iustificatione, nec postea.

Quod nunc uiuo in carne, in fide uiuo filij Dei, qui Gal. 2.
 dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. Hoc est, in *sācti nulla su*
 de uiuo, & spem uitæ æternæ in me perficiendæ fo- *iusticia, sed fide*
 ueo, quia credo Christum esse uitam meam, & uitam *uiuūt filij Dei.*
 æternam cū meruisse mihi sua morte, tum oblig-
 nasse per spiritum suum, & sacramenta. Sed hac de re
 dictum copiosè est suprā in responsione 2. & 3. Repli-
 cæ aduersariorum in colloquio familiari obiectæ. Et
 præcipuè in tractatu de duplici iustitia.

Sed Vintoniensis, quanquam sciat nos, cum de
 iustificatione uitæ loquimur, uoce hac uti apostolica
 significatione, pro remissione peccatorum, & additū *in uerbo iustifica*
 one hæreditatis uitæ æternæ: tamen eam uocē semper *tio.*
 pro collatione iustitiæ inhærentis, quæ est in itū uite
 æternæ in nobis, usurpat. Quanquam charitas neq;
 in hac iustificatione, id est, inhærentis iustitiæ infusio
 ne, uiuificat, sed à uiuificante spiritu Christi ut pars ui-
 tæ huius, cum alijs uirtutibus inspiratur, & infundi-
 tur. Hæc ergo nostra qui non impio nostri actus o-
 dio uelit deprauare, sed diuinis scripturis religiose
 conferre, agnoscet esse omnia pie & intelligenter di-
 cta, diuinæq; scripturæ per omnia consentanea, nec
 quicquam in illis secum pugnare, aut ulli peccandi se-
 curitati uel neglectui bonorum operum præbere oc-
 casionem: quæ crimina Vintoniensis nostræ doctri-
 næ impingit, nulla autem unquā ratione ea compro-
 baturus. De loco illo, id est Ioan. 4. In Deo manet, qui
 in charitate manet: dictum suprā est. Sicut etiam de lo-
 co Iacobi, affirmantis nos etiam operibus iustificari.
 Quod scribit Vintoniensis, nos charitatem ferre non
 posse, & laudare eam, ut Epicurei laudare soliti fue-
 rint uirtutem, norunt insani contra nos odij calumni-
 am esse, quicunq; & scripta nostra legerunt, & uitam
 nostram

Apertum Vintoniensis mendacium. nostram habent perspectam. Ita & illa luculentæ calumniæ sunt, me compositione Articuli de iustificatione Ratisponæ compositi, Philippi ingenio simplici imposuisse, Lutherum in me commouisse, & Vuittenbergæ affirmatum esse aliquid, quod sit huic articulo contrarium.

QVAE IN DOCTRINA VINTONIENSIS DE
iustificatione, cum Evangelio Christi sunt con-
sentanea, quæ secus.

Scribit Deum ipsum, quos uocat, iustificare: iustificandos uerò præuenire suis donis, ut & illuminet intellectum, & immutet affectum: porro autem dignos per suam gratiam ijs donis effectos, communicata deinde nobis in sacramentis suis Christi iustitia, ita nos iustificare, ut quod nostræ iustitiæ desit, id semper Christi iustitia, salutis nostræ authoris, suppleatur. Hæc ille.

In his catholica & orthodoxa hæc sunt, nos Deum iustificare, & iustificare nos præueniendo donis suis, ut illuminet intellectum, & immutet affectum.

Catholicum autem & orthodoxum nõ est, quod scribit, Deum dignos nos efficere per gratiam ijs donis suis, quibus nos iustificandos præuenit, & illuminando intellectum, & immutando affectum: ac tum demum iustificare, communicata in sacramentis suis iustitia Christi. Antequam enim iustificati sumus, pii & inimici Dei sumus, digni qui à Deo condemnemur, non iustificemur. Nec potest solidè esse uel intellectus noster illuminatus, uel affectus ad Deum mutatus, nisi fide Christi iustificatrice inspirata: quam quicumque habet, uitam æternam habet, ut Dominus ipse pronunciauit, & est iam iustificatus,

ficatus. Solet quidē Deus ijs quos nō subito, sed per
 tempus aliquod ad se commouet, & trahit, etiam pri-
 usquam fidem eis iustificatricem planē inspiret, irra-
 diare nonnihil luce ueritatis suae, & excitare ad se af-
 fectum illorum, uti in D. Augustini exemplo, quod
 supra proposui, uidere est: uerū, dum non datur
 his, ut se solida fide ad Christū conuertant, quicquid
 eis lucis huiusmodi infunditur, aut affectus in Deum
 excitatur, manent tamen, quod ad ipsos attinet, in
 morte, impij & inimici Dei: nondum enim credunt
 in unigenitum Dei, ut per eum in gratiam filiorum
 Dei restituti uitam aeternam acciperent. Id quod de
 se & D. Augustinus praecclare est cōfessus. Nondum
 igitur hi digni facti sunt, nisi ut condemnentur, non
 ut iustificentur. Haec supra euidenter demonstraui-
 mus in tractatu De operibus iustificationem praee-
 dentibus, & ad eam, ut aduersarij uolunt, preparan-
 tibus. Et maximē in excussione conuersionis diuī
 Augustini.

Rursus uerō catholicū & orthodoxum est, quod *Communicari*
 scribit, Deum nos, communicata in sacramentis iur- *nobis iustitiam*
 stitia Christi, ita iustificare, ut quod nostrae iustitiae de- *Christi, et de ea*
 sit, id semper iustitia Christi salutis nostrae autoris, *id quod nostrae*
 suppleatur: si tamen haec sanē intelligantur, tum sci- *deest suppleri,*
 licet nos uerē iustificari, hoc est in gratiam Dei reci- *agnouit &*
 pi, & uita aeterna donari, cum Christi nobis iusti- *Vintoniensis.*
 tia ita communicatur, ut eam fide solida apprehenda-
 mus & amplectamur, oblatam non sacramentis tan-
 tum, sed etiam, & prius Euangelio.

Vintoniensis autē, siquidē sibi constat, intelligit *Non apostoli-*
 applicata nobis in sacramētis Christi iustitia, ita iusti *cus intellectus*
 ficari nos, ut inchoata in nobis iustitia donemur. *Vintoniensis.*
 Quod ipsum quoque uerū est, sed haec non est iustifica-
 tio ui-

to uite, qua uita nobis eterna donatur, & cōstat, &c.

In eo autem uide etiam illud pie lector, Vintoniensem, qualis qualis sit in Christi doctrinā, tamen duplicem sanctorum iustitiam agnoscere, et Christi illis communicatam, & propriā in ipsis inchoatam. Item Vintoniensis duplicem agnoscat fateri, nostrā iustitiā deesse, quod de Christi iustitia scit iustitiā, & sit supplendum. Eadem etiam Pighius agnouit, quā nostram Christi iustitiā pergnarit. Dum igitur hęc Billickius impugnat, certe etiam hos suos, alioquin socios, oppugnat. Et hinc erique cognoscendum, quod inter eos qui contra doctrinam de iustificatione nostram tantis conatibus dimicant, inter se non consentire: et nec eos quidem, qui tamen sese inuicem ut catholicos complectuntur.

Quod uerō Vintoniensis ea quæ attulimus de fide comitata charitate, & charitate in nobis genita, de quibus fide apprehēdente iustificationem, esse nostra comēta, de quibus pietas ueterū ne somnariēt quidem, religionemq; nos ab his nobis simplicissimā per manus traditā sophismatis & cauillis euertere conatos esse, &c. Itē quæ nobis toties obijcit, de ociosa apud nos charitate, cui tamen totius uitæ ex sententiā Christi degendæ curam & negotia demandamus: hæc nihil quam manifestæ calumniæ, & insani odio nostri conuicia sunt, de quibus petimus ut iudicent, quotquot Christi sunt, perlectis his nostris responsis: & quæ de iustificatione fidei & operum scripsi in libro, quem ante quinquenium edidi, sub titulo De uera Ecclesiæ rum in doctrina ceremonijs & disciplina re-

conciliatione, & compositione.

AN RECTE DICATUR A NOBIS, CREDEN-
tibus imputari iusticiam Christi, & pec-
catorum non imputari?

SVperest iam tertia quæstio, de imputatione iusti-
tiæ Christi, & nõ imputatione peccati, quam qui-
dem & ipsam Billickius in aliud tēpus reiecit tractā. Vide pag. 131.
dam, tamen attigit eam paucis, ut videre licet in initio
actionis eius quam habuit 15. Februarij.

Non leuis, inquit, error est, quo putatis Deum ho-
mini imputare quod non habet, scilicet Christi iusti-
tiam: peccatum verò quod habet, nõ imputare. cum
diuina scriptura testetur, iudiciũ Dei esse secundũ ue-
ritatem. Item in Psal. 119. Iustus es Domine, & omnes
uix tuæ ueritas. Hæc ille.

Ad hæc respondimus supra, ad tertium Maluen-
dæ dictum, quod cum nostra cõfessione diximus pu-
gnare. Vide pag. 87. Item in responsionibus ad repli-
cam septimam & octauam, obiectam in colloquio fa-
miliari: distuli tamen quædã in hunc locum, & nomi-
natim hoc ipsum de ueritate iudicij diuini, qua De-
us personam non respicit, sed reddit cuiq; secundum
facta sua. Actorum 10. & Rom. 2. Quæ igitur supra in
notatis locis hac de re præmissi, ea pie lector probe ue-
lim expendas, præsertim ea quæ ex 4. ad Rom. addu-
ximus: tum illud quoq; quod declarauì, sanctos Chri-
sti iustitiã habere fide, dum Christũ fide complectun-
tur: etiamsi in seipsis pertenuè modò habeant iustitię
initiũ: & peccatum quanquam habeant re ipsa, uolun-
tate tamen non habere. His enim perpensis, satis erit
hoc loco pauca subijcere ex diuinis literis, & san-
ctis Patribus, de eo, Quomodo nihilominus uerum
sit Dei iudiciũ in sanctos, & quomodo ipsis quoq;
reddat Deus secundum facta sua.

Deus reddit
cuiq; secundũ
facta sua, et ser-
uat tamen cre-
dentes, propter
nõ ipsorũ, sed
Christi iusti-
tiam.

*Nihil iustum,
quàm quod De
us decreuit.*

*Genera pecca
torum quatuor
remissibilia, ut
uitiata natura
subpullulantes
ex hac praua
cogitationes et
cupiditates,
prauè cõmissa
ab inductis er
rore et infirmi
tate lapsis, sci
enter et ex pro
posito admissa.*

*Peccata alia de
lentur, alia te
guntur.*

Iam illud sanè esse iudicium uerum, nemo negat, quo cuique id redditur, quod debetur. Nemini uerò potest aliud deberi, quàm quod cuique decreuerit Deus: cuius scilicet uoluntas est actionum & suarum & omnium creaturarum regula summa. Solus enim bonus est. Iam hic decreuit cunctis sibi, filioq; suo creditibus, dare propter eundem filium suum, remissionem omnium peccatorum, quæcunque admiserint, & delere ea è memoria sua, quoties ueniam eorum fide uiua ab ipso orauerint: & peccatum illud quod in carne eorum inhabitat, & ex se perpetuò prauas & impias cogitationes & cupitates offundit, eis non imputare, sed per iustitiam filij sui tegere. Nullo itaque iure potest Deus sanctis ulla imputare peccata, nec ea quæ eis inhaerent à uitiosa origine: nec quæ in eis ex hac noxia radice semper subpullulant, ipsis inuitis: nec etiam quæ uolentes admiserint, erroribus & cupiditatibus carnis transuersum astitit. Iustum ergo iudicium facit Deus, dum his præstat, quod eis sua iustissima electione ab æterno decreuit, in filio suo promisit, inq; sacramentis suis ob signauit. Ut scilicet peccata eis, quæcunque commiserint, ita condonet, deleatq; in conspectu suo, ut eorum nunquam recordetur: & quæ sordes reliquæ sunt ab origine uitiosa, ita iustitia filij sui obtegat, ut nihil eis afferant damnationis.

Sed mens carnis nostræ, ausa de abyssu iustitiæ diuinæ ex sua iniquitate statuere, reclamatione hic, ac dicit, Ut iustum sit, Deum reddere credentibus, quæ illis promisit, quomodo id æquum dicemus, cum homines omnes equè increduli & inimici Dei nati sint, & Deus alios sinit in sua incredulitate perire, qui se ab ea sine eius ope recipere non possunt: alios uerò facit credulos

credulos, & seruat inspirata fide Euāgelij sui, idēq; nullo omnino meritorum in eis respectu, ne futurorum quidem.

Quomodo iustum hoc sit Dei iudicium inscrutabile, si iniusta & caeca nostra ratio uidere non possit, mirum non est, postquam ex tenebris suae iustitiae, de luce incomprehensibili iustitiae diuinae iudicare praesumit. Nec enim quantum caelum a terra, sed infinito interuallo superant rationes iudiciorum Dei, rationes iudiciorum nostrorum. Omnis itaque in iudicia Dei inquirens cogitatio, eo statim reprimenda est, quo spiritus sanctus per Paulum impiam istam audaciam repressit, ut nimirum quisque sibi ipse respondeat, mox atque talis subierit de iudicij Dei tentatio: Nūquid iniustus est Deus? Est ne iniquitas apud Deum? Inscrutabilia sunt iudicia Dei. Quis prior illi dedit, &c. ad Romanos 3. 9. 11. Deus nemini quicquam debere potest, quam id solū, quod cuique ipse decreuit, & addixit. Decreuit autem mortem omnibus sempiternam, quos ex Adae perditione, per filium suum non redemerit: uitam uerò aeternam ijs, quos seruandos filio donauit. Iustum igitur iudicium iudicat utrisque, dum illos abijcit in gehennam, hos transfert in caelum. & iniquum iudicium faceret, si secus iudicaret: in eoq; nullam respicit personam, sed suam tantum iustissimam misericordiam, & misericordissimam iustitiam, filijq; sui amplissimum meritum.

His uerò rursus obijcit caeca & superba ratio: Deus igitur nō iudicat homines secundū ipsorū opera, sed pro sua ipsius uolūtate, qua quos ipsi uidetur emollit ad poenitentiā, q̄s uult indurat ad obstinationē in peccatis, pro sua omnino uolūtate. Facit enim quaecunq;

Quid omni
inquisitioni
Dei responden
dum.

Quid homines uult in cœlo & in terra, id quæ iure suo optimo, cum e iudicare secundum meritum. ius uoluntas sit ipsa iustitia. Sed ideo non etiam re- pendit omnibus hominibus, secundum facta ipso- rum. Aliud enim est retribuere hominibus secundum merita factorum, aliud simpliciter secundum facta. Pro- ut enim hominum opera fuerint bona uel mala, præ- mia illis Deus uel supplicia rependit: sed sicut suppli- cia impijs pro ipsorum meritis, ita præmia pijs non pro meritis ipsorum, sed pro sua ipsius liberali boni- tate, & meritis filij sui. nã rependit his, quæ bonitate eorum probè facta infinitò superant, æterna scilicet pro temporarijs. Tamen quoniam ijs qui studuerunt bene facere, rependit bona præmia, & præsentia & fu- tura: & ijs qui dediti fuerint malis operibus, infligit pœnas præsentis, & futuras: rectè dicitur reddere cui que secundum sua opera.

Quomodo la- troni iusto Dei iudicio secundum, non autè propter eius bona opera, pa- radisus adiudi- cata fuerit.

Iudicat enim Deus unumquenque prout iudicij sui tempore deprehenderit. Exempli gratia. Latro in cruce Christum confessus, antea factorum peccatorum omniũ abolitionem acceperat à Domino, simulatq; ei credidisset. Cum igitur in eo credente, iam nõ nisi opera bona deprehenderentur, ut confessio peccato- rum suorum, admonitio & correctio proximi, repre- hensio conuicij iacti in Christum, confessio innocen- tiæ Christi, & inuocatio misericordiæ eius: secundum hæc sua uerè bona opera, sententiã hanc accepit, Ho- die mecũ eris in paradiso. Quæ merces quidè operũ fuit infinitò præstantior bonitate, cunctis non modò his latronis, sed omnib. omniũ sanctorũ bonis operi- bus. Tamen illi secundum uerè eius bona opera retri- buta fuit. Tũ enim cũ iudicãdus esset, nulla iam in eo mala opera, abolitis scilicet per gratiã Dei, & meritũ Christi peccatis illius præteritis omnib. sed tantũ bo- na opera

na opa illa, quæ iam cōmemorauimus, reperiebātur, fructus fidei, qua ea erat iustificatus. Iudiciū itaq; huic latroni factum, secundum ueritatem fuit, nec est uilius personæ in eo habita ratio, quod uel iudæus esset, uel ethnicus, circūcisus uel incircumcisus, diues uel pauper, uel ulla alia conditione insignis: sed prout repertus est in bonis operibus, ita bona ei reposita merces est. Eaq; ipsi debita, optimo & summo iure, non quidem ex eius operum merito & dignitate, sed ex iustissima Dei misericordia, qua hæc illi merces decreta & addicta fuit ante conditum mūdum: & ex amplissimo Christi merito, qua ad hanc æternæ uitæ hæreditatem redemptus & restitutus erat. Denique etiam ex eius iustissima promissione, quam ei & fecerat, & amplecti fide dederat.

Contra quod triplex ius, æternæ electionis, tam *Triples ius ad* preciose redemptionis, & diuinæ promissionis, manifestata illi facta fuisset iniuria, quālibet impiè & per- *eūdi uitā æternā habēt Christi uerè credentes: Electionis, redemptionis, & promissionis.* nitè uitam propè omnem transegisset, nisi ei Deus secundum eius qualiacunq; & quamlibet breuis temporis bona opera, participatum, uitam scilicet cum filio suo beatam adiudicasset hæreditatis supernæ.

In his mysterijs Dei cognoscendis, id homines perturbat, quod ex humanis rationibus de Dei iudicijs coniecturam faciunt. Vident iniquum esse apud homines, si quis proximo suo, non quæcunq; possit, & bona faciat, & auertat mala: aut si exigat à quocumque, quod præstare in illius facultate non sit. Ita cum audiunt homines sine pœnitentiâ & fide saluos esse non posse, neq; has uirtutes uel ex se ipsis, uel aliunde comparare ipsos sibi ualere, putant Deum iniquum esse, si pœnitentiâ & fidem ab hominibus, quibus has uirtutes non contulit, exigat: eosq; condemnnet,

demnet, qui poenitentiam & fidem respuerint, cum tamen momento eos efficere possit & poenitentes & credentes.

At fides in Deū ex uerbo Dei cuncta existimans, longè secus iudicat. Agnoscit quidem et illa, iustum esse hominem, qui non omnibus hominibus, quæcūq; possit, & bona conferat, & amoliatur mala: aut à quoquam exigat, uel sibi, uel ulli hominum, quod Deus in illius facultate sine eius culpa non posuit. Sed agnoscit hæc hominī ideo esse iniusta, quia Deus omni homini præcepit, ut proximis suis, quæcūq; ualeat bona adferat, & mala submoueat, nec quicq; ab ullo homine postulet, quod Deus ipse nō iusserit ab eo postulare: Deū autē agnoscit nemini quicq; debere, præter ea quæ cuiq; pro sua omnino liberali & gratuita bonitate, & propter iustitiam filij sui, ipse destinauit, & promisit: iusteq; etiam exigere ab hominibus, quæcūq; ab eis exigit, & iustè cum seruare per filium suum, quos seruat, tum condemnare, quos cōdemnat. Itaq; cum ratio cæca his Dei iudicijs offenditur, fides eam offensionē statim à se reiicit, & cogitat Deum esse ipsam iustitiā, nullā posse apud eum esse iniquitatem: proinde necessariō eius iudicia omnia esse iusta, etiamsi nobis sint inscrutabilia, & abyssus multa. Tum non ignorat iudiciorum Dei iustitiam tandem cūctis hominibus sic esse reuelandam & patefaciendam, ut eam & impij agnoscant & confiteantur. Sicut perditissimus Iudas tandem dicebat: Peccauī tradēdo sanguinem innoxium. Non dicebat, Peccauit Deus, qui tantum Satanæ in me permisit: sed, Peccauī ego, qui sciens & uolens Satanæ obsecutus sūm, ut uenderem sanguinem innocentem, quod scelus esse atrocissimum non ignorabam.

Eandem

Eandem de diuina iustitia confessionē omnes tādem faciēt homines, quicquid multorū impietas de iudicijs Dei, dum ea nondum rectē sentiunt, arguten tur, in salutem suam, ij quibus dabitur etiam ueniam peccatorū in Christo oblatam fide uera amplecti: in sempiternum exitiū, quibus datum hoc non fuerit.

Ex his facile uidere est omni Christiano, Deum iustissimo iudicio credentibus sibi, peccata, quæ in eis per hanc uitam nunquam non reperientur, non imputare, sed condonare & remittere. Iustitiam autē Christi, quam ipsi nō præstiterūt, imputare, atq; propter hanc uitam æternam donare, secundum quidem opera inchoata in ipsis iustitiæ, at non horum operum & iustitiæ merito, sed propter æternam atq; iustissimam eorum ad hanc electionem, & preciosissimam eorum per Christi sanguinē ad eandem redemptionem, & certissimam factam de hac Euangelio & sacramentis promissionem.

Hac de re uideamus etiā unam & alteram Augustini sententiā. Hic in Epist. ad Sixtū presbyterum scribit de Pelagianis: Quod autem personarum acceptorem Deum se credere existimant, si credant quod sine ullis præcedētibus meritis, cuius uult miseretur, & quos dignatur uocat, & quem uult religiosum facit, parū attendunt, quod debita reddatur pœna damnato, in debita gratia liberato, ut nec ille se indignum queratur, nec dignū se iste gloriatur, atq; ibi potius acceptionem nullā fieri personarū, ubi una eademq; massa damnationis & offensionis inuoluit, ut liberatus de non liberato discat, quod etiam sibi supplicium conueniret, nisi gratia subueniret: Si autem gratia, utiq; nullis meritis reddita, sed grauita bonitate donata.

Epist. 105.

In seruando, Deus nullā potest personam in hominibus respicere, cum nullam gerant nisi impiorū, et inimicorum Dei.

Item

Item in Psal. 100. Audi, quia ille cui donauit, tenet dominū etiam debitorem. Inuenit eum donatorem tempore misericordiæ, tenet debitorem tempore iudicij. Quomodo hoc dicit, uidete. Ego enim iam immolor, dixit, & tempus resolutionis meæ proximum est. Bonū certamen certauī, cursum consummaui, fidem seruaui. Hoc tempore misericordiæ. Audi de iudicio. De cætero mihi superest corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in die illa, iustus iudex. Nō dixit donat, sed reddet. Quando donabat, misericors erat: quando reddet, iudex erit. quia misericordiā & iudicium cantabo tibi Domine. Sed donādo delicta fecit se debitorem coronæ, ibi misericordiam consecutus sum. Misericors ergo Dominus primò, hic aut reddet mihi coronam iustitiæ. Vnde reddet: Quia iustus iudex est. Quare iustus iudex? Quia bonum certamē certauī, cursum cōsummaui, fidem seruaui. Ideo iustus nō potest nisi coronare ista: inuenit enim ista, quæ coronaret. Antea uerò quid inuenerat, qui prius fuit blasphemus & persecutor? Ista donauit, illa coronauit. Donauit hæc tempore misericordiæ, coronauit illa tempore iudicij, quia misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine.

Vide, Deus ipse se debitorem fecit, et donando delicta.

Item in Psalm. 118. Quæri autem potest, quomodo hic dictum sit, Omnes uiaæ tuæ ueritas: cum in alio Psalmo legatur, Vniuersæ uiaæ Domini misericordiæ & ueritas. Sed erga sanctos, & uniuersæ uiaæ Domini misericordiæ, & uniuersæ uiaæ Domini ueritas, quia & in iudicando subuenit, atq; ita non deest misericordia, & in miserando id exhibet quod promissit, ne ueritas desit. Erga omnes autē & quos liberat, & quos damnat, omnes uiaæ Domini misericordiæ & ueritas: quia ubi nō miseretur, uindictæ ueritas exhibetur.

Iudicij ueritas, quæ exhibet quod promissit.

betur. Multos quippe immeritos liberat, immeritum
autem neminem damnat.

Hinc iudica tu pie lector, an error sit, & non leuis
error, ut Billickius dicere ausus est, nos cum Dauide,
cum Apostolo, cumq; omni scriptura Dei prædicare,
Deum hominibus imputare iustitiam, quam nõ ipsi,
sed filius eius fecit pro ipsis, cuiusq; ipsi perexiguum
modò initium in se habent reipsa: & peccatum remitte-
tere & tegere, eoq; nõ imputare, quod in hac uita nun-
quam non habent. Conijce etiam, quibus plenis uelis
Billickius, ut minatus est, errorẽ hunc refellere possit.

CONCLUSIO RESPONSORVM DE ALTE-

ra Reali controuersia: id est, de natura & certi-
tudine fidei Christianæ.

Nos hic finem imponere uolumus responsioni-
bus nostris, & tractationi earum quæstionũ, quæ
motæ sunt circa alteram principalem in doctrina de lu-
stificatione controuersiam, de natura & certitudine fi-
dei Christianæ, eaq; omnia sanctis iudicanda offeri-
mus. Et oramus Dominum, ut electis suis omnibus
eam inspirare fidem dignetur, quam ipse à nobis in o-
mni sua scriptura requirit, cuiq; iustificationem & sa-
lutem nostram omnem addicit. sic facile reiecta omni
controuersia consentient, non tam nobiscum, quam
cum omnibus prophetis & apostolis, & cum ipso Do-
mino nostro Iesu Christo. Agnoscentq; nos de fide iu-
stificatrice nihil omnino attulisse, quod non sit tradi-
tum in diuinis scripturis, & prædicatum semper fue-
rit in ecclesia Christi, quamdiu in ea pura Christi præ-
dicatio sonuit. Transeamus igitur nunc ad tertiam rea-
lem inter nos, & aduersarios controuersiam: de
qua quoniam aduersarij nihil noui attule-
runt, absoluemus breuius.

TERTIA REALIS CON- TROVERSIÆ DE VI ET

merito operū, quæ faciunt iustificati.

De operibus nihil adhuc ex dictis aduersariorum propositum fuit confutari, quæ quod iustificatione consumment.



RRAT nobis ab Imp. Maestrate propositus proprius de bonis iustificatorum operibus articulus, sicut etiam de necessitate eorum, & merito, ex confessione nostra excutiendus: ea de causa nolimus in re-

sponsis nostris de Iustificatione, omnes quæ circa hunc de operibus articulum motæ quæstiones erant, pertractare, fidem nostram de his suis locis & confessuri, & asserturi. Itaque satis duximus, primùm ad eas scripturas respondere, quas Maluenda in prima sua de Iustificatione actione adduxerat, ad confirmandum dogma illud suum, Iustificationem bonis iustificatorum operibus perfici & consummari. Nostram hanc responsionem habes supra à pag. 87. usque in pag. 100.

Quid Billi-
ckius in no-
stra responsio-
ne compre-
hendat.

Billi-ckius uerò, eam nostram responsionem excipiens, ait, nos in ea nihil ad rem dixisse, quàm non concludi ex scripturis illis, quas Maluenda adduxerat, Consummari iustificationem operibus, & opera esse meritoria uitæ æternæ: cumque scripturæ illæ hæc testentur, eis tamen aperte nullum esse à nobis scripturæ locum contrarium obiectum: tantum mentionem esse factam de dignitate operum, quod ea tanta non sit, ut opera propter eam remunerentur.

Hæc habes
pag. 153.

Ad hæc pie lector ista respondemus. Primùm uelimus te memorem esse, nos in responsione nostra ad actionem Maluendæ, nihil adhuc aliud habuisse propositum (de Iustificatione enim agendum erat) quàm hoc Maluendæ dictum confutare: Iustificationem operibus consummari & perfici.

Deinde

Deinde rogamus te, ut consideratis illis scriptura-^{iudiciū de}
rum testimonijs (habes ea reposita pag. 27. & iterum ^{fertur la-}
pag. 88.) legas & expendas, quid ad ea respōderimus, ^{ctori.}
actum statuas, quid concludi ex his scripturis non di-
xerimus tantum, sed euicerimus etiā, atq; demonstra-
rimus. Videbis certē me perspicuum fecisse, ex ipsis
horum testimoniorum cū uerbis, tum germana sen-
tentia, ex his haudquaquam doceri id quod Maluen-
da ex eis probandum susceperat, iustificationē operi-
bus perfici & consummari: Siquidem hac oratione, lu-
stificationem bonis operibus perfici & consummari,
uratur propriē, pro eo scilicet quod est dicere, iustifica-
tionem per opera iustificati hominis reddi perfectam
& consummatam. Quo certe sensu usurpare eos hanc
orationem, inde apparet. Primū, quod eis satis à no-
bis non fuit, confiteri nos, iustitiam inchoatam in iu-
stificatis per bona opera augeri. Deinde, quod Mal-
uenda tribuit iustificato homini legem implere. Deni-
que, quod Billickius istam orationem, Bona opera iu-
stificationem consummare, per illam, Bona opera me-
reri uitam æternam, ceu interpretatur. Nos tamen de
hoc, quod bona iustificatorum opera uitam æternam
mereantur, aut quod sint uitæ æternæ meritoria, non
dum, ut diximus, agere debebamus, nec ex professo e-
gimus. Postremò, quod Billickius dicit, nos nec unquam
ris per Maluendam adductis, nullum contrarium scri-
pturæ locum apertē obiecis: sciat, nos nec unquam
uoluisse, nec posse diuinarum scripturarum testimo-
nijs contraria ex eisdem scripturis testimonia obje-
re. An autē Maluendæ dicto aliquos, an nullum con-
trarium scripturarum locū obiecerimus, tu pie lector
iudices. Obieci enim illi istos locos.

Inhabitare peccatum in nobis, & efficere, ut bona
AAa 2 quæ

Scriptura
rū loca ob
iecta dicto
Maluēde,
iustificatio
nem operi
bus nostris
consum-
mari

1. Ioan. 1.

qua uolumus non facimus, & ea mala quæ odimus faciamus. Rom. 7. & Gal. 5. Sanctos oportere hic semper fateri, se peccatum habere. 1. Ioan. 1. Semperq̄ orare, & peccatorum & debitorum gratuitam remissionem. Matth. 6. & Lucæ 11. Nunquam nō deprecari Dei iudicium, & fateri in eo neminem hic uiuentē iustificari. Psal. 143. Deum diligendū esse ex toto corde, &c. Lucæ 10. Iustificari nos gratis per Christum. Rom. 3. Christum esse propitiationem pro peccatis nostris.

Hæc loca, ut uides ipse pie lector, disertè testantur, Sanctos dum hic uiuūt, eò nunquā iustitiæ peruenire, quin agnoscere debeant, se miseros esse propter adhærens corpus mortis: peccatis atq̄ debitis erga Deum teneri semper obnoxios, utpote transgresso primo legis capite, à quo lex tota pendet, eoq̄ omnes oportere gratuitam & debitorum & peccatorū remissionem orare à Deo per Christum, communem omnium propitiatorum. Atqui si sancti omnes, quantislibet bonis operibus cumulati, tamen dum hic uiuunt in iudicio Dei iustificari per sua bona opera non possunt: necesseq̄ habent iudicium Dei deprecari, peccatorumq̄ & debitorum suorū orare remissionem, & gratuitam, & propter propitiationē Christi: quis non uideat hinc euidentissimè concludi, cum his scripturarum testimonijs, quæ istā inesse sanctis & uim peccati, & inopiam iustitiæ affirmāt, ex diametro pugnare eos, qui dicunt consummari ipsorum operibus? Hoc enim si sancti suis efficere operibus possent, cur iudicium Dei deprecarentur? quare dicerent, in conspectu Dei iustificari neminem? ad quid deniq̄ peccatorum & debitorum suorū ueniam orarent?

Et deplorandum sanè, Billickium uoluisse defendere

dere dictum tam nouum, & iustitiæ Christi tam iniurium, iustificationem nostram nostris operibus consummari: cum tamen ipse confessus sit, Christi iustitia iustum esse, quicquid iustum sit, pag. 141. Item se niti, & confidere maxime iustitia Christi, ut per quam nostra iustitia efficaciam suam habeat. Et Christum esse nostram sicut pacem, ita & iustitiam, in quo & per quem iusti simus. pag. 162. Hæc si ex animo Billickius confessus est, certe confessus est iustificationem nostram consummari, non nostra, sed Christi iustitia: atque ideo etiam Christi, non nostris operibus.

Billickius
contraria
Maluendæ
confessus
est.

Cæterum augeri bonis operibus nostram iustitiam in nobis inchoatam, & nos confitemur. At dicere uel istam inchoatam in nobis iustitiam in nobis reddi operibus perfectam, id est consummari, nedum iustificationem nostram, id est, uitæ æternæ adiudicationem: hoc si non pugnat non modo cum à me adductis locis, uerum etiam cum uniuersa scriptura, non uideo equidem quid cum ea pugnet. Sed tu pie lector de his iudex esto, & decernas, consentanea an contraria sint Maluendæ dicto, & quæ ego scripturarum obieci testimonia, & quæ alia cum de nostra ex Adam profecta perditione, tum de Christi redemptione testantur.

Verum postquam Maluenda & Billickius, non hoc solum operibus, quod iustificationem consumment, sed etiam plerumque alia, contra scripturæ autoritatem attribuerunt, de his modo respondere uolente Domino instituiamus. Ea uero sunt:

- 1 Opera iustificatorum esse uitæ æternæ meritoria.
- 2 His operibus impleri legem, & reddi tam Deo quam hominibus quod eis debetur.
- 3 Nihil his operibus peccari mortaliter.
- 4 Non esse tantum bona opera, quæ Deus in scri-

pturis suis mandauit.

- 5 Bona opera non permanere ex fide necessario.
 Adiunguntur ab aduersarijs his non dissentanea dogmata, quæ perinde cum scripturis pugnantia sunt.
 6 Non manere in baptizatis peccatum, secundum propriam peccati rationem.
 7 Et iustificatos supra præcepta à Deo bona opera posse aliquid bonorum operum superrogare.

Et hæc igitur paucis perstringemus. nam de his omnibus, excepto solo quarto pronunciatum, non cōtentiosis & attentis lectoribus satis exposuimus, quæ sit catholica & orthodoxa sententia, eamq; cōfirmatè etiam adseruimus supra in respōsione nostra ad scripturas, quibus Maluenda probare uoluit, iustificationē bonis operib. perfici & cōsummari. Itē in assertiōe respōsorū nostrorū ad scripturas, quib. aduersarij uoluerūt cōfirmare homines ad iustificationē operib. suis preparari.

CONFUTATIO PRIMI PRONUNCIATI.

Opera iustificatorum esse uitæ aternæ meritoria.

Ordo et partes huius confutationis.

HOC pronunciatum non concludi ex ijs scripturis, quæ Maluenda protulit ad confirmandum suum dictū, iustificationem operibus consummari, demonstrauit supra, & modò. Videamus ergo nūc, quid Billickius pro huius pronunciatum assertione adferat. Et primū ex qua causa nostra opera dicat esse uitæ aternæ meritoria. Deinde, quas adducat pro sua sententia scripturas. Tertio, quid respondeat ad eas scripturæ & S. patrū autoritates, quas nos protulimus, sicut pro ueritate catholica, ita etiā cōtra eius & Maluendæ contraria dogmata. Postremò, subiiciemus aliquid de his uocibus, Mereri, Meritum & Meritoriū: & ostendemus, quàm malè sint cōsonæ euāgelio Christi: indeq; confutationē pronunciatum aduersariorū cōcludemus.

EX QVA CAUSA ADVERSARIJ FACIANT

bona opera uitæ æternæ meritoria.

ADuersarij repressi tot & tam luculentis sanctorū confessionibus, quæ eis & ex scripturis, & ex S. patribus obijciuntur, cum de operū eorum nō imperfectione tantum & uilitate, uerū etiā de eorum uitijis & cōdemnatione, tum de omnino gratuita Dei gratia, & necessario omnibus Christi merito, agnoscūt & ipsi iustificatorū opera, si considerentur in se ipsis, & detracta gratia, parū admodū aut nihil esse, quod eis debeatur. At si spiritus, inquit, collator gratiæ cooperās spectet, magna esse mercede cōpensanda. Hæc Billickius supra in excussione responsionis nostræ, ad scripturas pro eo adductas, quod iustificatio operib. cōsummet.

Hæc pag. 153.

Hoc uerò effugium antiquū scholæ inuentum est, quæ operibus meritū uitæ æternæ condignum adserit, ex duplici hac causa, ex uirtute spiritus sancti ad bona opera mouentis, & ex dignitate gratiæ cooperātis. Vrgentur itaq; ista plurimū ab aduersarijs nostris omnibus, Germanis, Italis, & Gallis. In Gallia cœperūt quidam adijcere, opera ut meritoria sint, accipere à Christo Domino uiuente & efficiente illa in sanctis suis, ut uitis in palmitibus, uel per palmites suos profert acinos. Christi autē opera, uita æterna esse dignissima. Ex dignitate itaq; & præstātia spiritus S. Christi seruatoris, tū ex gratia cooperāte sanctis in operib. bonis, adseritur, his operibus tanti dignitas meriti, ut dicantur mereri uitā æternā, & ex cōdigno. Hæc igitur cum uerbo Dei cōpensemus, & q̄ cū eo congruant uideamus.

Primum ad id quod Billickius dicit, operib. nostris detracta gratia, parum admodū, aut nihil deberi, ostendimus supra, ex D. scripturæ & D. Augustini autoritate, operibus extra gratiam Dei factis, nō parū aut nihil

*Operibus extra gratiam debetur gehenna.**præ*

præmij, sed plurimum deberi supplicij.

Qui dicunt
opera ex cō-
digno mereri
uitam æternā
secum ipsi pu-
gnant.

Deinde uide quā consistent sibi authores huius
commenti, de dignitate nostrorum operum, his ex di-
gnitate spiritus sancti, Christi, & gratiæ conciliata. Di-
cunt enim, bona opera id ut merita dicantur, & sint, ab
eo habere, quod à libera hominis uolūtate proficiscun-
tur: qua cum bruta animalia destituuntur, horum ope-
ra nō posse dici merita, tametsi & hæc Deus in illis ope-
retur. Si iam nostra opera meritoria non sunt, nisi pro-
ut à nostro libero fiunt arbitrio, illud autē nunquam in
hac uita factus uult benefacere, nunquā id præstare stu-
det solidē, quod lex Dei requirit: an non inest semper
nostris operibus, etiā qua parte merita dici debent,
aliquid delicti & peccati? Qua igitur ratione his operi-
bus, quæ à uitiato iudicio & uoluntate non possunt
non uitiata edi, adseri poterit dignitas meritoria uitæ
æternæ, & ex condigno? Iam de tribus causis uideamus,
unde aduersarij tantam operibus dignitatem pe-
tant, de gratiā, Christo domino, & spiritu sancto.

Gratia rege-
nerationis,
ex qua sancti
bona operan-
tur, imperfe-
ctior est, quā
ut opera effi-
ciant uitæ æter-
næ meritoria.

Per Gratiā intelligunt pleriq; eorum, donum no-
uæ creaturæ & uitæ, qua consortes sumus diuinæ na-
turæ, filij & hæredes Dei: nouam scilicet & cœlestem
illam facultatem, qua homo nouam & gratam Deo ui-
tam uiuit, quod donum D. Paulus etiā nouum & in-
teriorem hominem uocat. Cōstat autem, hanc nouam
in sanctis uitam & creaturam, nouum & interiorē ho-
minem necesse habere cottidie instaurari, neque legi
hominem, satisfacere: quomodo igitur possit ex huius
gratiæ & doni dignitate, ea nostris operibus accedere
dignitas, ut meritoria habeantur uitæ æternæ, idq;
ex condigno?

Iam si diuinam uirtutē spiritus sancti, atq; Christi
in

in sanctis suis uiuentis, & bona in eis opera facientis Si in bonis ope-
 spectemus, non autem ipsorum operantium uolunta ribus non ope-
 tem, sanctis ipsis nullum relinquitur meritum. Nam rariū uolūtas,
 cur quæ Deus in hominibus operatur, merita uocēt: sed tantū opus
 & quæ idem Deus efficit in animantibus ratione ca- spectari debet,
 rentibus, merita non uocent, hęc ipsi causam adferūt, Christi nihil
 qđ homines Deo in bonis suis operibus per suū libe- meriti sanctis
 rū arbitriū coopent, nō autē brutæ animantes. Atq; si relinquitur.
 omnis meriti ratio & dignitas honorū operū est spiri-
 tus sancti, & Christi, ipsi etiam spiritui sancto & Chri-
 sto horū merces ex condigno debetur, nō ipsis ho-
 minibus, per quos bona ista opera fiunt, ipsis nimirū
 ex se nihil boni aut meriti talis conferentibus, sed po-
 tius non parum uitij & delicti:

Iste denique paralogismus secundum quid, indi-
 gnus est doctis uiris: Christi opera sunt digna merce, Paralogismus
 de uitæ æternæ: ergo bona opera, quę operatur Chri- secundū quid,
 stus in sanctis suis, sunt sanctis ipsis uitæ æternæ meri- Christi opera
 toria. Hęc sanē consecutio tam non ualet, quam ista: digna sunt uitæ
 Christi opera sunt diuina & æterna, modisq; omnib. æterna, Ergo e-
 perfecta & absoluta: igitur sic sunt etiam sanctorum sta per sanctos.
 opera, efficiente eo in his, uelle & efficere. Lon-
 ge enim aliā est operum Christi, quæ ipse per se, & in
 se ipse efficit, perfectio & dignitas: quā eorum, quę
 operatur per uitiatam sanctorū mētem & uoluntatē,
 & imminutas tā opere ad bonum uires cæteras. Un-
 de & hęc ipsa eius in sanctis suis opera ualde dispari
 sunt dignitate & sanctitate. Quāto enim in D. Paulo
 edidit, quā in alijs innumeris sanctis, etiam Apo-
 stolis plerisq; opera digniora, & sanctiora?

Hinc itaq; satis uidere licet, aduersarios operibus Meritum cōdi-
 nostris meritum ex cōdigno sine ratione tribuere, ex gni nulla ratio-
 dignitate uel gratiæ, uel spiritus sancti, uel Christi ne operibus at-
 tribuitur ex

gratia, uel efficiencia Christi et spiritus sancti. Nec enim gratia hæc, de qua ipsi intelligunt, tanta est, nec etiam spiritus sancti & Christi in credentibus uis & effectio eo se in sanctis, dum hic uiuunt, exierit, ut cunctam ab illorum mente & uoluntate uitiolositatem & infirmitatem tolleret: proinde quæcūq; sancti bona faciunt, quod ad ipsorum quidē mentem & uoluntatem attinet, unde meriti ratio pēdet, uitata sunt, & legi Dei non satisfaciunt, estq; solius liberæ gratiæ Dei, & meriti Christi, quod Deus bona illorum opera nihilominus tam habet grata, & remunerat tam benignè. Hæc responsa sint ad causas meriti condigni in operibus sanctorum, quas aduersarij adferunt. Videamus nunc etiam scripturas, quas pro hoc dogmate adducunt.

QVID DOCEANT SCRIPTURAE, QVIBVS
aduersarij probare conantur, opera iustificatorum
esse uitæ æternæ meritoria.

- 1 **B**lissickius nullas pro suo hoc meriti dogmate attulit scripturas, præter illam Iacobi: Beatus uir qui suffert tentationem, quia cum probatus fuerit, accipiet coronam uitæ, quam promisit Deus diligentibus se. Itē in uerbis Domini: Venite benedicti patris mei, percipite regnum uobis paratum à condito mundo. Esuriui enim, &c. urget particulam, ENIM, aitq; indicari ea, regnum Dei reddi pro meritis. Alij autem obijciunt & illa: Dominū promisisse patientibus propter ipsius nomen afflictionem & contumelias, magnam mercedem in cœlis. Matth. 5. Et quarentem uitam uenem quid facere deberet, ut uitam perciperet æternam, iussisse seruare mandata. Testatumq; esse, uitam æternam percepturos, qui propter ipsum & Euangelium ipsius aliquid charum reliquerint. Matth. 19.
- 2
3
4
5
6
- His adijci possunt quæ spiritus sanctus & per Paulum

lum testatur, de reddenda uita aeterna bona operanti-
 bus, ut Rom. 2. Quod Deus redditurus sit quærenti-
 bus per patientiam bonis operibus gloriam & hono-
 rem, & incorruptibilitatem, & uitam aeternam. Et 2. 7.
 Cor. 4. Momētaneum & leue afflictionis nostræ; in
 hac uita efficere incomparabili præcellentia, pondus
 aeternum gloriæ. Item Gal. 6. Qui serit in spiritum, id
 est, operatur quæ Christi spiritus suggerit, metiturum
 uitam aeternam.

Ad hos scripturarum locos ista respondemus. Pri-
 mum, rogamus te pie lector, ut uerba & sensa horum
 locorum ipse cōsideres, & cum cæteris scripturarum
 locis, qui de nostris operibus, qualia sint, et haberi de-
 beant, docent, conferas: atque tum uideas, num illud
 probent, quod probandum per ea aduersarij insti-
 tuerunt, opera scilicet iustificatorum esse meritoria
 uitæ aeternæ.

Primus certe locus, qui est Iacobi, quid quæso ha-
 bet aliud, uel amplius, quam probatos tentatione a
 Deo, percepturos esse coronam, quam Deus diligen-
 tibus se promisit. Nec amplius quicquid habet & terti-
 us locus, nisi quod Dominus coronam hanc mercedem
 uocat, repositam suis in caelis. Ita quid quæso docet Do-
 minus in cæteris locis ex eius uerbis adductis, quam
 regnum Dei debere percipere, & percepturos esse, qui
 ipsi ministraverint in minimis suis, quod est in secun-
 do loco: & ad uitam ingressuros, qui seruant præ-
 cepta Dei, quod est in quarto loco: & uitam aeter-
 nam percepturos, qui quæ chara habent, pro ip-
 so & Euangelio eius reliquerint. Hoc ipsum testa-
 tur Spiritus sanctus per Paulum, in sexto & octa-
 uo loco, redditurum scilicet Deum perseuerantibus
 in patientia boni operis, uitam aeternam: & hanc

*Explicatio lo-
 ci Iac. 1. de co-
 rona probato-
 rum in tētatōe.*

*De mercede
 cœlesti, Mat. 5.
 De perceptōe
 regni propter
 bona opera.*

*Matth. 5.
 Vitā perceptu-
 ros qui seruant
 mādāta, relin-
 quunt sua pro
 Domino, Mat-
 thei 19.*

*Deū redditurū iis
 qui benefecerūt,
 & eos mēssuros
 uitam aeternam.
 Rom. 2. Gal. 6.*

messuros, qui iuxta spiritum uixerint.

*Summa eius
quod ista loca
docent.*

Ex his itaq; omnibus locis nihil certè aliud, nihilq; amplius docetur, quàm Dominum electis suis regnū cœlorum & uitam æternam etiam coronæ & mercedis nomine & loco redditurū, qui in benedictione patris, morte Christi comparata, & Euangelio atq; sacramentis oblata, & obliquata, per fidem ueram persecutantes, propter nomen & Euangelion eius, & mala fortiter pertulerint, & bona fecerint: Et quod hi, regnum hoc Dei, & uitā æternam, hæreditatem suam, ipsis electione & benedictione patris gratuita additam, redemptione Christi apertam, Euangelio & sacramentis delatam, ideo etiam sint adituri, & in possessionem hæreditariam recepturi, pleneq; ea perfruturi, qd Dominus per bona opera sua seruierunt. Hæc uerò omnia nos pleno ore cōfitemur, in omnibus nostris de hac re & scriptis & concionibus.

*Inconsideratè
uerfantur in tā
ta causa aduer-
sarij.*

Vides itaque pie lector, quàm inconsideratè uersentur aduersarij in hac tanta salutis nostræ causā, dum illa scripturarum contra nos accumulunt testimonia: quæ nihil amplius docent, quàm Deum bona facientibus, ac etiam propter bona opera, reddere bona præsentis & futuri seculi, ipsamq; uitam æternam: hancq; ipsam uitam æternam propterea rectè dici & coronam & mercedem operum, quæ omnia & ipsi docemus, & prædicamus.

Illud enim unum nos in hac de bonis operibus doctrina quærimus hominibus esse probè explicatum & cōmendatū, omnē quamcūq; Deus mercedē & coronā bona facientibus rependit, etiā temporariā, nedum cœlestem & æternam, reddi his à Deo, nō operum ipsorū merito, condigno scilicet, ut Deus hæc eis mercedē ullo modo debeat, sed ex omnino liberali et gratuita

gratuita Dei benignitate, destinata eis ante conditū mundū, comparata morte Christi, oblata Euāgelio, nullo prorsus ullius respectu meriti, quod in ipsorū operibus esse queat: in quibus nimirum nihil omnino boni inesse potest, præter id quod in eis est gratuitum donum & opus Dei propter Christū. Illud ergo solū in hac questione de mercede bonorū operū con-
 trouersum est inter nos, an sit in iustificatorum bonis operibus aliquod meritum, ea condignum mercede quam eis Deus retribuit, & maxime uita æterna. Faciunt enim aduersarij bona opera, meritoria uitæ eter-
 na: & definiunt eo ipsi meritum condignum, atq; a merito congruo separant, quod faciat eum, de quo il-
 lud quis meretur, mercedis debitorem. Istud ergo nos meritum inesse etiam optimis iustificatorū ope-
 ribus pernegamus. Vides autem ipse pie lector, nul-
 lum prorsus argumentum inesse in his septem locis, quos iam reposuimus, quo dogma hoc asseri ualeat.

Et certe in eo duplicem addunt aduersarij paralogismū, dum istas in hac disputatione scripturas adfe-
 runt: ignorati elenchi, & secundum quid. Ignorati elenchi, Quicquid enim his scripturis docetur, id nos ultro & planissimè confitemur & docemus. Secun-
 dum quid uerò, quia ea pro stabiliendo suo de merito condigno dogmate, testimonia proferunt quæ nihil docent amplius, quam reddi sanctis à Deo mercedem etiam propter ipsorum opera.

Ex eo enim quo dicitur, sanctis uitam æternam reddi etiam propter bona opera, non potest concludi, reddi hanc illis ex merito operum suorum condigno, id est, ut merces eis tanta ex horum operum merito debeat. Ex merito inquam horū operum, nam deberi sanctis hanc coronam & mercedem uitæ æter-
 na, &

Quid contro-
 uersia.

Paralogismus
 duplex.

Paralogismus
 secundum quid,
 uita æterna red-
 ditur propter
 opera, ergo ex
 merito operū
 condigno.

nae, & nos agnoscimus, sed non nisi ex his causis, ex gratuita Dei electione, ex merito Christi, & ex Euan- gelij promissione, & sacramentorum oblatione: id quod paulo antè confessi sumus.

Sic pater familiàs filio bene studèti promittit & red- dit, magnū aliquod donū, & per amplā mercedē pro- pter illius in literis studiū: ex eo autē concludi non po- test, illud filij studium quantumcūq; sit, mereri tan- tam mercedē ex condigno. seruus enim eiusdem pa- tris familiàs longè plus studet, & studio multo plus proficit, quàm filius, idq; etiam ad usum ampliorem patris familiàs: ob id tamen pater ille familiàs nullum tale debere donū, uel mercedē seruo isti potest, cu- ius se ipse debitorē fecit filio, ex paterna liberalitate.

*Vita aeterna
redditur san-
ctis ex cōgruo,
sed quod est ali-
berali promif-
sione Dei.*

Congruū quidem meritum in iustificatorum ope- ribus inest: cōgruū enim cuiq; creaturæ & operi Dei id, quod Deus omnium conditor ipse cuiq; rei & o- peris suo deputat. Cū iam amātissimus nostri, & beni- gnissimus pater decreuit nostra bona opera, quæ in nobis tamē ipse efficit, propter filiū suū tā liberaliter remunerare, hinc certē decet iam illa opera, et eos qui ea fecerint, atq; cōgruum eis est, ut id ipsis Deus præ- stet, quod eis non minus iustē q̄ benignē est pollici- tus. Hæc itaq; sint responsa ad istos septē scripturæ locos: quæ nostra responsa, pie lector, si cū uerbis & sensu illorum ritè contuleris, uidebis ipse, nihil his locis aliud, uel amplius doceri, quàm sanctis bona operatibus reddi uitam æternā, etiam coronæ & mer- cedis nomine & loco, id quod ultro nos semper dedi- mus: non autem reddi hanc eis mercedem ex merito condigno, quod aduersarij adstruendū susceperunt. Sed forsan locus prolatus ex 2. Cor. 4. uidebitur ha- bere argumenti aliquid, ad propositū aduersariorū. testa-

*Explicatio lo-
ci, Momētanea*

testatur enim, momentaneā & leuē afflictionē, *na et leuis afflictio*
regyæ dñi, id est, efficere, & quasi cōficere æternū glo *operatur eter*
 riæ pondus. Hoc enim dicto, momentanea sanē & le *nū pondus glo*
 uicula afflicto, prædicatur causa esse, nō efficiens tā *ria. 2. Cor. 4.*
 tum, sed etiam conficiens, æterni ponderis gloriæ cœ *mag Malu*
 lestis. Rectē sanē: Nam etiā egeni & mendici, quibus *Jon*
 in nomine Christi benefeceris recipient te, in æterna
 tabernacula. Ita pater benignissimus & filiorum suo-
 rum amatissimus, Deus, dignatur suam potestātē &
 opera suis filijs impertire. Causas autē esse aliquo mo-
 do mercedis æternæ etiā bona sanctorū opera, quis
 nostrū unquam inficiatus est: Non enim hac de re,
 sed de eo pugnamus, unde bona opera habeāt uim il-
 lā cōficiendī pondus æternū gloriæ: ex se ipsis ne, &
 ex merito suo cōdigno, quod pernegamus, quodq;
 nec iste, nec ullus alius scripturæ locus docet: an ex li-
 berali uolūtate & promissione Dei, meritoq; Christi, *Mag Malu*
 qd' & nos prædicamus, & passim in scripturis docet. *Jon*
 Vnde Spiritus sanctus, hoc ipso loco, cū primā &
 totā huius rati beneficij causam reddere uellet, ē qua
 nobis uenit, ut interior noster homo eo magis instau-
 ret indies, quo magis exterior interit, & ut momenta-
 nea & leuis afflictio pondus æternū gloriæ operet,
 undeq; scimus, si soluat domus nostræ habitationis
 terrena, habere nos domū nō manufactā, sed æternā
 in cœlis, &c. subiecit: Qui perfecit nos, *na legyæ ob puli d*
 in hoc ipsum, Deus est, qui dedit nobis arrabonē spi-
 ritus. Vides hic totū Dei benignitati, adeoq; gratui-
 tæ adscribi. Sed locum hūc, quomodo Deus dignet *A pag. 91. us-*
 sanctorū opera causas dicere & facere, suæ amplissi *que ad pag.*
 me & eterne mercedis, tractauimus supra in respōsi *95.*
 one nostra ad scripturas, quas Maluenda adduxerat *Pagina 92.*
 ad probandū iustificationē bonis operib, cōsummari.

De uo.

Quam causam
significet enim
in uerbis Do-
mini. Venite be-
nedicti patris
mei.

De uoce causali, enim, in uerbis Domini, Venite benedicti patris, ibidem diximus, ea significari, bona opera causam esse, sed non parati regni Dei: id enim sanctis paratum est, ut Dominus ipse testatur, à con- stitutione mundi. nec etiam promeriti, istud enim o- pus Christi est. Sed nec delati, misit enim Deus Euā- gelion salutis se non quærentibus, sed deniq; nec eti- am capacitatis ad percipiendum hoc regnū: ea enim uenit à benedictione patris, quam meruit nobis: & confert Christus Dominus, benedictū semen Abra- hæ. Cuius igitur rei causas Christus bona sanctorū opera fecit per suum, enim, *ὅτι κληρονομήν τῶν βασιλείων*, adeundi & perfruendi regni, capiundæ ac possiden- dæ hæreditatis, in quam sumus à patre Deo in Chri- sto adoptati.

Urgent quidam aduersariorum & illud in loco 2. Paulus gloria Timothi. 4. de corona iustitiæ, quam Paulus ibi glo- tur de corona riatur sibi reddendam esse à Domino, iusto iudice. reddenda, sed Sed de huius iudicij & iudicis iustitia, in reddēda co- quæ ei reposita ronanostris operibus, non promerita ex condigno, erat ab eter- dictum supra est, in assertionione eius nostri dicti, quod no. Deus sanctis suis iustitiam filij sui, quam non fece- runt, imputat: peccata uerò, quæ & fecerunt, & ha- bent, iusto tamen iudicio non imputat. Obseruabis tamē in hoc loco pie lector, quod sanctis illa corona redditur, ubi seruata fide, certamen suum decertarūt, & cursum perfecerunt, quæ eis antè reposita est, & re- posita, gratia utiq; Dei, & merito Christi, non meri- tis proprijs.

Perspicuum igitur iam est, nec ex citatis, nec ex ul- lis D. scripturæ locis de bonorum operum mercede quicquā amplius probari posse, quam Deū bona cre- dentiu opera remunerare etiā mercede uitæ æternæ, nequa-

nequaquam autem illa opera esse uitæ æternæ meritoria ex condigno: etiam si considerentur, prout ex spiritu sancto, & gratia proueniunt regenerationis: ut cunctus Deus credentibus ex condigno suæ immensæ benignitatis, electionis, & promissionis, meritiq; Christi, hanc tantam mercedem propter ipsa etiam bona opera rependere uelit. Hac de secundo loco primæ quæstionis, pertinentis ad tertiam realem contro- uersiam, de ui & merito operum iustificatorum.

ADSERITVR VERITATI LOCVS MATTHÆI

25. de parato sanctis regno Dei à mundi creatione, contra bonorum operum merita præuisa.

Quas scripturæ autoritates contra istud aduersa- riorum nouum dogma, Opera iustificatorum esse uitæ æternæ meritoria, adduximus, uidere bōe lector uelis uel superius in nostra prima respōsione, uel paulo supra, in initio huius nostræ respōsionis, de tertiali contro- uersia. Harum autoritatum nullam aduersarij eripere nobis conati sunt, præter unam illam, de parato sanctis regno à cōstitutione mundi. Vrseramus enim τὸ το τὸ ἐν τὸν, ἡτοιμασμένον ὑμῖν, Paratum uobis & à cōstitutione mundi: atq; inde conclusimus, non obtineri hoc regnum meritis, sed eius plenam perfruitionem donari à patre Deo, etiam propter opera, sed non nisi benedictis eius. Hoc iam argumentum conatur Billickius eo nobis inefficax reddere, quod ait, Enimvero cum regnum parabatur, meritis ex gratia factis parabatur. Et qui possessores præuidebat, præuidebat etiam merita, quibus illi regnum consequerentur. Hac ille.

Ecclesia uerò Catholica olim ut Pelagianū dogma damnauit, dicere, gratiā dari secundū merita. Et ipse Pelagius hoc dogma in Cōcilio Palæstino ne damnaretur

Ex permultis scripturæ autoritatibus cōtra aduersarij dogma adductis, unum illi tantū eripere conantur.

Matth. 25.

Pag. 254.

Pelagianū dicere gratiā dari secundū merita etiā præuisa.

retur ipse, anathematizavit. At quis non dicat gratiam esse, paratū sanctis regnum Dei, à condito mundo? Gratia uerò, inquit Apostolus, uita æterna. Iam diuus Augustinus ex Pauli uerbis clarè euincit, etiam eos dicere gratiam secundum merita dari, eoq̄ in abrupta præcipitare impietatis Pelagianæ, qui dicunt, eam dari secundum merita præuisa. Scribit enim Apostolus de Iacob & Esau: Cum adhuc gestarētur in matris suæ utero, nec dum quicquam boni uel mali fecissent, ut propositum Dei de illis maneret, secundum electionem, non ex operibus, sed ex uocante, dictum esse matri illorum, Maior seruiet minori: secundum quod scriptum est, Iacob dilexi, Esau uerò odio habui. Hæc uide, ut pertractet diuus Augustinus epistola ad Sixtum.

Regnū Dei paratū sanctis à solo uocante Deo.

Iam quos Dominus uocauit ad percipiendum regnum ipsi à constitutione mundi paratum, quid hi amplius boni aut mali iam tum fecerant, quando regnum eis paratum fuit, quam fecerāt Esau & Iacob, cum ita subiectus fuit maior minori, ut maiorē odisset Deus, minorem diligeret?

Nec enim dicit Dominus regnum illis tum cepisse parari, ut Billickij uerba illa (Quum regnū parabatur, meritis ex gratia factis parabatur) locum habere queant. sed ait: Regnum suis benedictis iam tum, quando mundus hic condebatur, paratū fuisse. A quo igitur? Indubiè à Deo ipso. Et quā ob causam? Certè ob eam ipsam, propter quā miseret, quibus miseretur: non certe propter illorū quæ faciuros iam tū præuidebat merita, sed ex sua omnino gratuita misericordia, ut eius & de horum salute propositum, hoc est, ipsa regni facta illis preparatio consistat, non ex operibus, sed ex ipso solo uocante, eiusq̄ liberali,

berali, & ex se sola proueniente, & agente omni bonitate. Sed hac de re diximus satis supra in tractatu de operibus præparantibus ad iustitiam. & in confutatione ficti Augustini, adducti per Billickium: ubi etiam commenti huius Pelagiani confutationem, quam diuus Augustinus in Enchiridio suo inseruit, adscripsimus.

Sed dicet forsan Billickius, suum dictum iniuria notari Pelagianismi. Pelagianos enim dixisse, electionem & regni præparationem sanctis factam esse, propter præuisa in eis merita, quæ facturi ipsi essent, ex naturæ uiribus, non ex dono gratiæ. Hoc quidem, gratia Domino, interest inter Pelagianos, & aduersarios nostros, quod hi agnoscunt, homini, ut à Deo aliquid mereatur, opus esse gratia Dei, quam fatentur donum esse supernaturale: cum Pelagiani ipsam naturam, & eius uires, gratiam illam intellexerint, qua homo oblatâ Euangelij gratiam & salutem reciperet.

In his autem duobus dogmatibus suis cum Pelagianis nimis communicant aduersarij, & ab Augustino oppugnante Pelagianos dissentiunt, quod homini ante gratiam iustificationis, hoc est, adhuc impropio & inimico Deo, tribuunt opera ad iustificationem præparantia, merita nimirum tanta, quibus oculi misericordiæ Dei ad peccatores iustificandos conuertantur. Et, quod electionem sanctorum, & regni cœlestis præparationem, eam scilicet quæ facta est à condito mundo, factam dicunt secundum sanctorum merita præuisa. Diuus Augustinus enim, cum ecclesia Catholica. Apostolū simpliciter sequit, agnoscens salutē nostrā non incipi tantū, sed cōstare

Aduersarij faciunt cum Pelagianis, quod gratiā dari dicunt secundum præuisa merita, et quod non iustificatis tribuunt opera bona meritoria.

*Cōtra Iulianū,
lib. 4. cap. 3.*

etiam, ac perfici totam sola Dei gratia: Et gratiam nō esse, nec dici debere, si quid ex operibus accedat, ut illa non sit planē gratuita. Gratia enim, inquit, est nullo modo, quæ non est gratuita omni modo. Unde idem Apostolus cū dixisset, Stipendiū peccati mors: & congruentissimē dicere consequenter poterat, Stipendium autem iustitiæ uita æterna: dixit, Gratia uerò Dei uita æterna. Non quod non præcedentibus bonis operibus, plena uitæ æternæ perfruitio, mercedis loco & nomine reddatur: sed quod cuncta sanctorum bona opera, etiam ipsa gratuita Dei dona sunt, & adhæc ex nobis sic impura & imperfecta, ut ea ipsa uitæ æternæ perfruitio reddi illis non posset, nisi succurreret sanctis, debitorum suorum remissionem per Christum orantibus, gratia et propitiatio Christi. Hoc ait diuus Augustinus Ecclesiam confiteri & prædicare, cum canit: Misericordia eius præueniet me, & misericordia eius subsequetur me.

Urget autem Billickius illud, quod Iacobus dixit, coronam promissam: & Paulus, Bona uitæ æternæ, quæ oculus non uidit, nec auris audiuit, &c. parata esse, non nisi diligētibus Deū. & addit: Dilectionē esse donū Dei, qd̄ nō sine Dei prædestinatiōe dispensat. unde Apostolus dicat, & ipsa bona opera, in quibus ambulare debemus, esse diuinitus preparata: prædestinatiōē itaq; meritorū gratiæ nō esse cōtrariā. In quibus uerbis innuit, huiusmodi ad nostrū argumētū respōsiōē, et dictū sui, qd̄ Deus parauerit suis regnū meritū, quæ præuiderit ab illis ex gratia faciēda. Parauit quidē Deus regnū suū, sed nō nisi diligentib. se, & bona facientib. hāc q; dilectionē eis, & bona opa cū præparauit, etiā ab eis faciēda præuidit. Ergo Deus repperit uitā æternā sanctorū meritis, sicut à se preparatis,
ita &

ita & præuisis, eoq; & propter hæc merita regnū illis præparauit. Sūt igit op̄a bona uitę æternę meritoria.

Sic colligit Billickius. Sed tu pie lector uide, ex *Billickij respō*
 qua ista cōsecutio theologia, quā uē dialectica profe *sio ἀουλογο-*
 ratur: Istum quidē nos syllogismū recipimus. Deus *γινύ.*
 quæ præparauit, ea & præuidit: dilectionem & bona
 opera in sanctis suis præparauit, ergo ea quoq; in eis
 præuidit. Recipimus & hanc consecutionē: Deus nō
 promisit nec præparauit regnū suū, nō diligentibus
 se, & bona facientibus: ergo qui Deum non dilexe-
 rit, nec bona fecerit, regnum Dei adire non poterit.
 At illa pronūciata quis dedit aduersarijs, uel ex qua
 illi autoritate sumunt, ex quibus cōcludi queāt, quæ
 ipsi hic inferunt, & quæ adserenda susceperunt, Re-
 gnū scilicet Dei esse paratū sanctis propter ipsorū
 merita præuisa, & hæc sanctorū opera esse uitę æter-
 nę meritoria? Perinde ad propositū confert, qđ tan-
 quam summā suæ respōsionis Billickius subiicit, præ-
 destinationē meritorum non esse contrariā gratiæ:
 sed omnia inscrutabili diuinæ sapientiæ cōsilio sic es-
 se ordinata, ut iustus simul ac misericors Deus in om-
 nibus comprobet. Nā hæc & nos docemus. Quid au-
 tē in his, unde efficiat, Deū regnum suū sanctis suis
 parasse à cōdito mundo, propter præuisa illorū meri-
 ta, aut quod eorū opera meritoria sint uitę æternę ex
 cōdigno? Vides itaq; pie lector, nostro argumēto
 ducto ex uerbis Domini, de parato sanctis regno à
 condito orbe, illud uerē concludi, quod eo refellen-
 dū suscepimus, regnū scilicet Dei meritis nō obtine-
 ri, atq; ideo bona iustificatorū opera nō esse uitę æ-
 ternę meritoria, quanquā istud eo loci cōfutare non
 dū institueramus. Vides etiā que Billickius attulit, ut
 hoc nostrū argumentū dissolueret, esse prorsus ἀσυλλο-
 γισμῶν, nec quicq; concludere, CCC 3 AD.

ADSERITVR D. AVGVSTINI AVTORITAS
 contra dogma istud, iustificationem bonis operibus consummari.

AD euincendum, iustificationē nostram nō posse ullis nostris operibus consummari, sed consummari eam oportere gratuita Dei beneuolētia, atque solida & perfecta Christi iustitia, adduxeramus & D. August. autoritatē dicētis, ad perfectionē iusti-

Vide supra pagina 96. tix nostræ in hac uita requiri, nosse & confiteri, nos nondū esse perfectos, sed peccatū habere, & hac una

Ad presentis uite perfectionē requiri, ut nos agnoscamus imperfectos & peccatis obnoxios. spe niti, quod aduocatū habemus apud patrē Iesum Christū iustū, qui est propitiatio p peccatis nostris. *Vide supra, atq; etiā lib. 3. cōtra duas epistolas Pelag. ad Bonifaciū cap. 5. & 7. Itē lib. 4. cap. 10. & duobus sequētibus.* Ex ista uerō D. Augustini catholica confessione & doctrina, tale duximus argumentum.

Quos oportet fateri iustitiam suā adhuc tam esse imperfectam, atq; peccatis grauata, ut eis una spe nitendum sit propitiationis Christi, horum iustitia ip-
Syllogismus ex D. August. Cōfessione, nostrā iustitiam non posse nostris operibus consummari. forum operibus consummari non potest: At si D. Augustini uera est & catholica confessio & doctrina, ut est, necesse habent omnes sancti cœlum adituri, quātuncunque perfererint in hac uita bonorum operum, tamen adhuc fateri, se esse imperfectos, & peccatum habere, atq; huius propitiatione sola confidere. Ergo nulli sancti suam possunt iustitiam, eoq; nec iustificationem, (aduersarij enim per iustificationem, iustitiæ inhaerentis collationem & incrementum intelligunt) suis operibus consummare.

Lib. 3. contra duas Epist. Pelagianorum. Ut uerō sententiam huius uiri Dei habeas plenius spectā, adscribā pauca, præter ea que supra adducta sunt. Et paulo post (loquit de apostolo Paulo) qui se negauerat esse perfectū: Quotquot ergo perfecti, inquit, hoc sapiamus. ut ostenderet, secundum istius

istius uitæ modū esse quandā perfectionē, eiq; perfe- *Ad Bonifaciū*
 ctioni hoc quoq; deputari, si se quisq; nouerit nondū *cap 5.*
 esse perfectū. Quid enim excellentius in ueteri popu *Nota, Est quæ*
 lo sacerdotib; sanctis? Et tamen eis præcepit Deus, *dam secundum*
 sacrificiū primitus pro suis offerre peccatis. Et quid san *istius uitæ mo*
 ctius in nouo populo apostolis? Et tamen præcepit *dū perfectio.*
 eis Dñs in oratione dicere, Dimitte nobis debita no
 stra. Omnium igitur piorū sub hoc onere corruptibi
 lis carnis, istius uitæ infirmitate gementium, spes una *Spes una est,*
 est, quod aduocatū habemus apud patrē Iesum Chri *propitiatio*
 stum, iustū, & ipse est expiatio peccatorū nostrorum. *Christi.*
 Hac ille. At si omnium sanctissimis in ecclesia, ad ex
 tremū usq; spiritum oranda est peccatorum remissio,
 & in eo solo spes omnis salutis constituenda, quod
 Christum habemus aduocatū nostrum, & propitiati
 onē pro peccatis nostris, nulla certē poterunt sancto
 rū esse opera, quæ ipso iustitiam cōsumment, & ui
 tam æternā mereantur. Iudica ipse lector Christiane.

Hunc nostrum syllogismū ne attigit quidem Billi- *Billickius no-*
 ckius, ut dissolueret: tantū dixit, se agnoscere prius il *bis dicti Mal-*
 lud, perfectionē iustificati hominis in eo cōsistere, ut *uendini consu-*
 sciat se nondum esse perfectum. Ad posterius autē re *tationem reli-*
 spondit, omnis iustificati hominis perfectionem nul *quit.*
 la ei ratione alia posse cōstare, quam fide Dñi nostri
 Iesu Christi: dixit se hoc intelligere de fide formata
 charitate. Et nos uerò testati abundè sumus, hæc non
 nisi fide uiua, quæ sine charitate esse nō potest, intelli
 gere: tamen commentū illud, de fidei per charitatē
 formatione, nō recipiamus. Reliquit itaq; nobis Bil
 lickius D. Augustini hac in re autoritatem solidā, &
 ex ea dogmatis Maluendini de iustificatione per ope
 ra consummanda, confutationem euidentem & cer
 tam. Videamus nūc & de D. Bernhardi testimonijs.

ASSERTA AVTORITAS D. BERNHARDI.

ET ex hoc ergo præclaro sanè & ardenti, si quisquam S. patrū, iustificationis præcone, duo adduxeramus testimonia, ad comprobandū, quod nostra iustitia in hac uita, nullis possit nostris operibus, ut Maluendę dictum habet: sed necesse habeat consummari Dei misericordia, & iustitia Christi, ut nos cum ecclesia Christi catholica prædicamus: utrumq; testimonium supra ascriptum est. In quibus illa maxime respeximus, quæ & tu pie lector consideres.

Pag. 96. et
sequentib.

Meum meritū miseratio Dñi. Si misericordiæ Dñi multæ, ego multus in meritis. Domine memorabor iustitiæ tuę solius. Ipsa enim est & mea: nempe factus es mihi tu iustitia à Deo. sufficit ad meritū, scire quod nō sufficiunt merita. Itē: Merita habere cures: habita, donata noueris: fructū speraueris Dei misericordia.

Quid enim posset dici clarius, & ad refellendū noua ista dogmata, iustificationē nostrā nostris consummari operibus, & nostra opera esse uitæ æternæ meritoria: aut ad confirmandū, quod nos cum ecclesia prædicamus, omnē nostrā & iustitiā & iustificationē, inchoari, perfici, & cōsummari, planè gratuita Dei misericordia, & iustitia quę sola absoluta est, Domini nostri Iesu Christi. Si nanq; etiam bonis operibus cumulatilimi uiri, ponūt omne suum meritum in Dei misericordia & iustitia Christi, & ad suum meritum iudicant sufficere, scire, quod sua merita ad percipiendum uitam æternam non sufficiunt, quæ tandem erunt nostra illa bona opera, quæ possint haberi uitæ æternę meritoria, ut Maluenda & Billickius audent affirmare? Hæc uerò Diui Bernhardi testimonia, quanquam ad eò sunt clara & euidentia, & ad confutandum utrunque aduersariorum deo-
peribus

peribus dictum, quod iustificationem consumment, & quod sint uitæ æternæ meritoria efficacissima, tamen Billickius dicere ausus est, ea tam facere pro ipsis: ut quando de re hac agendum fuisset, putarint illa ijs potius qui merita negant, esse obijcienda. Nec enim D. Bernardum uoluisse his aliud dicere, quàm iustitias, quatenus meæ sunt, non cantabo, sed quatenus tuæ, id quod omnes teneant & dicant, quotquot Christo uerè credant. Hæc ille.

Deplorandâ
hic uide audâ
ciâ Billickii.
Hæc pag. 155.

Vides uerò pie lector, quæ & quanta in D. Bernardi testimonijs Billickius transilierit, ut suum meritum esse Dei miserationem, & ideo se iustitiæ Dei solius uelle memorari, quod hæc etiam sua sit in Christo, qui factus ei sit iustitia à Deo. Item, sufficere ad meritū, scire quod merita nostra non sufficiunt: eoque curandum quidem esse, ut merita habeamus, sed nō minus, ut illa esse Dei dona agnoscamus. & nec sic tamē ea ad percipiendum fructum uitæ æternæ sufficere censeamus, uerū hunc fructum sola speremus misericordia Dei in Christo. Hæc tanta fulmina Billickius fortiter dissimulauit, & dicit se putasse ista D. Bernardi testimonia obijcienda esse illis, qui merita negant. Nos fatē, ut satis de nobis testati sumus, merita non negamus, siquidem dicas merita, quæ D. Bernardus: & tribuas illis hoc nomē eodem, quo hic uir Dei, significatu, qua de re mox dicemus plenius.

Quæ clarissima contra se D. Bernardi testimonia Billickius strenue transilierit.

Sensu Bernardi nos merita nō negamus.

Sed uide quid adijciat Billickius, & quàm illud ad rem faciat. Nec aliud uult, inquit, D. Bernardus in Canticis dicere, quàm iustitias, quatenus meæ sunt, nō cantabo, sed quatenus tuæ Domine. Vbi quæso tale siquid legisti, nō dico in hoc sermone, qui totus est de fiducia salutis quæ habetur in uulneribus Christi, sed in uersis huius uiri scriptis; Mira uerò interpretatio,

D. Bernardus scribit se cantare non suas iustitias, sed Dei misericordias. Billickius hæc peruertens, dicit Bernardum cantare suas iustitias.

tio, quæ ex diametro pugnat & cum uerbis, & cum sensu eius scriptoris, quæ susceperis interpretandū. Lege igitur tu pie lector, Sermonē hunc ipsum 61. totū, & uide si uerbū unū sancto huic uiro exciderit, de canticis suis iustitijs, quantumlibet ex spiritu Dei & gratia factis. Si, inquit, misericordiæ Domini ab æterno, & usq; in æternū, ego quoq; misericordias Domini cantabo, nunquid iustitias meas? Domine memorabor iustitiæ tuæ solius. Ipsa est enim & mea. Vide quā abfuerit hic uir Dei, ut suas iustitias cantaret. Et ne quis hanc Dei iustitiā, cuius memorari uult solius, eam intelligeret, quam ipse ex spiritu & gratia Dei fecerit, subiicit: Nēpe factus es mihi tu iustitia à Deo, iustitiā itaq; non factam à se, hic uir Dei per Dei iustitiam, sed Christum ipsum, & illius iustitiam intellexit. De qua ita subiicit: Nunquid mihi uerendum, ne non una amobus sufficiat? Nō est pallium breue, quod secundū prophetā nō possit operire duos, iustitia tua, iustitia in æternum. Quid longius eternitate? Et te pariter, & me operiet largiter, larga & æterna iustitia. Et in me quidē operiet multitudinē peccatorū: in te autē Domine, quidē nisi pietatis thesauros, diuitias bonitatis? hæc in foraminibus petreæ reposita mihi. Quid autem opus uerbis? Susceperat D. Bernardus interpretandū, & tradendum illud in Canticis Salomonis, Colūba mea in foraminibus petreæ: & exceperat alterius cuiusdā interpretationē, qui per foramina petreæ, Christi uulnera intelligenda docuerat: atq; hinc duo potissimū docere intendit, & urget toto isto sermone. Vnum, omnē salutis fiducia in nullis nostris meritis aut iustitijs, sed totā ponendā & figendā esse, & quidē firmissimē, in solis uulneribus & iustitiā Christi, qui sua morte nostra expiauit peccata, & gratiā nobis atq; uitā æternā meruit. At que

Non cantat
iustitias suas,
sed deplorat
peccata sua,
D. Bernhar-
dus.

1. Cor. 1.

D. Bernhar-
dus iustitiam
Dei, quæ &
sua, efficit
Christum intel-
lexit.

Nota, Obre-
get in me
multitudinē
peccatorum.

Que Bernhar-
dus doceat
Sermone 61.
in Cantica.

que in his tantis foraminibus petrae, id est, uulneribus Christi confirmat inueniri infirmis, quos turbat peccatorum conscientia, tutam & firmam securitatem, & requiem, ut quantumuis fremat mundus, premat corpus, diabolus insidiet, tamen non cadant, qui in hac petra consistant. Alterum quod docet, est, ex his ipsis uulneribus Domini suppetere sanctis omnem pro Christo patiendi tolerantiam, consistendumque eius fortitudinem. Hinc supra, cum S. patrum autoritate astrueremus salutis certitudinem, quam uera in Christum fides affert, bonam ex hoc sermone partem nostris responsis adscripsimus. Ut autem pie lector uidere adhuc clarius possis, quid hic uir Dei de suis cantet iustitijs, etiam in Christo factis, nam quae extra Christum sunt, eas non iustitias, sed opera agnouit esse impietatis, & merita gehennae, lege quaeso & expende que subscribam, ex ser. huius uiri 5. De dedicatione: Si ipsam (loquitur de anima sua) prout in se est, & ex se, iuxta rei ueritatem intueor, nihil de ea uerius sentire possum, quam ad nihilum esse redactam: quid modo necesse est singulas eius miseras numerare, quam sit onerata peccatis, obfusa tenebris, irretita illecebris, pruriens concupiscentijs, obnoxia passionibus, impleta illusionibus, propterea semper ad malum, in uitium omne procliuus, postremo totius confusionis & ignominiae impleta. His descripsit ut uides, hic uir Dei iustitiam, quam credentes & sancti homines praestare ualent ex facultatibus naturae suae, dum non agunt ex gratia, id est, ut renati, & acti a spiritu S. Nunc uide quid senserit de iustitijs, quas ex spiritu Dei, & gratia spiritus S. ipse fecit, certe pereximias, si conferant nostris. Nimirum si ipsae quoque iustitiae nostrae omnes, ad lumen ueritatis inspectae, uelut pannus menstruatae inueniuntur, iniustitiae deinceps quales reputabuntur, si lumen quod in nobis est tenebrae sunt, ipsae tenebrae quantae erunt?

Nota, iuxta rei ueritatem. Vide, quantum peccati consistetur hic remanere in sanctis. Iustitia naturalis quae.

Bernhardus

En hic habes rationem, cur anima fidelis debeat se agnoscere, dum se non remota gratia (ut aduersarij loquuntur) sed sub gratia, in se tamē ipsa, cōsiderat iam oneratam peccatis, offusam tenebris, iam irretitā illecebris, & c. Si enim quod in nobis lumen est, inquit, tenebræ sunt, hoc est, si illæ iustitiæ, quæ tamen iustitiæ sunt, à iustitia scilicet Christi in nos deriuatæ, abominandæ adhuc sunt per se, si non gratuita Dei misericordia & iustitia Christi purgantur & perficiantur: quid debeāt haberi reliqua in nobis, quæ naturæ sunt, & nō regenerationis, donatæq; diuinitus iustitiæ? Et pondera quæso huius uerè Euangelicæ confessionis uerba singula. Si, inquit, iustitiæ nostræ, non peccata, uel defectus nostri: & omnes, non aliquæ tantum, & hæ, non præcellentia diuinæ iustitiæ quasi obscuratæ & oppressæ, sed inspectæ ad lumen ueritatis, atque ideo etiam libratæ uerūna uerissimæ æquitatis & bonitatis, inueniuntur uelut pannus menstruata, iniustitiæ deinceps quales reputabūtur? Vide quid hic uir Dei iudicari & de ueris nostris iustitijs, quæ ut lumen nostrum à Deo patre luminum nobis inspirantur: & de falsis iustitiæ simulachris, quæ ex facultatibus naturæ relictae sibi, & non actæ à spiritu regeneratore sunt. Meritò igitur, & uera uerbi Dei fides, sensusq; spiritus sancti arguentis mundum de peccato, & Christum in omnibus glorificantis, concludit præmissa ad hunc modum:

Bernhardus.

Facile est cuiq; nostrū, si sua melius uniuersa, & sine dissimulatione uestiget, & iudicet sine acceptione personæ, attestari per omnia apostolicæ ueritati, & liberè proclamare: Qui se putat aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit.

En, cuiq; nostrū, inquit, Ergo & sanctissimi, iustitijsq;

stitijsq; ornatissimi homines, si sua vestigent uniuersa, cum qua naturæ sunt, tum quæ gratiæ noui hominis vestigent: & sine dissimulatione cum malorum operum, quæ bonis admiscuntur, tum insinceritatis mutilationisq;, quæ in bonis quoq; operibus semper deprehenditur, & iudicent hæc sine acceptione personæ, id est, remoto omni amore sui, simpliciter ex lege ipsa Dei, facile cuiq; eorum erit, imò non poterunt aliud, quam ueritati huic apostolicæ, Qui se putat aliquid esse cum nihil sit, se seducit, attestari per omnia.

Vnde igitur nobis spes salutis petenda? unde firmanda? Ex omnino gratuita Dei misericordia, & iustitia donata nobis, Domini nostri Iesu Christi: propter quem nos Deus, quanquam similes uanitati, & ad nihilum redactos, magnificat, apponit cor suum erga nos, uocat nos, qui nō sumus, ut simus, habet nos ceu thesaurum suum: uerum hæc nō ex operibus iustitiæ nostræ, sed ex se uocante, ex omnino gratuita sua erga nos charitate, propter filiū suū, in quo dilectio, & nos si bi dilectos filios habet. Ista igitur uide quam piè prædicet hic uir Dei:

Quid est homo, inquit, quia magnificas eū, ait fidelis & deuota cōfessio, aut apponis erga eū cor tuū? Quid? Sine dubio uanitati similis factus est homo, ad nihilū redactus est homo. Nihil est homo, Quomodo tamen penitus nihil est, quē magnificat Deus? Quomodo nihil, erga quem appositū est cor diuinum? Respiremus fratres: etsi nihil sumus in cordibus nostris, fortè in corde Dei potest aliud latere de nobis. O pater misericordiarum, ô pater miserorum, quid apponis erga eos cor tuum? Scio, scio: ubi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. Quomodo ergo nihil sumus, si thesaurus tuus sumus? Omnes gentes quasi non sunt, sic sunt

Bernhardus.

ante te, & tanquã in nihilũ & inane reputabuntur, si-
quidem ante te, sed non sic intra te. Sic in iudicio veri-
tatis tuæ, sed non sic in affectu pietatis tuæ. Nimirum
uocas ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt. Et non
sunt ergo, quia quæ non sunt uocas, & sunt quia uo-
cas. Licet enim non sint quantum ad se, apud te tamẽ
sunt, utiq; iuxta Apostolum, non ex operibus iustitię,
sed ex uocante.

Vide quid in
satis sanctis
sunt uiri in se
ipsis depre-
hendant.

Aliud spe
possidemus,
aliud re tene-
mus.

Hinc uerò ut oporteat pariter & angustari atq; humiliari
nos in nobis ipsis, consideratis omnibus nostris iusti-
tijs, quas nullas nisi ex gratia & spiritu Dei habere pos-
sumus, & rursus in Deo dilatari, & nos erigere in spẽ
certã salutis, ex gratiæ testamento cõfirmato nobis san-
guine mediatoris, id quoq; lege porrò in hoc ipso ser-
mone. Sic nimirum alloquitur præterea Deum hic
ipse scriptor: Sic consolaris in tua pietate, quẽ in uerita-
te tua humiliasti, ut magnifice dilateretur in tuis, qui me-
rito angustatur in uisceribus suis. Siquidem uniuersę
uiæ tuæ misericordia, & ueritas, requirẽtibus testamẽ-
tum tuum, & testimonia tua. Testamentum utiq; pie-
tatis, & testimonia ueritatis. Lege homo in corde tuo,
lege intra te ipsum de teipso testimonia ueritatis, etiam
hac communi luce iudicabis te indignum. Lege in cor-
de Dei testamentum quod firmatum est in sanguine
mediatoris, & inuenies quã longẽ aliud spe possi-
dere, quã re tenere uideris. Quid est, inquit, homo
quia magnificas eum. Magnus utiq;, sed in illo, siqui-
dem magnificatus est ab illo.

Ad hunc certẽ modum cantat uir hic Dei iustitias
suas, etiam ex gratia Dei & spiritu sancto factas, &
istud non hoc tantum in loco, sed passim. Vnum præ-
terea eius testimonium & breue adscribemus. Ex ser-
mone de uerbis Esaia 5. Cernere est, inquit, quã sit
iustitia

iustitia illa sublimis, quam sicut montes Dei propheta Bernardus:
esse miratur. Nostra enim si qua est humilis iustitia, re-
cta forsitan, sed non pura. nisi forte meliores nos esse
credimus, quam patres nostros, qui non minus vera-
citer, quam humiliter aiebant: Omnes iustitiae nostrae
tanquam pannus menstruatae mulieris. Quomodo enim
pura iustitia, ubi adhuc non potest culpa deesse?

Nostra iusti-
tia non pura.
Vbi culpa nō
potest deesse.

Ista iam cōfer optime lector cum dogmatis aduer-
sariorum, qui nostris bonis operibus audēt attribuere
iustificationis nostrae cōsummationem, & meritū uitae
aeternae: de quibus tamen non minus veraciter, quam
humiliter confiteri necesse sit, & quidē cum iustissimis
patribus, omnia esse velut pannus menstruatae mulie-
ris, impuraeque adeo, ut culpa eis deesse, à nobis scilicet,
non possit: Et memor sis quod confessionē illam Isaiæ
64. Omnes iustitiae nostrae, ceu pannus menstruatae,
attribuit sanctis patribus, eamque dicit non minus vera-
cem esse, quam humilem. Adversarij enim istam con-
fessionem non sanctis, sed impijs attribuunt, quasi ue-
rò uates sanctissimus se uoluisset adnumerare impijs;
aut possint impij de tali confessione glorificare.

Omnes iusti-
tiae nostrae
ceu pannus
menstruatae
Confessio est
etiā sanctissi-
morum pa-
trum.

Vides itaque quantam Billickius iniuriā sanctissimo
huic uiro D. Bernhardo faciat, cum ei tribuit, quod iu-
sticias suas, tamen nō ut suas, sed ut Domini sunt, can-
tari uoluerit. Quod etiam dictum omnino secum pug-
nat, & seipsum evertit, apud hunc quidem uirū Dei.
Nam quicquid facias, quod speciē habeat boni, si illud
non ex gratia & fide facias, & agente te ad id spiritu S.
id certē D. Bernhardo peccatum habetur, nō iustitia.

Quocirca apud D. Bernhardum dicere iustitias
non esse cantandas, quatenus nostrae sunt, & non gra-
tiae, ac spiritus sancti, nō minus habetur dictum, cum
adiectione oppositi, uel in quo nomini uerbum adiun-
gitur,

Iustitia quate-
nus nostra
est, & nō Dei,
perinde dicitur,
ut homo
quatenus nō
habet animā
rationalem.

gitur, quod illud evertit: quam si de homine dicas, nō debere laudari hominē, quatenus tantū animal sit, & rationali anima careat. Aut ut propius simile adferamus: si dicas de officio & opere uirtutis moralis, non debere celebrari officium, quatenus factum sit sine ratione, & respectu boni finis. Nam sicut quod sine ratione, & expetitione ueri finis sit, nullo modo opus est uirtutis moralis: & sicut nec homo est, qui non præditus sit anima rationali, ita neq; iustitia est ullo modo apud Christianos, quæ non constat ex gratia regenerationis, & actu spiritus sancti.

Nullū potest cogitari bonum opus remoto ab animo spiritu sancto & gratia.

Quemadmodū ergo nulla omnino res uel cogitari quidē potest, nedum laudari, & cantari talis res, si ab ea id remoueas, quo solo illud est quod dicitur: ita nec iustitia ulla, uel ullum bonum opus in mentem uenire Christiano hominī unquam queat, quatenus hominis ipsius est, detracta, ut illi loquuntur, gratia, & remoto spiritu sancto. Remota enim gratia, & seposito spiritu sancto, quicquid in homine est, & ab homine sit, Christianis, ut toties diximus, atq; euidenter etiam supra demonstrauius, uitium & peccatum est, quantumcūq; habeat speciem uirtutis & beneficii.

Opus bonū, ac ideo factū ex gratia, debet considerari bifariā, ut est in se, & ut acceptatur a Deo.

Id autem quod uerē est iustitia, & bonū opus, quia ex gratia & spiritu sancto factum, hoc ipsum potest & debet bifariam cōsiderari. Vno modo in se, & ut in nobis existit, & à nobis fit, ex ipsa tamē gratia, & actu spiritus sancti. Altero modo, ut acceptatur, & remuneratur à misericordia Dei propter Christum. Priore enim modo, considerata nostra iustitia, & nostra bona opera, quoniam culpa nostra fit ut ea legi Dei in hac uita haudquaquam satisfaciant, eōq; à lege etiam nūdamur, quantumuis sint ex gratia & spiritu sancto profecta, nulla omnino eis merces debetur, sed habēt potius

potius opus uenia suæ cum impuritatis, tum imperfectionis. At si altero modo nostra iustitia & bona opera contemplantur, iam quia cuique operi & creaturæ Dei id debetur, quod Deus cuique decreuerit, laus illis & merces debetur: sed ex misericordia gratuita Dei, & propter iustitiam perfectam Christi, ex qua causa ipse etiam homo faciens iustitiã acceptus gratusq; Deo factus est.

Hæc subijcere hic uoluimus, quo plenior & euidentiore esset assertio autoritatis, & huius sanctissimi uiri Bernardi. Nunc tandem concludendū est, diuinis scripturis dissonū esse, dicere, nostra opera esse uitæ æternæ meritoria: atq; ea de causa uoces istæ, Merces, mereri, meritum, prius explicandæ sunt.

EXPLICATIO VOCVM, MER-
ces, Mereri, Merita.

Mercedis nomen in diuinis scripturis haberi, pieq; usurpari, nos quidem nunquam inficiati sumus. quare actum agūt aduersarij, cum hoc nobis probare student: & ineptit præ alijs hac in re Franciscus Romæus, Dominicanus ille, qui ad ductis locis illis (Heb. 13. Talibus hostijs promeretur Deus, et Ecclesiastici 16. Omnis misericordia faciet locū unicuique secundum meritum operum suorum) ita nobis insultat: Ecce igitur tibi perfide nauseator, ex sacris literis, non tantum mercedis nomen, sed etiam meriti iuxta opera. Atqui Heb. 13. legitur ἐναρξῆται, id est gratum fit Deo. Voluit enim spiritus sanctus hic docere, Deum habere gratam beneficentiam et communicationem, hisq; hostijs delectari, nō Deum per illas ullo obstringi debito mercedis.

Et in loco Ecclesiastici, nō habetur meritum operum, sed opera tantum. Græcè enim ita legitur, Πάσῃ ἐλεημοσίῃ

In libro De liberalitate et necessitate bonorum operum.

Explicatio, Heb. 11. His hostijs placetur Deo.

Locus Eccles. 16. explicatus, Vnusquisq; secundū opera sua inueniet.

EEe

ἐλεημοσίῃ

ἐλεημοσύνη ποιήσει τόπον, ἕως ἄρα κατὰ τὰ ἔργα αὐτῶ ἐνε-
σται. *Omni misericordiae faciet locum, unusquisq; se-*
cundum opera sua inueniet.

Sed ad rem. Nemo nostrum unquam non agnouit,
Deum praedicari in scripturis, reddere & supplicia ma-
lis, & praemia bonis operibus, & utraq; sub nomine
mercedis, eoq; uocari Deum *μισθαποδοτήν*, id est, mer-
cedis retributorem. Illud autem iuxta agnoscendum
Heb. 11. *Merces duplex, debita, et non debita.* nobis est, & docendum, nomen Mercedis, quae bo-
nis rependitur operibus, usurpari bifariam. Aliquan-
do pro non debito, sed plane gratuito officij uel labo-
ris alicuius debiti praemio. ut cum paterfamilias filio
suo uel seruo pollicei & reddit aliquid premij non de-
biti, pro officio diligenter quidem obito, sed tamen
debito. Debet enim filius et seruus suo patrifamilias,
quaecunque ad eius gratiam & utilitatem possunt
praestare: his autem, cum quae debent, quamlibet di-
ligenter perfecerint, ille non debet: teste Domino Lu-
cae 17. ne gratiam quidem, ne dum mercedem.

Aliquando autem accipitur Merces pro compen-
satione officij aut laboris debita, idq; siue ex pacto, si-
ue ex communi lege, eaq; uel publice constituta, uel
inscripta hominum pectoribus. Deberi enim gratiam
omnes agnoscunt eis, qui nobis aliquid liberaliter
commendarint. De hoc genere mercedis loquitur

Praemia Dei Apostolus Rom. 4. Operanti uero merces deputat,
merces uocatur, sed non debita. non secundum gratiam, sed secundum debitum. Qua-
lis merces deberi nobis a Deo non potest.

Nam nos filij & serui Dei sumus, facti toti & re-
fecti a Deo, & ab eius plane gratuita benignitate cu-
cta bona accipimus, in ipso uiuimus, mouemur, & su-
mus: quocirca debemus huic patri & Domino nostro
logi & plura & perfectiora officia, quam in hac uita
unquam

unquam præstemus. Ac proinde quicquid Deus nobis mercedis repēdit, id cōstat eum repēdere nobis charitate & benignitate omnino gratuita, & non ex ullo aut debito, aut cōdigno. Atq; ideo p̄spiciū est, sp̄ritū sanctū, cum in scriptura sua prædicat Deū, se ipsum & sua sanctis suis polliceri, offerre, exhibere, & quasi retribuere, sub mercedis nomine, usurpare hoc nomen significatione generali, qua etiā nō debi tam cōpensationē, mercedē uocamus: & non cōtractiore illa, qua significat cōpensationē laboris, uel opere debitā, et cōdignā, cum qua nimirū: labor uel opera, cui ea rependit, possit ulla ratione facere paria. Hæc de nomine mercedis, deinde de uerbo merere, uel mereri, & meritum. Mereri igit̄ latinis significat, operā uel laborē mercede præstare. ut Alciatus scripsit in l. Urbana. De uerborū significatione. uel ut Donatus, aliquid mercedis pro labore parare, uel sumere, uel dignū esse. Attamē dicit̄ etiā latinē, aliquē laudem & præmia mereri: sicut & uituperationē, pœnam et supplicia. Et dicitur aliquis mereri de aliquo, qui beneficium, uel maleficiū, in aliquem confert. Vt cūq; autem uerbum hoc usurpetur, semper significat facere, aut præstare aliquid, quod non debeas, & propter quod cum id præstiteris, tibi aliquid ceu merces debeat, si non ex singulari pacto, uel publicis legibus, tamen ex lege humanitatis, & gratitudinis, quæ constituit unumquemque debitorem ijs, à quibus beneficium acceperit. Iam nos Deo nihil omnino facere aut præstare ualemus, qđ ei nō debeamus, aut p̄pter quod ipse nobis debere aliqd possit, præstare ei operæ uel officij merito. Proinde scriptura nusq; dicit sanctos, cū benefaciūt, aliquid mereri de Deo: cumq; sancti patres ita loquūtur, liquet eos

Quid mereri significet.

Mereri inter homines significat facere aliquid, cui merces debetur.

Quæ scriptura non tribuit sanctis aliquid mereri de Deo.

u(er)bo h(oc), Mereri, abuti pro eo q(ua) est facere aliquid Deo gratū, cuiq(ue) Deus mercedē rependit nō debitā.

Ita & Meriti nomen, si usurpetur propriē, certum est, significare aliquod officium, aut beneficium, cui merces debeatur. qua de causa diuinæ scripturæ nec ista appellatione bona sanctorum opera uspiam dignantur: cumq(ue) sancti patres id faciunt, dubium nō est, eos & isto nomine abuti, pro operib(us) gratis Deo, & quæ ille gratuita mercede remuneratur. Multo uerò minus uocātur hæc opera in diuinis scripturis meritoria. Meritoriū enim dici cōsueuit, quod sit expolitum questui: uti dicitur puer meritorius, meritoria terna, meritoria nauis. Iam sancti sua bona opera nō cauponantur Deo, nec uolunt esse eius mercenarij, qui minus quā serui in domo eius manent, sed que ualent bona faciunt, ut Deo suo exhibeant debitum cultum, & glorificent nomen eius, sicut nimirum decet amantes patris sui filios, & frugi seruulos. Proinde scripturæ bona opera, hoc titulo multo minus dignata sunt. Nec sancti patres, quod equidem legisse me memini. Et si apud aliquem attributa bonis operibus hæc appellatio reperiatur, hoc durior est ea

τὰ χροῖς.

His itaq(ue) titulis spiritus sanctus, optimus prædicandi dona Dei artifex, bona sanctorū opera nusq(ue) exornauit. Illud autē copiose prædicat, neminē quicq(ue) pie & rectē facturum, cuius non certā & per amplam a Deo mercedem expectare debeat, etiamsi tantū potulum aquæ frigidæ alicui Christi nomine ministrauerit. Voluit enim in hominibus studium bonorum operum sic excitare, sustinere, inflammare, ut tamen & Deo, suis omnia gratis præbenti, suam gloriam adsereret: & sanctis, qui nihil Deo facere aut præstare

Matth. 10.

N. arci 9.

præstare possunt, quod ei non debeant, suam serua-
re modestiam.

In Ecclesiasticis autem precibus, & in S. patrū scri-
ptis receptæ pridem sunt hæc uoces, Mereri, & Meri-
ta: sed hac significatione, ut merita uocentur cuncta
pietatis officia, quæ Deus dignatur liberali, & non
debita mercede compēfare. quanquam hoc uerbum
in precibus Ecclesiasticis, plerunq; etiam accipitur,
pro dona & beneficia Dei gratuito percipere. Orat
enim ecclesia Deum, nunc ut purificatis mentibus ei
seruire mereamur: nunc ut ipso largiente mereamur
esse, & inter prospera humiles, & inter aduersa secu-
ri: aliquando, ut ab imminentibus peccatorū nostro-
rum periculis ipso mereamur protegente liberari. In
his enim precibus quid significat uerbum, Mere-
mur, aliud quàm, accipiamus? Idem ualeat cum ora-
tur, ut & patientiæ Christi habere documenta, & re-
surrectionis consortia mereamur. Item cum orat, ut
peccatorum nostrorum indulgentiã percipere me-
reamur. Sed quid opus multis? Nemo non ipse ui-
det, in his & similibus precibus, Mereri, idem polle-
re, atque gratia & dono Dei, quæ petuntur, percipi-
re & consequi.

Græci in suis Ecclesiasticis precibus, nullo tali uer-
bo utuntur. Orant misericordiam & opem Dei, & ut
Dominus ipsos idoneos faciat, ad dignè peragēda &
percipiēda sacra eius mysteria, ad inueniendum gra-
tiã eius. In qua precandī formula utuntur his uerbis,
ἀξιώσου, ναταξιώσου, μαρωσου, quorum forsan uerborum
significantiã Latini per uerbū Mereri exprimere uo-
luerunt, cum orant Deum, ut excitet corda nostra, ut
purificatis ei mentibus seruire mereamur, ut adsit
supplicationibus nostris, ut ipso largiente esse mere-

*Oratio in do-
minica 2. Ad-
uentus.*

*Oratio sabbat-
to post Inuo-
cauit.*

*Oratio super
populum feria
2. post Oculi.
Sabbatho post
Oculi.*

*Dominica in
Palnis.*

*Feria 3. post
Palmarum.*

*Græcorum Ec-
clesiastica pre-
cationes purio-
res.*

amur & inter prospera humiles, & inter aduersa securi. Et in similibus precibus.

*Quæ dicantur
merita in pre-
cibus Ecclesia-
sticis.*

Reperit & meriti nomen frequens in Latinis precibus, ac etiã in antiquioribus, atq; eo purioribus: sed eo significatur usurpatum, sicut constat & S. patres hoc nomine esse usus, qui fidei & pietatis officia i-
deo tantum merita uocarunt, quod ex arbitrio libe-
ro factis Deus mercedem rependit, quanquam non
debitam. In oratione enim cœne Domini memorât,
Christum Iesum Dominum nostrum Iudæ & latro-
ni diuersa intulisse stipendia meritorum. At latronis
merita, quanquam nec ulla, nec parua in oculis mi-
sericordiæ Dei fuerint, tamen quis dicat ea, ut in se-
ipsis, ac quatenus etiam profecta erant à spiritu san-
cto, & ex gratia Dei, fuisse illi meritoria uitæ æternæ
ex condigno, quanquam ea Deus propter Christum
suum eousq; grata & accepta habuerit, ut mercedem
illis uitæ æternæ rependerit.

Tantidem uerò tum habuisse ecclesiam latinã cū-
cta sua merita, quando istæ preces fiebant, & di-
cebantur cum fidei intelligentia, argumento esse po-
test uel una hæc oratio, quam secundæ dominicæ Ad-
uentus deputarunt: Placare quæsumus Domine, hu-
militatis nostræ precibus, & hostijs: & ubi nulla sup-
petunt suffragia meritorum, nobis succurre presidijs
per Dominum nostrum Iesum Christum. Expende
pie lector quid istud sit, Vbi nulla suppetunt suffra-
gia meritorum: quod indubiè experiuntur omnes
sancti, cum sentiunt, sua examinari merita in iudicio
Dei, & ex lege Dei.

Hac ipsa, & non ampliore significatione, & S. pa-
tres bona sanctorum opera, merita uocasse, uel ex eo
satis

fatís intelliges, quod *Diuus Augustinus meritum* *In Epistola ad*
 facit fidei, qua misericordiam Dei in Christo am- *Sixtum pres-*
 plectimur: & orationis, qua salutem à Deo ora- *byterum.*
 mus: unde & publicanum illum, quem Domi-
 nus dixit descendisse de templo, præ phariseo iu-
 stificatum fuisse scribit, merito fidei suæ, & humi-
 lis precatōnis.

Sed his obijcient aduersarij tot Ecclesiasticas La *Obiectio de col-*
 tinorum orationes, in quibus Dei inuocatur miseri- *lectis in quibus*
 cordia, & rogantur beneficia per sanctorum merita: *memorantur*
 eoq; contendunt, authores harum orationum sensis- *merita diuorū.*
 se, bona sanctorum opera tantū esse apud Deum me-
 riti, ut non ipsis modo sanctis, qui ea fecerunt, sed a-
 lijs quoq; ualeant apud Deum, ad impetrandum sa-
 lutem, cæteraq; eius beneficia.

Reperiuntur quidem apud Latinos, & hos re-
 centiores, tales ecclesiæ preces: non autem apud ue-
 teres, nec Latinos nec Græcos, etiam recentiores,
 qui tamen iam precibus Ecclesiasticis admiscuerunt
 Diuorum *ἱεράς, ἰστορίας καὶ προσβίαις*, id est, preces, sup-
 plicationes, & intercessiones, atque ceu ad Deum
 legationes. Veteres certè & Latini & Græci, nec in-
 tercessiones, nec merita diuorum suis publicis pre-
 cibus inseruerunt. Sed orabant in sanctorum me-
 morijs dari sibi, ut illorum fidem, doctrinam, atque
 uitæ totius pietatem possent imitari. id quod ple-
 raq; formulæ precandi etiam apud Latinos relictæ, *Vide collectas*
 docent. In quibus scilicet ecclesia orat Deum, ut det *in memorijs a-*
 populo suo, amare quod illi crediderunt, & prædica- *postolorū Ca-*
 re quod docuerunt. Et cum conspiciat nos ex nostra *lixiti papæ. Ce-*
 infirmitate deficere, ut ipse nos ad amorem suum mi- *cilia, Clemen-*
 sericorditer per sanctorum suorum exempla restau- *tis, Eustachij.*
 ret. Item: Ut qui nos solennitate sanctorum suo-
 rum

rum letificet, det nobis hos quos ueneramur officio, etiam pię conuersationis sequi exemplo. Itē ut qui in sanctorum suorum cordibus flammā dilectionis sue fecit ardere, det nostris mentibus æternæ fidei charitatisq; uirtutem: ut quorum natalitia colimus, uirtutem quoque passionis imitemur: & quorum gaudeamus triumphis, proficiamus exēplis. Sic in memoria D. Ioannis baptistæ orat ecclesia: ut huius hortamenta sectando, ad eum quē prædixit perueniat. Et in memoria apostolorum Petri & Pauli: ut horum in omnibus sequatur præceptū, per quos religionis sumpsit exordium. In memoria D. Stephani: ut imitari possit quod colit, ut et ipsa inimicos suos ualeat diligere. Et in memoria D. Ioan. Euangelistæ: ut huius illuminata doctrinis, ad dona perueniat sempiterna.

*Puræ collectæ
ueterum in me-
morijs diuorū.
rum.*

*Vnde & quo
tempore impu-
ritas in preces
Ecclesiasticas
irrepperit.*

Ad hūc modum puræ sunt, & Euangelio Christi consonæ, illæ Ecclesiasticæ preces, quæ relicte sunt pro Diuorū memorijs, ab antiquioribus illis & uerioribus Episcopis, qui cum Christi disciplina puram eius doctrinam administrabant, uerbo & ceremonijs. Sequentibus uerò temporibus, & prolapsa te cum uigore disciplinæ, synceritate doctrinæ, diuorum & intercessionibus & merita tantum non æquari cœperunt intercessioni & meritis Christi. Atque hinc in preces diuorum memorijs deputatas irrepperunt primū diuorum intercessionibus, mox & merita. Et utraq; hoc impurius, & alienore ab Euāgelio forma, quo est quæq; illarum preces temporis posterior. Nec enim tam alienum ab Euangelio Christi sonat, cum oratur Deus, ut ipse donet & faciat diuos pro nobis orare, atque ut uelit ipsorum quoq; intercessionibus sua nobis beneficia largiri, ut pleræq; collectæ habent: quàm est, cum oratur, ut no-

ut nobis sanctorum merita ipsa, peccatorum remissionem, à periculis liberationem, & aternitatis gloriam conferant: qua forma non pauca ex postremi temporis precationibus composita sunt.

Quibus tamè cum à Deo per Christum hic oratur, ut sanctorum nobis intercessionem & merita prosint, ab euangelio Christi id non tantopere discrepat, atque illud quod postremo tempore inuectum est, ut homines ipsos diuos implorent, illorumque meritis certas oportulandi facultates adscribunt. Quod enim à Deo oratur, & per Christum Dominum, id eo agnoscitur nobis non deberi, ac ne gratuito quoque nobis dari, nisi propter meritum Christi.

Hæc itaque cum iam habeant, ut nemo non ipsa rei euidencia fateri cogatur, sinceritatem publicarum ecclesiarum precationum, apud Latinos tempore inclinasse, atque grauiter esse labefactatam, prout inclinauit sensim apud eos & miserum in modum collapsa est, sicut Christi disciplina, sic & doctrina & caeremonia omnes, non debemus tanti facere, quæ in hæc ecclesie Latinae precationes, de diuorum, aut ullorum hominum meritis tempore confusa sunt: minimè uerò earum premi auctoritate, quas constat ecclesijs esse tum obrutas, quando illæ iam seruiebant episcopis planè cæcis & dormientibus, qui nec norunt quidem quod sit episcopi munus, quid ue poscat gregis Dominici procuratio.

De illo tamen Dei haud uulgari beneficio, nunquam dignas Deo agemus gratias, quod ab huiusmodi publicis latinorum precationibus auertit, ne Diui in illis per sacerdotem ipsi inuocentur populi Christi nomine, ut in Litanias, & quas uocant Sequentias admissum est: deditque, ut quæcumque in his diuorum intercessionibus & meritis deferuntur, ea tamen ut gra-

Ut Diui ipsi propter eorum merita inuocentur, inuectum postremo tempore:

Precationes Latinorum quæ Diuis tribuit magna merita, non merentur auctoritatem.

Magnū Dei beneficium publicas ecclesie precationes apud Latinos omnes fieri ad Deū, nullam ad Diuos.

tuita diuinæ misericordiæ dona, petuntur ab ipso uno Deo, & patre nostro, & per unum filium eius mediato rem & conciliatorem nostrum Christum Iesum.

Quocirca si urgeamus τὸ πῆτόν in illis latinæ ecclesie precationibus, quascunq; aduersarij obijciant, quæ diuorum meritis tribuere plusculum uideantur, nunquam tamen uel ex impurissimis harum concludere possunt, quod affert nouum dogma Billickij, bona iustificatorum opera esse uitæ æternæ meritoria. Cùm enim in his precationibus, quicquid diuorum tribuitur intercessionibus uel meritis, id totum non ab ipsis diuis, sed à misericordiâ Dei, & per Dominum nostrum Iesum Christum petitur: eo ipso, qui sic orant, cõfitentur ut dixi, & testantur, se ea quæ à Deo per diuinorum intercessionem & merita orant, agnoscere, esse gratuita Dei dona, ne ipsis quidem diuis, per quorum illa merita orant, debita, utcunq; Deus & eo diuos suos glorificet, ut propter ipsos etiam hominibus beneficiat.

Nam & nos istud libenter agnoscimus atq; prædicamus, Deum sanctorum suorum bona opera remunerari, non tantum in ipsis, uerum etiam in ijs qui ad illos pertinent, & pro quibus ipsi intercedunt, promisit enim se diligentibus, & suis præceptis studentibus benefacturum in mille generationes. Hinc domum Abimelech regis, non nisi Abraham intercedente, sanare uoluit: & Mosæ donauit salutem totius populi, cum pro eo intercederet: D. Paulo animas omnium cum ipso nauigantium, numero centum septuaginta sex. Ista autem pietatis sanctorum remuneratio & cohonestatio, rependitur quidem bonis ipsorum operibus, non debetur aut ullis eorum operum meritis. Quare nec ex hac causa dici conuenit, esse illorum bona opera tanta mercede digna, aut eius meritoria, Sed concluden-

Quicquid
precaiones
Latinæ orat
diuorum me-
rita, id orant
a Deo, ut gra-
tuitum bene-
ficiunt.

Uendum tandem est de usu harum uocum.

DE VSV ISTARVM VOCVM, MERERI,

Merita, & Meritoria: Conclusio.

Nouimus Christianis, sicut rerum omnium, ita & uocum eam esse libertatem, ut uti possint quibuscunque uelint uocibus & uerbis, etiam si illa scriptura non tradiderit, modo illis utantur ad glorificandum Deum in Christo Domino. Si igitur sancti patres, aut alij, per Mereri intelligant, facere ex fide gratiae Dei bona opera, quibus Deus mercedem promissit, & respondit: uel simpliciter percipere Dei beneficia, uel ad percipiendum ea fieri idoneos, ut plerique sanctorum patrum hac uoce usi sunt: hoc sensu usurpare istud uerbum nos minime damnamus, modo si qui hoc uerbo uti uelint, sensum eum satis explicent, ne cui ex hoc uerbo laqueus aliquis obijciatur erroris. Ita si qui per merita intelligant, facta ex fide Christi bona opera, quibus Deus mercedem pollicitus est: & fateantur simul, ea opera per se ut bona sunt, hoc est, ut facta ex spiritu sancto & gratia, nullam tamen omnino mercedem à Deo mereri posse ex condigno (quo scilicet significatu & sancti patres bona sanctorum opera merita uocarunt) cum his nos de nomine, cum de re conueniat, nihil contendemus. Nec etiam si quis talis opera uelit uocare meritoria.

Monebimus tamen eos, qui his uelint nominibus S. patrum exemplo uti hoc tempore, ut diligenter caueant. Primum, ne causam sibi hasce uoces usurpandum sumant, uel ex praeposito in usitatum hominibus loquendiratione studio, uel ex fastidio irreligioso in ea quae à nobis iuxta Dei uerbum non tam nouantur, quam ad primam suam formam reuocant: aut certe in nos, qui uerba & doctrinas inuectas humanitas, traditis per spiritum

Quomodo
S. patres uti
sunt nomine
meritorum.

Quae cauenda usurpantibus uoces has, Mereri, Merita, Meritoria.

Cur nos qui
his uocibus
non utimur,
ob id repre-
hendi non
debeamus.

Quare spiri-
tus sanctus
Mercedis no-
mine utitur
in scripturis
suis tam sepe,
& meritori
uel mereri
nunquam.

sanctū studemus permutare. Deinde, ne dum homi-
num, quàm spiritus sancti dicendi rationē malunt se-
qui, insinuent imprudētes, cum uerbis alienis, senten-
tias quoq; exoticas, atq; ita loquantur in ecclesia Dei,
non sermones Dei: fidemq; Christi quam debebant
edificare, reuera labefactent. Postremo, ne in nobis re-
prehendant, quod & in uerborum delectu spiritū san-
ctum, quàm ullos sequi homines, fatius ducimus. Pre-
sertim cum uideamus, in quàm horribilem gratiæ Dei
& meriti Christi obscuracionem, imò contumeliam
harum usurpatione uocum præcipitarint, qui tot iam
seculis potestatem loquendi in ecclesia sibi solis uendi-
cant. Nec enim temerè est, quod spiritus sanctus præ-
dicat tam libenter & frequenter, Deum bonis operi-
bus rependere mercedem: & ne uno tamen in loco di-
cit, eos huiusmodi operibus aliquid de Deo mereri:
nec uocat ea opera merita uel meritoria, cum tamen no-
men meriti ita sit ad nomen mercedis affectum, ut hoc
posito, & illud uideatur poni debere. Quid iam dice-
mus huius tanti de meritis silentij causam fuisse: nisi
quòd cum prædicatur Deus reddere electis suis pro bo-
nis eorum operibus, quæ tamen Deus ipse in eis effi-
cit, mercedem, id pertinet ad amplificandā Dei admi-
rabilem in nos charitatem & indulgentiā. Quis enim
non in eo agnoscat infinitam Dei in nos bonitatem &
benignitatem, cum audit Deum polliceri nobis, redde-
re mercedem pro ijs nostris bonis operibus, quæ ipsi
tamē debemus: & debemus multo, quàm unquā exhi-
bere ea possumus, perfectiora: quæ deniq; magis eius
in nobis, quàm nostra opera sunt & dona? At si dixis-
set, nos benefaciendo de Deo aliquid mereri, an non
inde ea, quæ tamen obrepit, opinio hoc facilius sese
insinuasset, hominem posse aliquid boni facere, quo
Deum

Deum sibi debitorem reddat mercedis:

Nos itaq; qui non nostrum, sed Dei nomen & bonitatem, & unicum diuinæ bonitatis cōciliatorem, dominum nostrum Iesum Christū prædicare debemus: atque ideo cauere modis omnibus, ne homines se aliquid, cū nihil nec sint, nec possint, esse & posse putent, indeq; salutem suam à Christo Domino minus auide petant: rectè & piè facimus, cum secuti spiritum sanctū hoc studiosè prædicamus, quàm benigna Deus mercede bona sanctorum opera remuneretur: ipsa tamen bona opera, nec merita uocamus, nec meritoria, nec dicimus à Deo nos per illa quicquam mereri: nedum tantam, quantam ille mercedem rependit.

Nec enim illa ualet consecutio, Deus rependit bonis operibus mercedem temporariam & æternam: ergo ipsa bona opera uocantur appositè, & habentur merita, & meritoria. Cōmodeq; dicitur, homines suis huiusmodi bonis operibus eam, quam à Deo pro illis recipiunt, mercedē mereri ex condigno. Ea enim quam Deus suis dat pro bonis operibus, generali tantū uocis huius usu merces uocatur, merces scilicet non debita: ad quam nimirum non sequitur, esse ea quibus illa repēditur opera, merita, aut meritoria, aut mereri illam eos qui ista opera faciunt.

Id qui uis facilè agnoscat, qui tantum consideret, quod supra posuimus, exemplum patrisfamilias, officia liberorum & seruorum suorum, ex sua liberali benignitate, & ex nullo prorsus debito remunerātis, idq; longè supra illorum officiorum dignitatē & præcium. Quanquam nec istud simile, infinitam istam inter nostra officia, & mercedem Dei inæqualitatē satis representet. potest enim paterfamilias, filijs & seruis suis officia sua ipsi fideliter & diligenter faciētibus, obstringi

Consequen-
tiam istā non
ualere, Deus
rependit ope-
ribus suorū
mercedē, er-
ga ea opera
sunt merita,
uel merito-
ria.

Applicatio
exempli pa-
tris familias
liberorū &
seruorū offi-
cia supra me-
ritum remun-
nerantis.

debito aliquo, ex lege saltem communis humanitatis, quali Deus nobis hominibus nullo modo obstringi potest, postquam nos ex nihilo condidit, & nostra bona opera in nobis ipse efficit: cum pater familias nec liberorum suorum sit cōditor, nec quicquam boni operis queat in filijs uel seruis suis efficere. Cū ergo fateri oporteat, mercedem filijs & seruis, quam à patrefamilias accipiunt, non esse debitam: nec ex eo quod illa patrisfamilias gratuita benignitas merces uocatur, & est, cōcludi, ea opera quibus illa rependitur, esse merita uel meritoria, aut filios & seruos eam mercedē mereri: quāto igitur minus potest effici, nostra erga Deū officia esse, & propriē uocari merita, aut meritoria: uel illis nos Deo aliquid mereri, ex eo quod Deus mercedem uocat, quæ nobis suis filijs & seruis ad nostra officia, beneficia rependit. Hæc de usu harum uocum, Mereri, Merita, & Meritoria.

CONCLVDITVR, OPERA NOSTRA NON
 posse, nec dici rectè, nec esse meritoria uitæ æternæ
 ex condigno, ex uerbis Domini, Lucæ 17.

Explicatio
 dicti Domini,
 Dicite, inuites
 serui sumus, Luc. 17.

Dominus Iesus hoc loco dixit: Quis ex uobis habet seruum arantem & pascentem, qui regresso ab agro dicat statim, Transi & accumbe: ac non potius dicit illi, para quod cœnem, & præcinge te, ac ministra mihi donec edero ac bibero, & post hæc edito ac bibito & tur: Num gratiam habet seruo illi, quia fecit quæ ei imperata fuerant? Non puto. Sic & uos, cum feceritis omnia quæ præcepta sunt uobis, dicite: Serui inuites sumus: quod debuimus facere, fecimus. Vide, homo seruo suo, quem non fecit, cuiq; nullam uiuendi uel agendi uim suppeditat, tamen nullam debet pro ullo officio gratiam, nedum mercedē, propterea quod seruus

seruus ipsi debet quæcunque potest ei officia præstare: & Deus scilicet, qui nos fecit, & planè ex nihilo, & sanguine filij sui sibi rursus redemit, solusq; largitur, seruat & agit, quicquid boni sumus, possumus & agimus, debet nobis non modò gratiam, uerùm etiã mercedem, & debitam, id est ex condigno, cum ipsi quæ debemus officia, utcunq; conamur potius facere, quàm facimus? Quare igitur nò audimus Dominum iubentem nos fateri seruos inutiles, etiã cum fecimus quæ nobis præcepta sunt omnia. quod de se illi tantum possunt gloriari, qui mentiri aulint & Deo, & sibi ipsis, se nullum habere peccatum?

Obserua uerò, quisquis amans es euāgelij Domini nostri Iesu Christi, quam causam Dominus subiiciat huius confessionis, quam non minus uerã, quàm humilem (nec enim docet ullã uanitatẽ ueritas Dei) nos facere præcipit. Quia fecimus, iubet dicere, quod debemus. Quod enim quis iam antè debet, id cū facit, nullam pro eo meretur uel gratiam, nedum mercedem debitã: quam merentur, qui faciunt quod nò debent. Vnde & Apostolus scripsit, se prædicati euāgelij mercedem non fuisse habiturum, nisi illud ultro & gratis *ἐκὼν, καὶ ἄδ' ἁπ' αὐτοῦ* prædicasset, propterea quod ei incumberet euāgelij prædicandi necessitas, & uè sibi fuisset nisi illud prædicasset, postquam ei huius erat dispensatio commissã. i. Cor. 9.

Nemini potest deberi gratia, nedum merces, pro eo quod alius debet amplius.

ALTERA DEMONSTRATIO EX VERBIS

Spiritus sancti. Si ex gratia, non ex operibus. Roman. 11.

Quicquid Deus nobis donat sua omnino gratuita benignitate, illud ex nullis nostris nobis operibus contingit, eoq; nec deberi nobis potest ullo modo. Si enim, inquit Paulus, ex gratia, iã nò ex operibus: id est,

ex

ex operum merito, alioqui gratia non esset gratia: si uero ex operibus, hoc est, ex operum merito, iam non ex gratia, alioquin opus non esset opus: hoc est, id quod factum & collatum Deo dicitur, ut ei à Deo aliquid gratiæ uel mercedis deberetur, non esset id quod dicitur, tale scilicet opus & meritum. Rom. 11.

Constat autem, gratia, id est, omnino gratuita Dei benignitate, nobis contingere quicquid boni contingit: non enim gratia erit ullo modo, nisi gratuita fuerit omnino, ut inquit D. Augustinus, & Apostolus, Quid habes quod non accepisti? 1. Cor. 4. Et quis prior contulit ei quicquam, ut reddat ei? Nam ex ipso, & per ipsum, & in ipsum omnia. Rom. 11. Gratia Dei seruati sumus, & Deo reconciliati, & in Christo ad bona opera conditi: & hoc non ex nobis, non ex operibus, ne quis gloriatur. Ephes. 2. Proinde sicut D. Paulus, ita iustificati omnes, quicquid boni sunt aut faciunt, ex gratia sunt & faciunt, 1. Cor. 15. Atqui si nobis Deus ex gratia cuncta bona confert, perspicuum est, nihil boni eum nobis præstare, ne temporarium quidem, ne dum æterna bona, ex operibus nostris, hoc est, merito operum nostrorum.

TERTIA DEMONSTRATIO EX VERBIS

Spiritus S. enunciata per D. Ioannē: Ipse est propitiatio pro peccatis nostris. 1. Ioan. 2.

NEMO dici potest suis mereri operibus uitam æternam, aut opera facere uitæ æternæ meritoria, qui quantumlibet multa bona fecerit, tamen uitam æternam percipere non potest, nisi malefactorum propitiatione & expiatione, & non nisi expiatione ac propitiatione facta per filium Dei, & facta per ignominiosissimum & acerbissimum eius supplicium.

Nemo unquam iustificatorum, ita bonorum operum

rum diues fuit, aut est, qui præter hanc peccatorum suorum propitiationem & expiationem, quam perfecit morte sua filius Dei, salutem sperare possit. Apostolus enim Iohannes pro se, & cunctis ab orbe iustificatis, & iustificandis, dixit: Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & ueritas in nobis non est. Si autem confiteamur peccata nostra, fidelis est, & iustus, ut remittat nobis peccata, & purget nos ab omni iniquitate. Vnde cum dixisset, Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem, Iesum Christum, iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris: adiicit, Et non solum pro peccatis nostris, sed etiam totius mundi: hoc est, omnium electorum ad uitam de mundo.

Perspicuum igitur est nullos iustificatos posse opera habere uitæ æternæ meritoria.

Dolendum sanè est, tot oportere uerba facere, de re tam non solum in diuinis scripturis clarissimè atque copiosissimè contestata & prædicata, uerùm etiam in piorum omnium mentibus & fidei sensu inscripta penitissimè, & altissimè infixæ. Dum autè ad uersarij & scripturarum & sanctorum patrum auctoritatem contrà iactitant, tam confidenter, uisum est istam doctrinam Christi partè, paulo plenius cum explicare, tum adserere: ad confirmandum in ea infirmiores, & ad instruendum ad eius defensionem minus exercitatos.

ET DIUVM AVGVSTINVM SENSISSE, BONA iustificatorum opera non ideo tantum non esse apud Deum meritoria, quia sunt ei debita, & eius gratuita dona: uerum etiam ideo, quod sunt impura, & imperfecta.

IN gratiam itaq; horum, qui aut iudicio de his rebus sunt imbecilliores, aut ad tutandam sacram de

istis rebus doctrinā minus parati, occurrēdū nobis est calumniā, quam alioqui ij forsan qui inter aduersarios nostros sunt attētiores, nobis ex dictis nostris struerēt, fucumq; inde his minus firmis & instructis fratribus facerent, criminādo, nos conari ex scriptis diui Augustini plus pro nostro dogmate probare, quā ille senserit. Nam causas nos cur iustificatoriū opera non sint uitæ æternæ meritoria, non solum adserimus has duas, quod ea Deo debemus, id quod agnoscunt omnes: & quod sunt Dei gratuita dona, atq; adeo magis illius in nobis, quā nostra opera, quā causam diuus Augustinus plurimū urgere solet: uerū etiā, quod ea in se, ac proinde non detracta, imo inclusa bonitatis eorū ratione, quam inde totam habent, quod facta sunt ex spiritu sancto, & gratia, etiā impura sunt, & imperfecta: hoc est, nec omnino sincera ac simplici uoluntate, seruiendi Deo, nec etiam quanto debemus studio perfecta: quā causam dicent fortē aduersarij, diuum Augustinum non ita urgere.

Monendum igitur te Christiane lector duximus, ut obserues diligenter, quæ Pelagianæ impietatis capita olim, ut tota Catholica ecclesia, ita & pro hac diuus August. oppugnāda susceperit, & quæ in cuiusq; oppugnatione potissimū urgeat. Sunt uerò tria, quæ ecclesia & hic uir Dei in dogmatis Pelagianorū præcipuè oppugnant: Homines non trahere nascendo peccatum ab Adam, Gratiam dari secundum merita, Et homines in hac uita posse ad tantam peruenire iustitiam, ut nullum habeant peccatum. Vide libro ad Bonifacium, contra duas Pelagianorum epistolas, tertio, capite octauo, item lib. De bono perseverantiæ, cap. 2.

Vbi itaque diuus Augustinus docet, gratiam non dari

Tria Pelagianorum dogmata, quæ ecclesia olim præcipuè oppugnavit.

dari secundū merita, in illis locis urget causam hanc, *Bona sanctorū*
 cur dici propriē non possit, nos aliquid de Deo me- *opera magis*
 rerī, ita scilicet, ut Deum debitorem nobis constitue *Dei, quā san*
 remus, quod Deus ex omnino gratuita sua gratia, & *ctorum opera*
 fidem ipsam & charitatem, indeq; natam bene faci- *sunt.*
 endi uoluntatem, & opera ipsa bona, donat & in no-
 bis efficit: ut cum coronat merita nostra, nihil aliud
 coronet, quā munera sua.

Sed cum asserit, in nemine mortali quamlibet san *In epistola ad*
 cto & bene agente, tantam esse iustitiam, ut nullum *Sixtum.*
 habeat peccatum: eoq; & post lauacrum regenerati *Hic nemo san-*
 onis, necessariam esse peccatorum remissionem. In *ctorū uiuit si-*
 his locis, docet nostram iustitiam omnē dum hic ui- *ne peccato.*
 uimus esse impurā, & imperfectam. Impuram, quia
 peccata semper habemus, eoq; cor nō planē purum
 in dilectione & cultu Dei bona operatur. Imperfe- *Iustitia nostra*
 ctam uerō, quia dilectio Dei in nobis non tanta ui- *hic est impura*
 get, quantam Deus a nobis iure suo requirit. *et imperfecta.*

Quocirca ad perfectionem iustitiæ, ad quam san- *Paulus ipse*
 cti in hac uita proueniunt, docet requiri perpetuam *cursum sui con-*
 & peccatorum confessionem, & pro uenia peccato- *summationē in*
 rum precessionem. Adeo, ut & de diuo Paulo scribat, *remissionē pec-*
 ad eius cursus cōsummationem, de qua gloriatur *catorū posuit.*
 Timoth. 4. etiā hoc pertinuisse, peccata dimittere de *Iustitia huma-*
 bitorib. suis, atq; ita sibi, ut dimitterētur, orare. Atq; *na omnis, ue-*
 hac Domini de remissione peccatorū pollicitatione *nia opus habet*
 fuisse certissimum, in illo fine, quem adhuc futurum, *peccati: meri-*
 fidendo dicebat impletum: nullum se habiturū pec- *tū igitur asserit*
 catum. Vide libro 2. De meritis & remissione pecca- *ex cōdigno pœ-*
 torū, cap. 16. Ita & de alijs sanctis, quib. scriptura hāc *ne, nō premij*
 laudem tribuit, quod fuerint irreprehensibiles, scri-
 bit eodem libro, capite 7. Ideo prædicari fuisse irre-
 prehensibiles, quod se, dum hic uiuerent, ueraciter

reprehenderit, ueniamq; peccatorum, pro qua orat
semper omnis sanctus, suppliciter rogauerunt.

Ex his sanè liquet, etiam diuum Augustinū agno-
uisse, cunctā iustificatorū iustitiā esse hic cū impu-
ram, tum imperfectam, atq; ideo legi Dei, requiren-
ti iustitiam & puram & perfectam, quia dilectionem
sui ex toto corde, &c. nondum satisfacere. Ex quo &
illud consequitur, ut hanc tam impuram & imperfe-
ctam iustitiam, iustificatis hac ipsa sua impuritate &
imperfectide, pœnæ potius debitum, adferre, quàm
premiij aut mercedis. Non possunt igitur huius iu-
stitiæ officia dici merita, uel meritoria uitæ aeternæ
ex condigno.

De qua re lege quæ hic uir Dei scripsit per secun-
dum librum De peccatorū meritis & remissione, to-
tum. Item per tertium totum, & ultimam partem
quarti libri, contra duas epistolas Pelagianorum, ad
Bonifacium. Item per secundum, contra Iulianum.
Vnum tantū locū adscribā ex libro de spiritu & lite-
ra, cap. 32. Vbi cū uir Dei tractaret initiū Psal. 103.
Benedic anima mea Dominum, & ne obliuiscaris o-
mnium retributionum eius, &c. & uenisset ad illud,
secundum suam uersionem, Qui coronat te in mise-
ratione & misericordia: subiecit ista,

Nemo habet mundū cor. no, redditurus unicuiq; secundum opera eius, quis
Nemo mundus à peccato. gloriabitur mundum se habere cor, aut quis gloria-
bitur mundum se esse à peccato: Ideo illi necessari-
um fuerit, commemorare miserationem, & miseri-
cordiam Domini, ubi iam exig i debita, & reddi me-
rita sic possint uideri, ut nullus esset misericordiæ
locus. Coronat ergo in miseratione & misericor-
dia, sed etiam sic secundum opera. Segregabitur e-
nim ad

Ecce coronā &
mercedē non san-
ctorū meritis, sed
Dei misericordiæ
sanctis peccata re-
mittentis tribui-
tur.

nim ad dexteram, cui dicatur: Esuriui, & dedisti mihi manducare. Quoniam iudicium sine misericordia, sed illi qui non fecit misericordiam. Beati autem misericordes, quoniam ipsorum miserebitur.

In his obserua, primùm neminem in iudicio Dei gloriari posse, habere se cor à peccato mundum. Deinde, quod necessariū sit omnibus ad miserationem Domini confugere, si enim exigì deberent debita, & reddi merita, non fore locum misericordiae. Postremò, quod quanquam sancti iubentur adire hæreditatem suam, quia opera pia fecerunt, hoc ipsum tamen esse Dei donum gratuitū misericordiae. Cum his iam ut congruat dicere, iustificatorum opera esse uitæ æternæ meritoria ex condigno; tu Christiane lector iudica.

REPULSA AVDACIA PERQVAM IMPV-

dens Francisci Romæi Dominicani, in sententiam Aposto-

li, Operanti uerò imputari mercedem secundum debitum.

Quāquā hæc fufius quā propofueramus retractauerimus, dissimulare tamē non potui singularē audaciam Romæi Dominicani, qui scribere ausus est, & ad cardinalem Romanum, se de homine fideli, & bona faciēte, inferre ex scripturis cum Apostolo: Ei tamē qui operatur, imputari mercedem, nō secundum gratiam, seu mauiſ, liberalitatē, sed secundum debitum, seu condignum. Eoq; ait, se gratiā ſtatuerē, non deſtruerē. Maximam enim gratiam eſſe, ut conferatur homini ſine meritis, ut merendo faciat ſibi Deum debitorem.

Quid poſſit uerò dici Apoſtoli uerbis & ſententiæ, atq; uniuerſæ ſcripturæ æquē aduerſarium: Et tamē ingeritur iſtud nobis cōmentum ſub autoritatis, *Operanti uerò merces ſecundū debitū, Ro. Paulinæ 4. explicatū.*

Paulinæ obtentu, & uerborum eius prætextu. Apostolus enim hoc loco docere instituit, ex Abrahamæ patris omnium credentiũ exemplo, & testimonio Dauidis, fide homines iustificari apud Deum, & beatificari, & non ex operibus. Aitq̃, qui iustificantur operibus, eos non habere de quo glorientur apud Deũ, eisq̃ imputari nõ iustitiam ex gratia, sed mercedem ex debito. Vide, sicut fidem operibus, ita debitũ opponit Apostolus gratuita imputationi: mercedẽ, iustitiã, & felicitati gratuito imputate; idq̃ non in uis homine, sed in sanctissimo patre Abraham, & religiosissimo rege Dauide, quorum uterq̃ bonis operibus fuit deditissimus. Quod igitur aliud poterit esse debitum, quod opponitur gratiã, quã gehẽnã quã merces opposita iustitiã & felicitati, quã æternã perditio & gehẽna ipsa? Quid deniq̃ iustificatio ex operibus, quã nullam scilicet habet gloriã apud Deum, quã ad gehẽnam condẽnatio? Quos enim Deus iustificat, eos & glorificat, ut gloriatiõẽ apud Deum habeant terram & sempiternã. Apostolus autem clarẽ dicit: Si Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriã, sed non apud Deum. Item: David dicit, beatificationem eius hominis esse, cui Deus imputat iustitiam sine operibus, &c. Quid igitur potuisset dici clariũ cõtra id, quod Deus aliam quã peccatæ mercedem possit etiam sanctissimorũ hominum operibus debere, si nõ ex sua illis gratuita misericordiã, peccata quã habent non imputet: imputet autẽ iustitiam quam non habent, id est, iustitiam filij sui, quam ipsi non præstiterunt?

Cum ergo tanta sit hostibus gratiã Christi adhuc audaciã, ad detorquendum contra Christi gratiam illa quoq̃ scripturarum & S. patrum testimonia, qui
bus

bus illa maxime adseritur & predicatur, debent profecto se omnes ueri Christi ministri, imò omnes Christum professi, contra horum & argutias probe munire, & audaciam solide instruere religiosa lectione, cum primis Apostoli, tum etiam S. patrū, & maxime eorum D. Augustini librorum, quos paulo supra citauimus. Ad hanc itaque rem, ut meam quoque rudioribus harum pugnarum operam conferrem, tractando ista hucusque excurrendum putauimus.

AN IUSTIFICATI POSSINT SVIS BONIS operibus legem ita implere, ut reddant Deo, & hominibus, quæ debent.

Altera hæc questio est, earum que pertinent ad tertiam realem inter nos & aduersarios controuersiam, ad quam ipsam quoque satis iam responsum est. Et aduersarij ipsi confessi sunt, legem hic neminem implere: siquidem uerbum hoc Implere legem accipimus simpliciter pro eo quod est, id præstare solide quod lex iubet. Billickius enim in responsione & reprehensione sua, qua ex nostris Axiomatis expedit & reprehendit, dixit, se admittere, quod omnes sancti dum hic uiuunt, sine peccato non sunt. At qui peccatum habet, transgressor est legis, non impletor. Quid enim est peccatum aliud, quam legis D. transgressio? Nemo itaque sanctorum, consentientibus aduersarijs, hic præstat solide, quæ lex iubet: nemo igitur eam hic implet, nemoque reddit Deo & proximo plene, quod debet. Perspicuum igitur est, illud quod aduersarij per Maluendam posuerunt in sua propositione septima, Eum, cui hic remissa peccata sunt, posse auxilio gratiæ Dei, sic implere Dei præcepta, ut Deo & proximo reddat quod debet: ex diametro pugna- re, non solum cum scriptura Dei, concludete omnes
sub

Quid implere legem.

Billickius concedens neminem hic esse sine peccato, cõces sit eo etiã hoc, neminem hic implere legem.

sub peccatum, & cum sanctorum omnium confessio-
ne, qui nunquam non habere se peccatum confiten-
tur, cumq; eorum ad Deum precationibus: pro ue-
nia enim peccatorum orat omnis sanctus: uerumeti-
am cum ipsorum aduersariorum admissione & con-
cessione.

*Quis auxilij
diuini ad obe-
diendum legi
eius huic uitae
admensus sit.*

Siquidem auxilium gratiae Dei intelligamus, or-
dinarium illud quod Deus suis hic impertit, illis, qui
& sunt, competit precari, Remitte nobis debita no-
stra. Certum est enim Deum, cui per se nihil est im-
possibile, posse homini eam legis suae perfectam obe-
dientiam etiam in hac uita donare, quam dabit in fu-
turo seculo. Nobis autem cum sermo est, quid hic ho-
mines auxilio Dei possint, sentiendum & loquendum
est, de Dei auxilio, pro eo modo, ad quem ipse illud
promisit: deq; uis & efficacia eius id nobis polliceri,
& sumere, quod ipse uerbo suo descripsit, & est polli-
citus. Sed obiecit Billickius hos ex Apostolo lo-
cos: Qui diligit proximum, legem impleuit: Alter al-
terius onera portate, & sic adimplebitis legem Chri-
sti. Sed cur non perpendit simul, qui sit a Domino no-
bis modus diligendi proximum, & onera eius por-
tandi prescriptus. Requirit enim Dominus, ut diliga-
mus proximum, & quemlibet etiam maximè inama-
bilè, & nobis inimicū, sicut diligimus nosmet ipsos,
& sicut ipse nos dilexit: atq; portemus quorumlibet
proximorum onera, ita ut uelimus nostra portari one-
ra ab alijs, utq; ipse nostra onera portauit & portat,
qui ea morte sua expiauit.

*Explicatur de
dilectione im-
plente legem,
Rom. 13. &
Gal. 5.*

In hoc, inquit D. Iohannes, cognoscimus dilectio-
nem, quod ille posuit pro nobis animam suam, & nos
debemus pro fratribus animas ponere. Nota, De-
bemus.

bemus. Vnde uerò, si non ex lege Dei: Legem igitur hanc, & uniuersam impleuit, quisquis de ista & tanta queat proximi dilectione uerè gloriari. Id autem quis poterit, nisi qui ausit gloriari, se immunem iam esse ab omni peccato, nec necesse habere precari cum sanctis Dei, Remitte nobis debita nostra: Si itaq; hoc sibi hic nemo sanctorum sumit, nemo etiam sibi eiusmodi attribuere dilectionem, qua lex impletur, eoq; nec legis impletionem, quæ tota continetur & consummatur, id est, ἀνακεφαλαιῶται, præcepto dilectionis erga proximum, quæ nimirum à Dei dilectione uera accenditur & sustinetur. Hinc iam ipse iudica pie lector, num existere in hac uita quisquã possit, qui reddat & Deo & proximo, quæ eis debeat.

Sed dicent aduersarij, esse filijs Dei quendam implendæ legis modum definitum, ad quem qui peruenierint, eos posse dici perfectos: si uerò perfectos, cur non etiam legem Dei implere, & Deo atque proximo quæ debeant reddere?

Est sanè modus quidam fidei & obedientiæ legis diuinæ, quem qui assecuti fuerint τέλει, id est perfecti, absoluti & consummati dicuntur. Quales erant inter quos Paulus loquebatur sapientiam Dei. 1. Cor. 2. Omnes scilicet Christi spiritu præditi, & qui de sua imperfectione rectè sentiunt, quos Apostolus τελείως uocat, Philip. 3. Item, Qui inimicis & malis benefaciunt, perfectam imitati bonitatē patris sui coelestis: Matth. 5. Hoc item nomine uocantur: Heb. 6. qui eò iam in Christo profecerunt, ut solidi cibi in Domino capaces sint. Omnis autem horum perfectio requirit, ut ea perfecti, confiteantur se cum Apostolo, Philip. 3. nõdum esse perfectos, quia non comprehendisse Dominum, ut ab eo sunt cõprehensi, Requirit, ut debita sua, quæ

Est quidã
iustitiæ im
perfectæ
modus, se
cundũ quẽ
homines di
cuntur per
fecti.

Deo & proximo debeant, & confiteantur, & sibi o-
rent remitti.

D. Bern-
hardus præ-
cepta dile-
ctionis de
actuali ob-
iecto putat
intelligen-
da.

Super Can-
tica ser. 50.

Inclinat quidem & D. Bernardus in eam senten-
tiam, ut putet legem hanc datam, atq; mandatum hoc
formatum de dilectione quæ operis sit. Nam tractans
illud, Ordinavit in me charitatem, duplicem ponit cha-
ritatem: aliam in actu, aliam in effectu. Non quod ex-
istimet posse ulla præstari charitatis opera, sine aliquo
charitatis affectu: sed quod perpendebat, neminē tan-
tam posse hic præstare dilectionis affectionem, quan-
tam verba legis diuinæ postulant. Vnde & affectionē
bonam duplicem ponit: unam, quam uocat siccā, sed
fortem: alteram pinguem & suauem, illam relinquit ui-
tæ præsentī, hanc adserit futuræ: quanquam huius ali-
quod initium & profectum, hanc quoq; uitam ex gra-
tia Dei experiri posse, non negat. Consummationem
autem defendit futuræ felicitati. Et sanè fortem oportet
esse eum dilectionis affectū, quo illa præstari que-
ant opera, de quibus data dilectionis præcepta, hic
quoq; scriptor agnoscit: ut sunt, diligere inimicos, be-
nefacere ijs qui nos oderunt, esurientem inimicū pas-
cere, sermones Domini seruare: facere omnia ea homi-
nibus, quæ uelimus illos facere nobis, animamq; po-
nere pro fratribus. Quis iam hæc dilectionis opera, e-
tiam ex ea affectione, quam hic uir Dei siccam, sed for-
tem uocat, ita se præstitisse agnoscat, ut nihil de illis nec
Deo nec hominibus debeat? Vt Deus iam illud ad de-
bitum nobis non deputet, quod ea opera non ex illa
facimus affectione, quam lex Dei postulat, quæ scilicet
totum cor occupet, totam animam, cum cæcisq; uires.

Ipsa animi
affectio in
præceptis
dilectionis
in primis
præcipitur

Sed nos Domini uerbis insistamus, quibus uide-
mus clarè nobis præcipi, memorata quidem dilectio-
nis opera: ipsam autem in primis dilectionem; id est,
animi

animi hanc affectionem. Nam qui cunctas facultates suas in cibos proximis suis dispenset, dilectionem uerò hunc animi affectum non habeat, nihil est. Sed quid opus uerbis? Si Dominus præceptis de dilectione, tantum dilectionis opera, qualicumque etiam sicca & arida affectione præstanda requisuisset, causa non fuisset illa toties ingeminare: In toto corde, in tota anima, in omni mente, in tota uirtute: & Sicut te ipsum. Ad quid etiam Apostolus 1. ad Corinth. 13. affectionem dilectionis tam latè patère docuisset, reddicq; ea hominem ita proximo beneuolum, & suauiter affectum confirmasset, ut ne commoueatur, aut infletur contra proximum, sed sit erga eum semper lenis, semper eius commodis intentus, ferat ab eo, & speret omnia, credat ei omnia?

Proinde nec D. Bernhardus repugnat, ut præcepta dilectionis etiam de affectuali dilectione intelligantur; dummodo acquiescamus, hæc præcepta minime in uita ista ab aliquo hominum posse, uel potuisse adimpleri. Quis enim, inquit, sibi arrogare id audeat, quod se Paulus ipse fatetur nondum comprehendisse? Quia uerò rationem nostram hoc non parum offendit, præcipi à Deo dilectionem, quæ hic implenda sit nullo modo, ut D. Bernhardus hoc loco ipse quoque fatetur; uide, quid hic ipse admiranti hæc rationi respondeat. Nec latuit, inquit, præceptorem, præcepti pondus hominum excedere uires: sed iudicauit utile, ex hoc ipso suæ illos insufficientiæ admodum, & ut scirent sanè ad quem iustitiæ finem niti prouerbibus oporteret. Ergo mandando impossibilia, non præuaticatores homines fecit, sed humiles: ut omne os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus Deo: quia ex operibus legis non iustificabitur omnis caro

Ecce, Bern-
hardus ag-
noscit De-
um man-
dasse im-
possibilia.

coram illo. Accipientes quippe mandatum, & sentientes defectum, clamabimus in cœlum, & miserebitur nostri Deus; & sciemus in illa die, quia non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit.

Augustinus.

Psal. 40.

Augustinus: Christus legem in suis implet.

Rom. 8.

Idem & D. Augustinus multis in locis docet de utilitate legis, eo ad Christum Dominum compellentis, quod iustitiam exigit à nobis impletu in hac uita impossibilem. Tamen alibi dicit, legem à nobis impleri, quatenus uiuit in nobis Christus. Viuunt, inquit, omnes fideles in nomine Christi, quisque pro gradu suo implens præcepta Christi, siue coniunges, siue cælibes & uirgines. Viuunt quantum donat Dominus eis uiuere: neque de suis uiribus præsumunt, sed nouerunt se in illo debere gloriari. Quid enim habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acciperis? Noli mihi dicere, Quis illud implet? Ille in me implet, qui uenit diues ad pauperem: pauper quidem ad pauperem, sed plenus ad inanem.

Atque hoc ipsum est, quod & spiritus sanctus per apostolum suum Paulum prædicauit, quando dicit: Cum nobis, ut impleremus legem, per carnis infirmitatem impossibile esset, Deum misisse filium suum, qui carne nobis peccatoribus factus similis, de peccato condempnauerit peccatum in carne: hoc est, de carne sua, quam in cruce hostiæ pro peccatis nostris obtulit, quæ diuinæ scripturæ idiotismo peccatum uocari solet, condempnauit peccatum in carne nostra, ut represso eo, diuina, id est iustitia legis in nobis impleatur, ambulantes non secundum carnem, sed secundum spiritum. Nouam enim & ad Dei legem conformatam uiuit filius Dei in credentibus sibi, cottidieque inflatur, tum demum eam consummaturus, cum renouato

trato per regenerationem perfectam corpore nostro, erit Deus in nobis omnibus omnia: cum caro in nobis non amplius repugnabit spiritui: non efficiet, ut quæ uolumus bona, ea tamen non faciamus, toto scilicet corde, tota anima, cunctis uiribus, ita ut Dei lex requirit. Hinc rectè & illud D. Augustinus scripsit, uirtutem quæ nunc est in homine iusto, perfectam hæcenus nominari, ut ad eius perfectiorem pertineat etiam ipsius imperfectionis & in ueritate cognitio, & in humilitate confessio. Tunc enim esse secundum hanc infirmitatem pro suo modulo, perfectam istam paruam iustitiam, quando etiã quid sibi desit intelligit. Ideoq; Apostolus & imperfectum & perfectum se dixisse: im perfectum scilicet, cogitãdo quantum illi ad iustitiam desit, cuius plenitudinem adhuc esurit & sitit: perfectum autem, quod & suam imperfectionem confiteri non erubescit, & ut perueniat bene procedit.

Ad hunc modum hic scriptor catholicissimus prædicat & testatur alijs quoq; in locis, de iustitiæ nostræ pro hac uita perfectione & imperfectione: adeoq; & de legis impletionem, inchoata quidem in iustificatis, quæq; instaurari in eis cotidie debeat, tum demum perficienda, cum perfecta fuerit nostra regeneratio. Nec iste solus, sed omnes ueteres orthodoxi patres ita de hac senserunt & prædicarunt. Quid enim clarius eo quod D. Hilarius in 51. Psalm. scriptum reliquit?

Spes, inquit, in misericordia Dei, in seculum & in seculum seculi est. Non enim ipsa illa iustitiæ opera sufficient ad perfectæ beatitudinis meritum, nisi misericordia Dei etiam in hac iustitiæ uoluntate, humanarum demutationum & motuum non reputet uitia. Hinc illud prophetæ dictum est, Melior misericordia tua super uitam, Vide quam hic uir Dei agnouerit in

Hilarius,
Nostra o-
pera non
sufficiunt
ad uitæ æ-
ternæ meri-
tum, quo-
modo igitur
sunt uitæ
æternæ
meritoria?

Nota. Sēper
uitia super-
sunt in uolū-
tate sancto-
rum.

Concilia A-
fricana.

iustificatis legis & iustitiæ impletionē, cum ipsa iustitiæ
opera ad perfectæ beatitudinis meritū neget sufficere,
nisi misericordia Dei humanarū uoluntātū & motuū
uitia non reputet. Atqui ubi supersunt uitia, ibi lex
Dei impleta non est. Et D. Hieronymus lib. 1. Dia-
logorū contra Pelagianos: Tunc ergo, inquit, iusti su-
mus, quādo nos peccatores fatemur: & iustitia nostra
non ex proprio merito, sed ex Dei consistit misericor-
dia: dicente sancta scriptura, iustus accusator sui est in
principio sermonis. Et in alio loco: Dic tu peccata tua,
ut iustificeris. Concluserit enim Deus omnia sub pecca-
to, ut omnibus misereatur. Item paulo post: Quid er-
go sapimus, imō quid sapere debemus, qui perfecti
non sumus? Imperfectos nos esse cōfiteri, & necdum
comprehendisse, necdum accepisse: hæc est hominis
uera sapientia, imperfectum esse se nosse. Idem scripsit
ad Ctesiphontem: Hæc hominibus sola perfectio, si im-
perfectos se nouerint. Hæc ille. At si debent se omnes
iustificati fateri imperfectos, de qua quæso legis imple-
tione sibi placeant? Proinde piē & uerē catholicis sy-
nodis Africanis dānauit ecclesia Christi anathema-
te, dicere, non omnium sanctorū ueram & propriam
confessionem esse, Si dixerimus, quia peccatū non ha-
bemus, &c. Item, In multis offendimus omnes, & Nō
est homo qui non peccet. Item, nō omnium ueram &
pro seipsis quoq; precessionem esse, Ne intres in iudi-
cium cum seruo tuo, &c. Et, Remitte nobis debita no-
stra. Et his decretis synodi, etiā Romana ecclesia sub-
scripsit. Sequentibus uerō & inclinantibus ecclesie
temporibus, nemo hoc caput euangelicæ doctrinæ pri-
marium retinuit purius atque solidius, uel prædicauit
cū ardētius, tum copiosius D. Bernhardo, ut clarif-
simē liquet ex eius sententijs supra adscriptis, quibus
unam

unam tantum hic adiiciemus, ea tractationē hanc clau-
furi. Perfecta autem, inquit, & secura gloriatio est, cum
ueremur omnia opera nostra, sicut testatur beatus Iob
de seipso: & cum Iesaja propheta, Omnes iustitias no-
stras non aliud quam pannum menstruatam reputan-
das esse cognoscimus. Nihilominus tamen confidi-
mus etiam, & gloriamur in Domino: cuius misericor-
dia tanta est super nos, ut à grauioribus quidē & quæ
ad mortem peccata sunt, custodiat nos: & tam benig-
nē, ipsa imperfectionis nostræ delicta, & conuersatio-
nis impuritatem nobis manifestare, & agnitam con-
donare dignetur, quatenus in humilitate & sollicitudi-
ne & gratiarum actione firmiter radicati, iam non in
nobis, sed in Domino gloriemur.

Ea, uereri debemus omnia nostra opera, idēq; e-
tiam si Iobi iustitiā, uiri à Deo ipso tantopore laudati,
affecuti essemus. Debemus agnoscere, omnes nostras
iustitias non esse aliud reputandas, quam pannū men-
struatam. Quibus igitur bonis operibus legi tandem sa-
tisfaciemus? quibus eam meritis implebimus, si sic
sunt reputandæ ipsæ nostræ iustitiæ, & eæ omnes?

Hæc itaq; Christiane lector diligenter & fideliter te-
cum reputes, & expendas. Nam his nititur doctrina
de iustificatione nostri, quā fide percipimus, tota. Et
enim qui cum ecclesia catholica scripturis Dei fidē sim-
pliciter accommodantes, sese ad legem Dei religiosē
examinauerint, atq; excusserint, indeq; agnouerint, eō
se iustitiæ in hac quidem uita proficere non posse, quin
orandum sibi adhuc sentiant, non modò pro iustitiæ
profectu petendo, ut fiat amplius in ipsis & ab ipsis
Dei uoluntas: uerum etiam pro peccatorū & delictorū
& debitorū suorū remissione precando, Remitte
nobis debita nostra: hi sanē diffiteri nunquā poterūt,
se legi

In sermone
in uerba Apo-
stoli, Qui glo-
riatur, in Do-
mino glorie-
tur.
Vereri om-
nia opera.
Esaia 64.

Peccata ad
mortem.

Delicta no-
stræ imperfe-
ctionis & im-
punitas con-
uersionis.

Summa de-
monstratio-
nis de iustifi-
catione fidei.
Nemo sine
peccato, er-
go lege om-
nes damnan-
tur, & per
Christum igitur salui iusti-
ficantur.

se legi Dei suis operibus satisfacere non posse, eorum iustitiam suam hic legi Dei semper adhuc condemnari: indeque non dubitabunt se necesse habere iustificari, id est, peccatis suis absolui, & uita aeterna donari per solam Dei gratuitam misericordiam, & unam Christi iustitiam perfectam, quam ut misericors Deus credentibus sibi euangelio filij sui promisit, ita etiam praestat omnibus qui huic suo euangelio uere crediderint.

Perspicuum est igitur, nos hac tantum fide, quae sola Dei patris gratia & Christi merito nititur, nulla hominum iustitia uel merito posse eam amplecti & tenere nostri à Deo iustificationem, qua aeterna nobis uita adiudicatur, uiuenda fruendaque hic inchoatè, & post hanc uitam consummatè. Ex quibus & illud constat, quanquam unusquisque pro modo fidei suae bona opera necessariò operatur, & Deus ea benignissimè remuneratur, mercede temporaria & aeterna: neminem tamen sanctorum ea sua bona opera posse existimare, esse uitae aeternae meritoria ex còdigno. Eamque ob rem sanctos omnes, mercedem uitae aeternae certò quidem expectare, ut in caelis ipsis per Christum repositam & seruatam, atque uirtute Dei per fidem custoditam: haud quaquam tamen ex ullo suorum meritorum iure aut debito: sed iure & debito aeternae electionis atque benedictionis Christi redemptoris, factaeque per euangelion, atque sacramentis ob signatae Dei patris & Christi seruatoris promissionis. His uideri poterant nostra posse absolui responsa, sicut ad ultimam, ita etiam ad omnes tres reales, inter nos & aduersarios de iustificatione controuersias: nisi arripuissent aduersarij notanda dicta duo, usurpata aliquando à Reuerendo patre & praëptore nostro, beatæ memoriæ, Luthe-
ro, & alijs quibusdam: Peccare sanctos mortaliter
in

in ipsiſ bonis operibus: & remanere peccatum in baptizatis, dum hic uiuunt: tum etiam ſugillatim, quam ſequimur, bonorum operum definitionē. Ne itaq; aliquid quod notarunt præteream, promiſi ſuprà, cum comprehenſas tertia reali cōtrouerſia quaſtiones recenſerem, etiam de hiſ nos aliquid dicturos eſſe: hoc nunc paucis Corollarij uice præſtādum exiſtimauimus. Primum igitur uideamus, ſi peccatū aliquod inſit in bonis iuſticatorum operibus.

AN PECCENT SANCTI IN BONIS SVIS
operibus mortaliter.

DOctor Maluenda in ſeptima ſua propoſitione, hoc ita nominatim negauit, ut uideatur uoluiſſe nos, tanq̄ illud affirmantes, notare. Quo igitur pateſcat, quo ſenſu dictū iſtud noſtri uſurparint, obſeruetur primum, Peccare dici in ſcripturis, aut non præſtare id quod lex Dei poſcit, aut admittere quod illa uetat. Peccare uerò mortaliter, peccare iſtud, q̄d *Triſ peccatorum genera, et triplex mortis meritum.* meritum inferat mortis. Id uerò ſcriptura docet triſaria fieri. Aliquod enim peccatū inferit meritū mortis irremiſſibile, ut pro quo ſpiritus ſanctus nō iubet orare, q̄d propterea uocat peccatū ad mortē. Sic Dñs dixit, blaſphemiam in ſpiritū ſanctū nunq; remitti. Alia uerò ſunt peccata, quæ inferūt meritū mortis, remiſſibile qdē, uerū nō, niſi peccare eiufmodi peccata planè deſinas. Talia ſunt peccata illa, quib. qui obnoxij ſunt, nō poſſunt habere partē in regno Dei. Sunt autē etiā peccata, quæ tãetiſ mortis meritū & ipſa ad ducāt, tamē ppter Chriſtū cōdonantur ijs quoq; qui *Peccata uenialia.* illis adhuc ſunt implicati. Tale eſt peccatū illud inhabitās in ſanctis, malaq; eius deſideria quæ excitat, & impedimenta quæ adfert molietibus piē uiuere: quæ dici aliàs ſolēt peccata uenialia, de quibus & Paulus

Illic queritur

queritur Rom. 7. exclamans: Miser ego, quis liberabit me à corpore mortis huius? Morti enim & hæc peccata per se obnoxios reddunt, ut uita Dei plenè perfrui, nisi his liberati, nō possimus. Nihil enim immūdum in eam ingredi. Siue igitur Doctor Lutherus, siue ex nobis alij ista uel sint loquendi ratione, et dixerūt, Iustificatos etiam suis bonis operibus peccare mortaliter: ea nihil aliud dicere uoluerunt, quàm, iustificatos, quæ bona faciunt, non facere tam puro, tamq̃ ardenti Dei studio, q̃ lex Dei postulat: hoc est, nō ex toto corde, tota anima, totisq̃ uiribus: ideoq̃ ut legis condemnationem, ita & mortem adhuc mereri, sed cuius meritū diluat omnibus iustificatis, sanguis Christi.

Qua de causa nouus, ut uideatur, hic sermo sit usurpatus. Quod uerò illi sic aliquādo locuti sunt, nulla id fecerunt uel nouitatis affectatione, uel contradicendi cuiq̃ libidine: multo uerò minus, ut bonis operibus quicq̃ detrah erent: sed uoluerūt eo homines efficacius monere, id qd̃ & sancti patres studiosè fecerūt, de impuritate & imperfectione iustitiæ propriæ, habentis corā Deo ut pannus menstruata: atq̃ ita potius eos excitare, ut Christo dño se plenius addicāt: indeq̃ omni iustitiæ studio, ut necesse est, Christo domino penitus insitos, magis incenderentur.

Ambrosius in lib. De fuga seculi. Peccatū itaq̃ in bonis operibus id ipsum intelligimus, quod diuus Paulus intellexit, quando querebatur, se qd̃ uolebat non agere: quod uerò nolebat, id agere. Item uelle sibi adesse, perficere aut̃ quod bonum sit, se non inuenire. Item de quo queritur & dicitur, nostrasq̃ cogitationes, etiā inter bona opera, ipsasq̃ preces de improuiso effusas, mentē animūq̃ confundere, atq̃ aliò trahere q̃ tu proposueris: nec raro efficere,

efficere, ut quod studeas vitare, hoc cogites, animo quod
 uoluas. Quod vitare, inquit hic uir Dei, est homini dif-
 ficile, exuere autem impossibile. Lege hunc locum to-
 tum, habes eum adscriptum a diuo Augustino in li-
 bro 4. contra duas epistolas Pelag. ad Bonifac.

Det dominus Iesus, ut ueris bonis operibus, ue-
 ro ipsius studio iuxta legem eius incubamus: sic sta-
 tim quisque nostrum sentiemus, quod non parum se pecca-
 ti etiam optimis nostris operibus insinuet: quam etiam
 necessario queramus cum prophetis, omnes nostras
 etiam iustitias esse ceu pannum menstruatę. Hinc uero fa-
 cile cognosci poterit ratio & alterius nostri dicti, quod
 aduersarij notarunt: Peccatum semper manere in iustifica-
 tis: & quod hoc peccatum uere sit, ac dicatur proprie.

IN RENATIS BAPTISMATE MANERE PEC-
 catum, dum hic uiuunt: idque peccatum dici debere, secundum
 propriam peccati rationem.

Hoc nostrum dictum dixit Billickius se pernegare, *Vide pag. 155.*
 quod contrarium sit scripturae sanctae, siquidem
 peccatum accipiat secundum propriam peccati rationem.
 Constituendum itaque est ante omnia, quae sit & dici de-
 beat ratio peccati propria. Nos certe secuti spiritum *Ratio peccati*
 sanctum, dicimus propriam peccati rationem in eo consistere *propria, re-*
 re, siquid uel existat in nobis, uel perficiscat a nobis, con- *pugnare legi*
 tra legem Dei. Peccatum enim *in avopixa* est, id est commis- *Dei.*
 sum aliquod contra legem: 1. Ioan. 3. Lex uero peccati, &
 peccatum inhabitans in sanctis, illa naturae nostrae totius
 aduersus Deum rebellio, de qua & apost. Paul. tanto pe-
 re querit, Rom. 7. aduersat sanae legi mentis, adeoque ip-
 si legi Dei, cui sancti mente consentiunt, & qua dele-
 ctantur. Quis igitur pius non agnosceret hanc relictam in
 nobis contra Deum rebellionem, et uere esse peccatum, et
 dici proprie, iuxta rationem peccati propriam?

Lex sanè uetat, contra se uel cōcupiscere: & requirit, ut diligamus sicut Deū, ita et se, uerbum Dei, non corde tantum, uerū etiam anima, id est animali affectione, & quidem tota, sicut et corde toto, atq; cūctis habitans in no uiribus. Atqui ab hoc legis capite pendet lex Dei u- bis peccatum. niuersa, & omnes prophetæ.

Transgressores itaq; sumus legis Dei, ab eaq; morte æterna condemnatur, quā diu non ea omnia, quæ secundum hanc legem rectè uolumus, facimus quoq; et perficimus: id est, ita facimus ex toto corde, totaq; anima, ut non solū nihil contrariū libeat, uerū etiā ut ab omnibus cogitatis, nedum dictis & factis quæ cū lege hac dissentiūt, toti abhorreamus, tanq; a morte & gehenna. Proinde Paulus ppter hoc peccatum in se adhuc inhabitans, exclamat, meritò semiserum, & morte implicatum.

Hanc rationē peccati spiritus sanctus obseruans, uocauit relictam in nobis & cordis et animæ & uirū cæterarū cōtra Deū rebellionē, peccatū ultra uires, in duobus tantum capitibus 6. & 7. Rom. Alibi uocat hanc pestē carnē, et carnis sensum, item ueterē hominē, membra supra terrā. His autē duobus capitib. non solū appellauit toties & simpliciter peccatū, uerū reddit etiam rationem huius appellationis, & hanc, quod ea aduersetur legi Dei, quæ sicut summū Dei atq; omnis uoluntatis eius amorem poscit, ita etiam clarè uetat ac damnat, ad contrariū uel afficit tantum, ullā ue eius cupiditate titillari. Octauo capite uocat etiam inimicitiam contra Deum: & id eo, quòd legi eius non subiiciatur, nec subiici quidem possit.

Nos uerò meritò agnoscimus, de his reb. quæ ad salutis doctrinam pertinent, neminem posse dicere magis

magis & propriè & salutariter, ipso spiritus sancto. Cumq; uideamus in quàm aduersam Deo doctrinã orbis sit per alienas à D. scripturis loquēdi rationes sensim abstractus, piè & religiosè facimus, dum ut nos & alios inter sententiam spiritus melius contineamus, etiã eius loquēdi rationem & uerba religiosè sequimur.

RESPONSIO AD OBJECTIONEM CON-

tra hæc, ex sanctificatione baptismatis.

Objiciunt uerò nobis contra hanc Spiritus sancti doctrinam, & loquēdi rationem, Billi-ckius & aduersarij alij, uim baptismatis & sanguinis Christi, quo per baptisma abluimur, sanctificamur et iustificamur à peccatis omnibus. Hinc enim talē contra nos paralogismū colligunt. In ijs hominibus non potest peccatum aliquod esse reliquū, qui sunt à peccatis omnibus abluti, sanctificati, & iustificati: ita uerò sunt, quotquot baptizati sunt. 1. Corint. 6. Qui igitur sunt baptizati, nec quicquam peccati propria uoluntate admiserunt, in his nullum potest inesse peccatum reliquum.

Hic autem paralogismus est secundum quid, uel ambigui sermonis. Qui enim baptizati sunt, abluti quidem sunt ab omnibus peccatis, quod ad reatū at- Baptizati om-
ni peccati reatū,
non autem
omni peccato
abluti sunt. tinet, uel condemnationem in iudicio Dei, non autē quod attinet ad inhabitationem in baptizatis, & ad uim, cū suffundēdi cogitationes & cupiditates prauas, tum auertēdi & impediēdi bonas. In baptizatis itaq; qui perceptam baptismi gratiam nō abijciunt, nullum quidem superest peccatum, quo condemnentur: nihil enim est condēnationis ijs, qui sunt in Christo Iesu. Nondum autem liberi sunt peccato, quo ad peccandum impelluntur, & à benefaciendo remorā-

Rom. 8.

tur, & propter quod digni etiam sunt à Deo condemnari, si non ab hac merita condemnatione liberarentur per meritum Christi, baptisinate perceptum. Maledictus est enim omnis, qui non quæ lex Dei præcipit, præstat omnia. Non præstant autem omnia, qui cum Apostolo uerè queruntur, se bonum quod uolunt, quia lex Dei præcipit, non facere: facere autem malum, quod secundum Dei legem oderunt. Hac ergo se teneri miseria, cum querantur cum Apostolo omnes Christo uerè credentes, meritò & nos secuti Spiritum sanctum, remanere in omnibus peccatum agnoscimus & confitemur: & peccatum propriè & rectè dictum, postquam nephas est dicere, spiritum sanctum loqui impropiè & uitiosè.

QVAE BILICKIUS IN NOS PROPTER
hanc Ecclesie doctrinam crimina & conuicia coniecerit, in libro
suo contra D. Philippum Melanthonem, D. Olden-
dorpium, & me, editum Anno 45.

DE bacchatus est in nos Billickius horribilibus
cõuicijs, ob hanc ipsam doctrinæ Christianæ cõ-
fessionem, innumerisq; eam calumnijs peruertit in li-
bro suo, quem uocauit Defensionem iudicij uniuersitatis & cleri Colonien-
sis aduersus calumnias (ut ca-
lumniatur) Philippi Melanthonis, meas, & Olden-
dorpj, et asseclarum nostrorum. Verùm ut his conu-
cijs & calumnijs eius respondeam omnibus, modò
nec locus est, nec tempus: sicut nec omnino causa.
Scripsi enim hac ipsa de re quod satis sit, in libro, cui
titulum feci, De uera Ecclesiarum in doctrina, cere-
monijs, & disciplina, reconciliatione & compositione,
edito anno 42. Ea qui legerit, is satis superq; uide-
bit, quæ hic aduersarius contra hanc nostram, in
ecclesie

ecclesiæ Christi hac de re doctrinam in illo suo libro profudit, nihil esse, quàm animi confidentia sui immodicè inflati, & odio nostri impotentissimè exstuantis maledicta, leuitate atque amarulentia Christianis execranda, profusa. Tamen ne hic aduersarius causam arripiat ueritati Christi insultandi, si eius criminationes omnino præteream, pauca quædam hic pio lectori ad illius sophismata respondebo: quæ factura confido, sicut ad confirmandam amplius ecclesiæ de hoc loco doctrinam, ita ad detegendam aduersariorum importunam, in impugnando hanc doctrinam, & cupiditatem & audaciam.

Criminatur Billickius, me noxam relictæ in nobis *Obiecta Billickij.* à uitiata origine peccati, explicando & exaggerando, peccata actualia confundere originalibus, & quæ peccemus ipsi peruersa nostra uoluntate, in primum parentem nostrum parricidiali impietate retorquere. Deinde, quæ sint in lege & uerbis Apostoli præcepta & dicta contra concupiscentiam uoluntariam, expetorquere contra concupiscentiam brutam, postremò, uerbis D. Augustini uim facere.

RESPONSIO AD PRIMAM BILLICKII CRIMINATIONEM, De confusione peccatorum, & quod tria in sanctis peccatorum genera reperiantur.

EXposui & eo, cuius modo memini, libro, tria esse peccatorum genera, cum quibus sancti conflantur, quæq; spiritus sanctus his paucis uerbis est complexus: Ne igitur regnet peccatū in mortali uestro corpore, ad obediendū ei in cōcupiscentijs eius. Hic enim, quod Spiritus sanctus peccatū uocat, cui hortat̄ ne regnum concedamus, peccatū illud est naturæ, de quo disputamus, radix & scaturigo omnium peccatorum.

Alterum

Tria genera peccatorū, in nata rebellio contra Deum in die septima, carnis prauū motus, et horū motuum profectio.

Alterum genus peccatorum, sunt huius peccati concupiscentiæ, etiam inuitis obortæ, praua illa desideria, & uitiosi ad peccandum motus, qui hic nūquam nobis desinunt esse infesti. Tertium genus est, cum peccato illi naturæ paretur, prosequendo eius cupiditates: etiam si id non fiat prauis dictis aut factis, sed solo prosequēdi eas consensu, et uoluntate, imò sola etiam prauæ cogitationis oblectatione.

Iam huius ultimi generis peccata dicimus esse planè actualia, & nouo obstringere reatu eos qui illa admittunt: eoq; hos renouata quoq; opus habere remissione. Medij autē generis peccata, partim actualia sunt, partim originalia. nam in quibus prauæ cogitationes & cupiditates oboriuntur, hi sanè ipsi & cogitant & concupiscunt quæ mala sunt. Vnde Apostolus de se confitetur, Quod odī, quod nō uolo malū, illud ago & facio, *ὅτι πρῶτον, ὅτι ποιεῖ.* Hactenus igitur hæc peccata actus quidam sunt eorum in quibus existunt, atq; ita peccata actualia. Rursus autem quando sancti hos motus nolunt & oderunt, nō tam ipsorum quàm inhabitantis in eis à uitiatā origine peccati actus sunt, atq; ideo dicuntur hactenus merito peccata originalia, infestantia scilicet eos, ex uitio inhærente à damnata origine. Tertium autem genus, est ipsa malorum omnium radix, unde proueniunt & peruersi illi motus in animis nostris, & cōsensu in eos motus, horumq; motuum prosecutiones per uitiosa cogitata cōsilia, dicta & facta, officiorūq; prætermissiones. Hoc uerò propriè & planè originale peccatū est & dicif. inest enim nobis totū à uitiatā origine, et nullo nostro actu: nec ipsum actus aliquis est, sed uitiosa tantū qualitas, ut eam D. Augustinus uocauit. Hinc iam iudica pie lector, quid de his re-

bus

bus confundamus, quid' ue explicemus & distribuamus. Eadem enim leges & in illo meo libro, quem Billickius oppugnandum suscepit, à me lingua uernacula scripto, pro defensione doctrinæ meæ prædicatæ Bonnæ.

RESPONSIO AD ALTERAM BILLICKII OBJECTIONEM, de cuiusmodi concupiscentia intelligenda sint uerba ultimi præcepti Decalogi, & Pauli ad Ro.

7. cum explicatione huius loci.

CAlumniatur nos Billickius uim facere uerbis Decalogi Dei, interpretando illa de bruta, omnisq; iudicij & intelligentiæ experte concupiscentia, cum præcepto Decalogi ultimo prohibeatur & condemnetur, ut ipse contendit, concupiscentia uoluntatis, qua consentitur in peccatum, quæ est peccatum actuale. Quam uerò huius controuersiæ dijudicatio, maxima ex parte pendeat ex uero intellectu eius conquestionis Apostoli, qua Rom. 7. de hoc malo tam grauitè est conquestus, hunc Apostoli locum prius consideremus. Considera uero tu ipse pie lector, uerba hic Apostoli à spiritu sancto suggesta. Cum dixisset Apostolus, se peccatum nõ cognouisse nisi per legem, uelletq; huius dicti sui causam reddere, subiicit: Concupiscentiam enim non nouissem, scilicet esse peccatum, nisi lex dixisset, Non concupisces. Hæc iam probatio si consistit, ut consistere eam necesse est, negari certè non potest, Apostolum nomine concupiscentiæ id ipsum intellexisse ac dixisse, quod per peccatum, & illud ipsum peccatum quod Deus præcepto suo, Non concupisces, uetuit, quodq; Apostolus postea uocauit legem peccati, id est, uim ad peccandũ incitantem.

Concupiscentia de qua queritur Apostolus Ro. 7. ea est, quæ uetuit Deus ultimo præcepto Decalogi.

Hinc itaq; cognosce pie lector, Apostolum de eadem, contra quam datum est ultimum decalogi præceptum,

ptum, concupiscentia hic queri, eamq; ideo peccatum uocare, quòd lege Dei uetita sit & damnata.

Concupiscentia, de qua queritur Apostolus Ro. 7. fuit in eo etiam ante legem.

Contra duas Epist. Pelag. ad Bonifac. lib. 1. cap. 9.

Cur dicatur peccatum reuiscere.

Deinde animaduerte, quòd hanc ipsam malā concupiscentiam, & mentis & animæ aduersus Deum rebellionem, confitetur fuisse in se, etiam antequam legem Mosæ per aetate rectè cognouisset: sed fuisse, dum legem nondum ritè cognosceret & sentiret mortuam, hoc est (ut D. Augustinus istum locum enarrat) penitus ignoratam, esse scilicet peccatum, atq; ita in nescio quibus ignorantia tenebris delituisse sepultam. Ad ueniente uerò in conscientiam legis præcepto, hoc ipsum peccatum, quod & olim in cōscientia uiixerat primorum parentum, in ipso reuixisse, id est, eminuisset, apparuisse, uimq; & noxam suam explicuisse, seq; sumpta à lege occasione deceptisse, eo quod sua prohibitiōne faceret, peccatum ei uideri dulcius. Itaq; per legem se occidisse, cum se inflammata ex legis interdictione, peccandi in ipso cupiditate, ut legis condemnationi desperatius addiceret. Sicq; bonum legis esse per peccatum sibi in exitium conuersum: non quod lex per se bona, sancta & iusta, ipsi in se facta sit lactifera, sed ut apparet peccatum per id quod bonum est, mortem sibi perficere, atq; ita peccatum per præceptū fieret supra modum peccatum, id est, noxæ & pestis summè exitialis manifestū, tam importunè scilicet impellendo, ut Deū iam sciens & uolens offenderet, & contra se irritaret, eius scilicet placitis ex lege eius satis cognitis aduersando. Hinc discite usum legis cū ostensione & exagitatione peccati, tum sua condemnatione ad Christum ab eius condemnatione liberatorem, dum se præstat peccati & expiatorem & purgatorem.

Iam deinceps uide de uī huius innati nobis peccati, etiam sub gratia & curatione Christi, Scimus, inquit, quod

quod lex spiritualis est, requirens spiritum in quo deus
 lus non sit, cor scilicet totū, animā totam, & cunctas ho-
 minis vires: ego autē à peccatore, id est ab Abrahamo
 natus carnalis, affectione contraria legi Dei spirituali.
 Concupiscit enim caro contra spiritum, & est τὸ ἴσχυ-
 ρὸς φρόνησις, id est sensus, iudicium & propensio carnis
 inimicitia contra Deum, eo quod legi Dei non subij-
 citur, nec potest quidem ei subijci. Quaritur itaque se
 sub peccatum innatum istud vitium cōtra Deum, esse
 uenundatum, eiusq; tyrannidi sic addictum, ut nec ip-
 se satis intelligeret, quid nam faceret, nam uidebat, se
 bonum quod uolebat non agere, & facere quod ode-
 rat. Quanquam enim sibi adesse sentiret uoluntatem
 Deo obediendi, ut qui legi eius consentiret, eaq; dele-
 ctaretur, perficere tamen bonum quod uolebat, apud
 se non reperiebat. At quia tamen quod bonū erat uo-
 lebat, malum oderat, meritò illud inhabitanti in se pec-
 cato, non sibi attribuit, qui illud agebat, id est, animo
 cogitabat & cupiebat repugnante mēte, qua legi Dei
 iam seruebat, utcunq; carne seruiret adhuc legi pecca-
 ti. Ad hunc modū & D. Augustinus enarrauit istum
 locum quæstione 1. ad Simplicianum lib. 1. Retracta-
 tionum lib. 2, cap. 1. ad Valerium, De nuptijs & con-
 cupiscentijs, à cap. 27. usque in cap. 31. contra duas epi-
 stolas Pelag. ad Bonifacium lib. 1. à cap. 9. usq; ad 12.
 Et contra Iulianum.

DISSOLVTIO ARGVMENTORVM BILLI-

ckij, uerba Pauli Roman. 7. detorquentis ad concu-
 piscentiam, quæ existit ex consensu
 uoluntatis.

BILLICKIUS sibi non constat in suis contra nos
 Argumentis. Affirmat enim, & quibus potest ra-
 tionibus contendit, & Pauli hoc locò, & præcepto De-
 calog,

calogi, damnari concupiscentiam, quæ sit voluntatis, qua consentitur in peccatum, quæ non sit passim cui libet perpensa. Et tamen oppugnat id quoque in nostris scriptis, quod dicimus Apostolum queri de concupiscentia pugnante cum lege Dei. obijcit enim contra hoc nobis, Apostolum nusquam dicere, concupiscentiam carnis repugnare legi Dei: habere tantum, repugnare eam legi mentis suæ. Sed primum respondeamus ad illa argumenta, quibus conatus est ostendere, Decalogi & Pauli uerba contra concupiscentiam, intelligenda esse de concupiscentia voluntatis, qua iam consentitur in peccatum: quorum unum adducit ex uerbis Pauli dicentis, Peccatum per legem omnem in se concupiscentiam operatum esse. Inde enim sic colligit: Apostolus confirmat per legem primam effectum in se omnem concupiscentiam: eo significans, nullam in se talem fuisse concupiscentiam ante legem: non igitur loquitur, inquit, hic de originali, quæ etiam ante legem in ipso fuit, sed de actuali concupiscentia & uoluntaria, quam lex in eo effecit. Et hanc interpretationem suam, audet adscribere sanctis patribus.

Tu itaque Christiane lector, considera & ipse Apostoli uerba modo à nobis explicata: uide etiam quomodo eadem & D. Augustinus locis indicatis enarrauerit, eaque omnia religiose perpendas. Id si feceris, clarè uidebis, primum de eadem omnino concupiscentia & præceptum ultimi decalogi præcipere, & Apostolum questum esse. Nam dicit Apostolus, eam de qua queritur concupiscentiam, se non nouisse scilicet peccatum esse, nisi lex dixisset, Non concupisces. Deinde uidebis clarè fateri eum, extitisse in ipso hoc malum, & ante cognitam legem, sed fuisse ceu mortuum, hoc est ignoratum: nec se tanta uide, quanta post cognitam legem fecerit,

fecerit, exagitasse, & ad peccatum impulisse, suaq; condemnatione interfecisse. Postremò & illud uidebis, Apostolum disertè & multis de se testari, quod hanc concupiscentiam noluerit, oderit & oppugnarit, nec enim potuisset dicere illam contra se dimicare, & moliri captiuum se ducere sub legem peccati, id est, sub suum ipsius imperium, nisi ipse ei acriter quoq; repugnasset. Quomodo igitur Billickius audet dicere, Apostolum hic loqui de concupiscentia uoluntaria, & me uim facere uerbis Apostoli, qui ea sim interpretatus de concupiscentia inuoluntaria?

Sed ad argumentum eius: Si Apostolus dicit per legem in se omnem concupiscentiam effectam, negat se ante legem ullam talē habuisse. Hic paralogismus est *ἐναντιομαχία* in uoce Omne, uehementiam enim concupiscentiæ uoluit Apostolus hac uoce exprimere, non uniuersitatem. Sic & Chrysostomus locum hunc interpretatus est. Sed tu pie lector ipsa Apostoli uerba consideres, & in his facilè uidebis Apostolum illo suo dicto, Peccatum occasione sumpta per legem perfecit in me omnem concupiscentiam: nihil aliud dicere uoluisse, quàm innatam sibi prauam concupiscentiam, quæ ante satis cognitam à se legem, ceu mortua in sua conscientia fuisset ignorata, peccatum esse, eam lege quasi excitatam reuixisse, atq; irritatam præcepto, ut nitimur in uetitum, perfecisse in se omnem concupiscentiam peracrem & uehementem: hoc est, ipsam sese magis inflammasse, & uim suam importunius explicasse.

Perspicuum igitur est, concupiscentiam de qua Apostolus in hac sua conuestione loquitur, & quæ ut in ipso, ita in quibuslibet electis Dei deprehenditur, esse re ipsa eandem, & ante ritè perceptam legē, & sub lege, cum iam uis legis sentitur, & sub gratia: differre

uerò ut tantum & efficacia. Antè enim quàm legis uis
condemnantis nos propter peccatū sentitur pleniùs,
nec ipsa concupiscentia quantæ sit noxæ sentitur & ag
noscitur, eoq; iacet illa in homine ceu mortua. At ubi
Deus dat uidere, quid à nobis lege sua requirit, & quã
nobis, nisi quæ requirit præstemus, mortem minatur,
nec dum per Christi spiritum amorem legis inspirat,
teuiuscit concupiscentia irritata lege, uimq; suam po
tentius explicat, simulq; hominem & ad peccatū cupi
ditatibus importunioribus impellit, & condemnatio
nem Dei peccanti innotat horribilius, ut homo qua
dam quasi salutis desperatione occidat & moriatur.
Porro sub gratia, cognito Christo debilitatur concu
piscencia, & incipit crucifigi atq; confici: hæret tamen
adhuc, atq; ita repugnat spiritui, & legi Dei inscriptæ
iam mētibus sanctorū, ut ea & mētis sanctificatę Deo,
lex rectè dicatur, ut sancti quę uolunt bona nō perfici
ant, id est, nō faciant pleno animi cōsensu & solido stu
dio, id est, ex toto corde, tota anima, &c. ita ut lex requi
rit. Si iam, ut ex his satis perspicuè cernis, concupi
scentia, de qua conqueritur Apostolus, & quam dam
nat ultimum decalogi præceptum, eadem est & antè &
post perceptam legem, dubitari non potest, eandem e
tiam esse sanctis inuoluntariam, & contra eorum con
sensum: & insidere ipsis, & excitare tam multa praua
desideria in ipsis. Nam cum Paulo oderunt eam, & op
pugnant, ut dictum est.

DISSOLUITVR ALTERVM BILLICKII AR
gumentum, de uerbis ultimi præcepti Decalogi.

ISTVD dicit Billickius ex ratione humana, & igno
ratione usus legis diuinæ. Stultum est, inquit, carni
brutæ ne cōcupiscat imperare. ergo præceptum, Non
concupisces, non est naturæ carnis dictum, sed uolun
tati.

tati. At quis dicit præceptum hoc datum brutæ carni?
 Datum est homini, facto ad imaginem Dei, cui Deus
 & mentem & uoluntatem indidit. Ab hoc Deus meri-
 to requirit, ut se diligat toto corde, tota anima, &c.
 Cumq; eiusmodi sincera & solida dilectio id omnino
 adfert, ut animū sic diligentē Deum subire nulla possit
 cupido rerum quæ illi displicent, optimo iure toti hu-
 mano generi hoc quoq; præceptū Deus dedit, ne quid
 mali nobis unquā adlubescat, ne ue ulla uiciosæ rei cu-
 piditate unquā titillemur: sed ut toto corde, totaq; ani-
 ma, & cunctis uiribus, in ea tantū feramur & propen-
 deamus, eaq; sola quærantur, quæ Deo placita sunt &
 grata. Fit aut̄ propter peccatū istud, omnib. homini-
 bus ingenitum, atq; in cunctis etiā renatis, sicut in Pau-
 lo, inhabitans, ut præceptū hoc præstari possit à nemi-
 ne, in isto adhuc seculo uiuente. Ob id aut̄ non datum
 est frustra, ut Billickius existimat. Mediū enim in eius
 argumento est, si sit argumentū, non intelligenti rei, &
 de re quæ nō sit in potestate hominis, frustra dari præ-
 ceptum. Cum itaq; caro bruta, ut ipse loquit̄, nō intelli-
 gat, & in potestate hominis nō sit, uacare omni cōcupi-
 scentia aduersaria legi, cōcludi posse existimat. Præce-
 ptum Decalogi datū de cōcupiscentia uoluntatis. At
 spiritus S. alium habet usum legis, quā ut iustitiā in
 suis perficiat. ex lege enim nemo iustificatur, nec quic-
 quam ad perfectum lex ducit. peccatū potius & iram
 Dei cōtra peccatum patefacere hominibus per legem
 instituit, eoq; illos ad Christum Dominum cōpellere,
 ut hunc factum sibi sapientiam & iustitiam, &c. fide
 apprehendentes, per eum etiam ipsi iustitiam uerā per-
 cipiant, hic inchoatam, & in futuro consummandam.
 Scribit Billickius, concupiscentiam uoluntatis, id est
 tacitum cōsensum peccati, nō quemlibet persentire, &
 plerosq;

Vltimū De
 calogi præ-
 ceptū, à ne-
 mine præ-
 stari potest
 in hac ui-
 ta.

*Consensus
omnis in
peccata, in
nouem de-
calogi præ-
ceptis pro-
hibetur.*

pleroſque ſi malefacta cohibeant, uoluntatem peccandi nõ habere pro peccato. Hoc quidem rectè, ſed hanc certã peccandi uoluntatẽ & conſenſum in malam concupiſcentiam uetuit & damnauit Deus cæteris nouem præceptis, interprete ipſo noſtro cœleſti magiſtro Ieſu Chriſto. Nam cum dixit præcepto, Ne occidas, intelligi debere etiam malam uoluntatem ſe ulciſcendi: & præcepto, Ne mœcheris, omnem turpem mulieris appetentiam: eo clarè docuit, & in reliquis præceptis uetari atq; damnari uoluntatem earum rerum quæ illis præceptis prohibentur.

*Ultimo de-
calogi præ-
cepto pro-
hibetur om-
nis ad pec-
candũ pro-
cliuitas &
motus.*

At quia diligentis Deum ex toto corde, tota anima, &c. eſt, tam abeſſe etiam ab omni appetitione rerum quas Deus prohibuit, ut oblata earum ulla mentione aut cogitatione, animus non ſolum nulla tentetur lubentia in eas res, ulla ue earum rerum complacentia, uerũ etiam ut totus potius exhorreſcat & refugiat, uti ab æterna morte & gehenna: uoluit Deus ſingulari & proprio præcepto prohibere, quamlibet etiam ad res malas affectionem: ut nimirum hinc diſceremus, quantum adhuc abſimus à uera ipſius dilectione, & ad Chriſtum ſeruatorem ſtudioſius conſugeremus. Certè neminem ſanæ & compoſitæ mentis, ulla unquam ſubit cupiditas, ut aliquid ingratum faciat ſibi ipſi, uel ſuis, quos uerè diligit. Ita ſi amaremus ſolidè Deum, id eſt, ex toto corde, tota anima, ingens horror, nulla concupiſcentia in animis noſtris exiſteret, ſimulatq; occurrifſet, quòd Deo non probetur.

Conſtat itaque, cæteris decalogi præceptis non ſolum dicta & facta mala, uerũ etiam conſenſum & uoluntatem peccandi prohiberi & damnari: Decimo uerò, uetari & condemnari eam animorum à Deo ſummo bono alienationem, & ad contraria illi propenſio-

ensionem, qua fit, ut pigeat ea cogitare, dicere, et facere, quæ placent Deo: libeat autem cogitare, dicere & facere, quæ Deo displicent: id quod adeo importune & uolenter, ut etiam cum Deus dedit uelle quæ præcepit, & odisse quæ uetat, tamen animo agamus, uolumus & concupiscamus aliquo modo, quæ ex spiritu eius uolumus & detestamur: & ea quæ eodem spiritu nolumus & cupimus, non perficiamus, id est, non pleno corde & studio præstemus.

Ex his itaque perspicuum est, non ultimo, sed reliquis nouem præceptis prohiberi & damnari consensum in peccatum, concupiscentiam uoluntariam: ultimo autem, illam animi nostri uitiositatem, atque à Deo alienationem, ex qua prauæ & cogitationes & cupiditates oboriuntur: & has ipsas prauas cogitationes & cupiditates, quæ eam quoque mentem sollicitant & perturbant, quæ consentit legi Dei, ea quæ iam detestatur, atque ideo prauas istas cogitationes & concupiscentias odit, detestatur, & à se profligat. Quo uero res hæc plenius percipiatur, de eo etiam non nihil addendum est, quibus constet uitii malum originis, in sanctis reliquum. nec enim constat præcisè concupiscentia, uerumetiam ignoracione mentis, & incredulitate: tamen à notiore suo effectu uocetur concupiscentia.

QVIBVS VITIIS CONSTET PECCATVM

*inhærens in sanctis, & quare dicatur
concupiscentia.*

Ex eo quod Apostolus usus est hoc loco nomine concupiscentiæ, plerique putarunt eo significari tantum cibi & potus ac ueneris concupiscentiam, cum tamen ipsum Decalogi præceptum habendi cupiditatem exprimat, uetat enim concupiscere domum, homines,

LLI iumenta,

In ult. Decalogi præcepto ex cupiditate habendi omnium cupiditas interdicitur. iumenta, & res proximi. Sed spiritus sanctus est hic more suo usus synecdoche, ac uult, ut ex hoc uno prauæ cupiditatis genere, quod nominatim interdixit, nos interdictum nobis intelligamus, cupiditates rerum quarumlibet, quæ ipsi gratæ non sunt. Alij tamen si latiore significatione hoc nomen accipiunt, tamen quicquid mali à peccato in renatis relinquitur, dum hic uiuunt, id totum in motibus ponunt, appetitue partis.

Malum originale mentem quoque oblesit. Spiritus sanctus autem docet per Apostolum suum, hoc malum esse oblesionem totius naturæ hominis, & constare cum ignorantia & incredulitate mentis, tum omnium appetitionum atque uirium à Deo abalienatione: idque sancti patres, totaque uetus Christi ecclesia agnouerunt. Quocirca cum Apostolus hortatur sanctos, ut in sanatione ab hoc malo proficiant, hortatur eos, ut transformentur indies renouatione, non solum inferiorum appetitionum, sed etiam, ac primum, mentis suæ: idque eo, ut exploratè cognoscant, & probent, quæ sit uoluntas Dei bona. Rom. 12. Eadem de causa precatur sanctis spiritum sapientiæ & reuelationis, in ipsius cognitione, ut illuminatis oculis mentis uidere queant, quæ sit spes ipsorum, &c. Ephes. 1. Item abundare eos in cognitione ac omni sensu, ut queant certò agnoscere quæ præsentent, &c. Eadem orauit Colossensibus, & alijs. Et quia fide nobis constat omnis Dei & rerum diuinarum cognitio, precatur Apostolus sanctis suis, ut fide quoque corroborentur, Ephes. 5. Talibus precibus referti & Psal. mi sunt, maxime uerò Psal. 119. & cunctæ sanctorum preces, Hinc & sancti patres de hac ipsa culpanda in nobis, sicut fidei, ita & cognitionis Dei, pusillitate & inopia, plurimum & multis in locis.

eis scriptorum suorum queruntur.

Cum itaque de hærente adhuc in sanctis peccato agitur, intelligendum est, illud esse eam à Deo alienationem totius hominis, qua fit, ut uerbum Dei & fastidiamus audire, & ægré intelligamus, & tardè debiliterq; credamus, ab eiusq; obedientia refugiamus, atq; ad contraria omnia propendeamus, quod quidem attinet ad externum & ueterem hominem, hoc est quatenus nos toti & animo & corpore uiuimus & agimus pro ingenio naturæ nostræ, ut ea est ab Adam deducta. Secundum internum enim hominē, id est, quatenus nos ipsi Christi spiritu uiuimus & agimur, consentimus & seruimus legi Dei, eaq; delectamur, ac præcepta Dei nobis grauiam non ducimus.

Apostolus autem, sequens in eo præceptū Decalogi, malum hoc ideo concupiscentiam uocauit, quòd nostra uitiositas in prauè concupiscendo sese magis explicat, & corruptionem suam profert. Unde & ad Ephesios, cum nos hortatur, ut purgandò huic malo instemus, hoc est, ut ueterē hominem exuamus, adiecit, qui corrumpitur secundum concupiscentias deceptionis, id est, erraticas. Porro ut cognosceremus uitium ab Adæ peccato in sanctis relictum, esse totius hominis peruerisionē, uocauit hoc malum spiritus sanctus etiam nomine carnis, & ueteris atq; externi hominis.

Ex his iam satis liquet, & Apostolum Paulum conueniri, & præceptum Decalogi ultimum præcipere, de ea malì concupiscentia, quæ nec bruta sit omnino, & expers omnis iudicij & uoluntatis, nec rursus planè uoluntaria, quæ denique nō sit tantum rerum

Quam latè pateat malū reliquū in sanctis à uitiosa origine.

Malū originis uocatur cōcupiscentia, quia in ea uim suā præcipue exercit.

Cōcupiscentia in sanctis reliqua, nec omnino expers iudicij et uoluntatis, nec planè arbitrij & uoluntatis.

ad corporis uoluptatem pertinentium, sed rerum semel omnium, quæ Deo gratæ non sunt. Cognoscitur quoque hinc malum originis in sanctis residens, non tantum esse concupiscentiam, sed etiam ignorantem & incredulitatem.

Quod sancti
oderunt, & a
se pro uiribus
profligarunt,
attribuit Billi-
ckius eorū uo-
luntati.

Ex quibus & illud perspicitur, quanta sit Billickij audacia, qui ausus sit contendere, Paulum hoc loco questum esse de concupiscentia consensus & uoluntatis, quæ nouo reatu obstringat, & sic peccatum actuale: cum Apostolus tam clare confirmet, se hanc de qua queritur, concupiscentiam, tantopere noluisse & odisse, ut coram Deo diceret, non iam se, nimirum secundum nouum hominem, concupiscentem, sed inhabitans in se peccatum, hoc est, uitium illud naturæ sibi ab Adam ingenitū. Mirus uerò consensus in rem, quam uerè oderis, & cui quantum ualeas, reclames & repugnes.

Vide in illius
libro pag. 89.
pudenda inco-
gitantia.

Proinde est & profecto deplorandæ inconsiderantiæ, hunc Prouincialem tam multis calumniari & oppugnare instituisse & illud quod dicimus, concupiscentiam repugnare legi Dei. Scribit enim, Paulum hoc nusquã docere, nos uerò eo placita nostra cum scripturis Dei confundere. Aliam enim esse legem Dei, aliã mentis nostræ. hæcquæ esse etiam Ethnicorum & Turcarū, & cuiusque propriam: illam tantum sanctorum, & omnibus communem.

Omitto hic disputare de eo, quod omnis uera lex, id est, quæ iusta præcipit, & uetat contraria, reuera Dei lex est, & omnibus hominibus pariter præcepta: nec alia Billickij absurda hoc loco attingam. Illud satis sit hic monuisse, Apostolum queri hoc loco de concupiscentia mentis suæ legi aduersaria, quæ mente seruiebat iam legi Dei, eaque deletabatur. Ex quo

quo perspicuum est, Apostolum, cum hanc concupiscentiam dixit repugnare legi mentis suæ, eo satis quoque dixisse, eam aduersari legi Dei, quam fateatur se ex lege illa, Ne concupiscas, cognouisse peccatum esse, id est, huius præcepti Dei transgressionem.

Præterea uide id quoque hoc loco, quam hic aduersarius secum ipse pugnet. multis adeo conatus est probare, Apostolum hic loqui de concupiscentia uoluntaria, qua in peccatum iam consentitur. & nos propterea quod id negamus, adeo grauius conuiciatus est, & in eadem tamē tractatione reprehendit nos, idque tam maledicē, quod dicimus concupiscentiam istam repugnare legi Dei, & dicti huius autorem spiritum sanctum & Apostolum citamus. Vide igitur & ex isto loco, quid Ecclesijs Dei ab istorum consilijs debeas expectare. Sed respondendum est

etiam non nihil ad tertiam huius aduersarij obiectionem.

RESPONSIO AD TERTIAM BILLICKII OBIECTIONEM, de laudibus Sanctorū, quibus illis tribuitur dilectio, inquisitio & inuocatio Dei ex toto corde, &c.

Billickius horribilibus in nos ex hoc loco conuicijs intonat: nosque criminatur, ex corde nostro ignorantem, incredulum, Dei contemptorem & flagitiosum, conicere in sanctos, quorum nobis consensum sumus peccata & flagitia, ignorantiam & contemptum Dei, incredulitatem, odium uerbi eius, &c. Scripturas uero sanctis tribuere, & eos in se quoque agnoscere, scientiam, cultum, amorem, & inuocationem Dei ex toto corde, summum quoque legis eius studium, & obedientiam.

Commemoratur ad hæc querelam contra nos uiri admirandæ sanæ doctrinæ, D. Gerardi à Velduwick, Gerardus à Velduwick Imperat. secretarius.

In Psalm. 119.
 Sanctos confi-
 teri se lege Dei
 plurimum dele-
 cari, & odio
 habere iniqui-
 tatem.

Imperatoriae Maieſt. ſecretarij, qui noſtrum apud ip-
 ſum ſpiritu deplorauerit, qui dicamus, homines etiã
 ad Deum conuerſos uacare metu, fiducia, & amore
 Dei, deſperare gratiam Dei, irasci Deo, odiſſe legem
 Dei, & cætera huiusmodi: cum uel ex Psalm. 119. qui
 quotidie recitatur in templis, diſcere poſſimus, ſan-
 ctos orare Dominum, ut legem iſtis ponat: nõ auer-
 ſari igitur eos legẽ Dei. teſtari ſe odiſſe iniquitatem,
 non ergo eam poſſe amare: diſligere legem Dei, non
 igitur odiſſe illam: dulcia eſſe faucibus iſtorum elo-
 quia Dei, non igitur amara. Et pleraq; huiusmodi.

Ego uerò hunc uirum, D. Gerardũ, doctiorem in
 D. literis, & attentioſiorem longẽ deprehendi, cum
 Vuormacię anno 40. & Ratiſbonæ anno 41. me per-
 quã humaniter cõplectebatur, ac perſepe de Chri-
 ſti religione mecum commentabatur, quã ut iſtam
 de nobis ab eo querelam expectare debeam.

Quã enim facile poteſt quilibet ex hoc ipſo Pſal-
 mo, ut taceã de alijs, uidere, ſanctos quicquid in ſe cõ-
 gnitionis uel amoris, aut obſequij erga Deum agno-
 ſcunt, eos hoc agnoſcere habere ſe non à ſeipſis: ſed
 potius cõtrarium. Ideoq; pro his donis, ut gratuitis,
 orare, eãq; in ſe augeri precari: interim non diſſimu-
 lantes & ignorationem, & ad peccatum propenſio-
 nem, quam ſuperelle in ſe ſentiunt.

Canit quidem eccleſia, canit quiſq; fidelis, In toto
 corde quæſiui te: ſed ſubijcit continenter, Ne facias
 me errare à præceptis tuis. Canit, Abſcondi in corde
 meo uerbum tuum, ne peccem tibi: ſed adnectit con-
 tinuò, Benedictus tu Domine, doce me ceremonias
 tuas. Sic canit, delectari ſe in uia teſtimoniorũ Dei, et
 ſtatim ſubijcit, Reuela oculos meos, ut conſiderem
 mira-

mirabilia tua, Doce me ceremonias tuas, uiam præce *Sancti in Psal.*
 ptorum tuorum fac me intelligere, uiam falsam aufer *119. Satis cla-*
 à me, Doce me uiam ceremoniarum tuarum: uel ut *re et copiosè*
 uulgata habet uersio, Legē pone mihi Domine, De *testantur de re*
 duc me in semitam tuam. Inclina cor meum in testi *liquo in se pec-*
 monia tua, & nō in avaritiam: Auerte oculos meos, *cato.*
 ne uideant uanitatem. Ne auferas à me uerbū uerita-
 tis: Bene mihi, quia humiliatus sum, ut discā ceremo-
 nias tuas: secundum misericordiā tuam uiuifica me,
 ut custodiam testimonia oris mei. Gressus meos diri-
 ge in uerbum tuū, ne dominetur mihi omnis iniqui-
 tas. Et quibus uerbis concludit hic Psalmus: Erraui
 sicut ouis quæ periit, quare seruum tuum, quia testi-
 monia tua non sum oblitus.

Hæc perpendas pie lector, & agnosce, eos qui o-
 rant à Deo tam multis, adeoq; obnixè, reuelari ocu-
 los suos, doceri se legem Dei, dirigi se in semitis Dei:
 eos satis superq; agnoscere, non parum certè in se ad
 huc superesse innata cecitatis, erroris & ignorantia.
 Ita qui orant, ne Deus faciat se errare à uitijs suis, ne
 ue auferat à se uerbum ueritatis: an hi non his uerbis
 fatentur, se hanc extremam pœnam peccatis suis me-
 ruisse? Sic qui precantur à Deo, inclinari cor suum in
 testimonia Dei, & non in avaritiā, Auerti oculos su-
 os à uanitate, Viuificari se quo custodiāt testimonia
 Dei, Dirigi gressus suos ne dominetur eis omnis ini-
 quitas: fatentur, bonum sibi esse, quod sint à Deo ca-
 stigati, ut discerent ceremonias eius: nunquid agno-
 scūt hi & habitare in se peccatum, & se pertrahi eo ad
 peccandum? Quid iam concludendo Psalmum con-
 fitentur, cum orant se quærì ceu ouem, quæ aberrauit,
 ac periit? Quanquam enim addūt se non esse ob-
 litos præceptorum Dei, tamen agnoscunt se ab illis
 aberrasse.

aberrasse. Eo itaq; non solum illud in se peccatum cōfitentur, quod eis insidet à uitiata origine, sed etiam quod parendo huius cupiditatibus, commiserint praua actione.

Quid iam dicemus de confessionibus sanctorum, quæ in alijs sunt psalmis, ut Psal. 19. Errores quis intel ligat. Ab occultis meis munda me Domine. Et Psal. 25. Propter nomen tuū Domine propitiū sis iniquitati meæ, quoniam ea magna est. Itē Psal. 31. Beati quorum remissa scelera sunt, & tectum peccatum. Et: Pro hoc, id est, remissione peccati, orabit te omnis sanctus. Item 103. Non secundum peccata nostra fecit nobis, &c. Atqui his confessionibus referti Psalmi sunt. Confitentur igitur ijdem sancti, sicut dona Dei in se, ita etiam peccata sua à se. Agnoscunt cum Apostolo se eosdem & mente seruire legi Dei, & carne legi peccati. Solet etiam ecclesia Christi in Psalmis non raro commemorare, quæ sponsi & capitis sui Christi propria sunt. Tum etiam tribuuntur ei in scripturis non modò illa Dei, quæ iam reipsa obtinet, uerum etiam quæ adhuc fide tantum tenet in Christo, ut est istud: Qui lotus est, non opus habet nisi ut pedes lauet, sed est mundus totus: Iohan. 13. Item: Totā pulchra es, & macula in te non est. In quem locum uide quæso quid Beda scripserit. Quod uerò attinet ad Psal. 119. uide concionem tertiam D. Augustini in hunc ipsum Psalmum. In hac enim pulchrè ille explicat, quomodo tantæ de iustitiæ perfectione, iustitiæ laudes sanctis tribuuntur, quanquā hic nō uiuant sine peccatis, & ne actualibus quidē, quæ obediendo inhabitātis in eis peccati desiderijs committunt. Quæ, inquit, si aduersus nos colligantur, & si non singula suis motibus conterant, omnia tamen a ceruo eos obruunt:

ruunt: sed in uia fidei, ait, pro nō peccantibus habentur, quibus peccata non imputātur. De quibus Apo^{Pro non peccā} stolus Paulus, iustitiam fidei commendās, in Psalmo^{tibus habetur.} scriptum esse monstrauit: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata: Beatus uir, cui non imputauit Dominus peccatum. Vide hunc locum.

Nec in Psalmis igitur, nec in alijs D. scripturarum libris, sanctis tātum tribuitur pietatis & iustitię, quin etiam omnes peccato teneri affirmētur: nec ulli eam à se legi D. obedientiā præstitam agnouerunt, quin simul se etiam agnouerint esse peccatores, & in carne sua non habitare bonum, sed peccatū. At ubi peccatum est, ibi est legis Dei transgressio, ibi ignoratio & contemptus Dei, non quidem uoluntarius, ac qui sit in animo confirmatus, atq; ideo nouo obstringat reatu in iudicio Dei: tamē tam inuisus Deo, ut Paulus se propterea clamauerit miserum esse, & teneri in corpore mōrtis: tam quoq; infestus sanctis ipsis, ut inde etiam in peccata no uī reatus identidem præcipitent: adeò ut sit hæc confessio, Si dixerimus quia peccatum non habemus, &c. communis omnium u-
triusq; testamenti sanctorum. qd Synodi Aphricane contra Pelagianos celebratæ ita agnouerunt, ut contrarium affirmantes, anathemati deuouerint. Agnouit & diuus Cyprianus, ut ex hac ipsa confessione, & alijs similibus diuinarum scripturarū locis scripserit, neminē sine peccato (& de actuali loquitur, nouoq; reatu obstringente) esse posse: & quisquis se inculpatum dixerit, eum esse aut superbū, aut stultum. Sed respondeamus tandē & ad Billickij calumnias, quas in nos ex sanctorū Patrum, & maxime diui Augustini testimonijs intendit,

SANCTOS PATRES CVM DIVO AVGVSTI-
no sensisse, peccatum remanere in renatis, Depulsi-
o calumniæ Billickianæ.

IN libro meo, De uera Ecclesiarum reconciliatio-
ne & compositione, & in eo, quo defendi doctri-
nam meam Bonnæ administratam, quem Billickius
suscepit oppugnandum, adductis aliquot sententijs
dñi Augustini, demonstravi hunc uirum Dei, resi-
dentem in sanctis uitiositatem, & quæ praua ab hac
desideria sanctis, quanquam inuitis, suffundunt, pec-
cata esse plerūq; negare, nōnunq; etiā affirmare. Ve-
rò ostenderē hæc inter se nō pugnare, adieci, Pec-
catū aliquando uocari: si quid cōtra legē Dei consen-
tenter cogitē, dicat: aut fiat, & qd nouo reatu ob-
stringat: atq; ita definiri peccatū dixi à dño August.
illo ipso loco, ubi negat peccata esse innatā illā no-
bis prauitatem, & eius uitiosos motus, quos illa exci-
tat inuitis. Aliquādo aut peccatū uocari simpliciter,
quicquid in nobis legi Dei repugnat, etiā in id nō
planē consentiamus, & Deus illud nobis quoq; pro
peccato non imputet. Nam cum Deus iure suo à no-
bis requirat, ut se diligamus toto corde, tota anima,
omniq; deniq; uirili, certē iniq̄tas est, ut Ambrosius
& Augustinus cum omni ueteri ecclesia cōfitentur,
atq; ideo etiā teste D. Ioanne peccatū est, qd caro &
externus homo totus mente & uolūtate sua, spiritui
te interno homini, adeoq; legi Dei ppetuò aduersat.

Hanc meā distinctionem, ut cōmodius oppugna-
ret, in suo contra nos libro truncatim retulit. Omitte
enim particulam illam de reatu, quo dixi genus unū
peccati obstringere, alterū non obstringere. Deinde
acerbē admodū exagitat istā meā distinctionē, tanq̄
ad rem non pertinentem; propterea qd alterū mem-
brum

brum huius distinctionis cōplectatur peccata actua-
 lia: inter nos autē disputari de originalibus. Sed lege
 tu pie lector quæ scripsi, & expende quæ adduxi D.
 Augustini loca, & uidebis hunc uirū Dei hęc ipsam
 peccatorū distinctionē, quę & Pauli est, sequutū esse Rom. 6. & 7.
 & agnoscere, peccata quę uerē dici in scripturis, in-
 genitā nobis uitiositatē, & huius praua desideria: sed
 nō peccata, quæ reatu aliq̄ obstringerent, ut obstrin-
 gūt illa peccata quę cū cōsensu peccati cōmittuntur,
 prauē cogitādo, dicēdo, aut faciēdo. An nō igit̄ agno-
 scit duo peccatorū genera: unū quod ppter Christi gra-
 tiā nō imputat, dum sine pleno cōsensu admittit: al-
 terū quod imputat, quia cum cōsensu pleniore peccat.
 Expende uerō tu unū & alterū D. Augustini locum
 contra Iulianū lib. 2. Quāuis, inquit, iam non eodē
 modo appelletur peccatū (de cōcupiscentiā loquit̄)
 quo facit reū, sed quo sit reatu primū hominis factū,
 & quod rebellando nos trahere nititur ad peccandum.
 Item contra eundem lib. 5. cap. 3. Concupiscentiā car-
 nis, aduersus quam bonus concupiscit spiritus, pec-
 catum est, quia inest illi obedientiā contra domina-
 tum mentis: & pœna peccati est, quia reddita est me-
 ritis inobediētis: & causa peccati, defectiōne con-
 sentientis. Vides hīc uirum hunc Dei simpliciter
 affirmare, cōcupiscentiā esse peccatū: & rationē adij-
 cere, cur peccatū sit, & haberi debeat. Quem locum
 extorquere nobis Billickius eo conatur, quod dicit,
 Augustinū inobediētiam contra dominatū mētis di-
 cere, peccatū esse secundū carnalem natiuitatē, idēq̄
 ecclesiam semper docuisse: sed post baptismum ino-
 bediētiam hanc non esse peccatum, quia abluta sit
 ab omni peccato, & mūdāta purissimo sanguine obe-
 diētis Christi, ut nullā in se cōtineat deinceps peccati

rationē. Hæc ille in lib. suo cōtra nos scripto, pag. 13.

Sed uide tu bone lector, quā id nec cōsideratē, nec piē dixerit. D. Augustinus enim non de cōcupiscentia hic loquit̄ persistentiū adhuc in carnali natiuitate, sed de cōcupiscētia reparatorū & habētū spirītū Christi. Nam, ait, cōcupiscentia carnis, aduersus quam bonus concupiscit̄ spiritus. Hic spiritus tantum reparatorum est. Deinde non obseruauit diuum Augustinū in eo, quem gloriatur tam diligenter legisse, lib. 6. contra Iulianum, capite 5. ex professo damnare istam locutionem, Concupiscentiam in renatis abluī à peccato, & mundari sanguine Christi. Ait enim, hanc locutionem conuenire Pelagianis, qui cōcupiscentiam laudant, & bonam faciunt: Absit, inquit, à nobis, ut dicamus sanctificari eā, cū qua necesse habent regenerari, si nō in uacuum Dei gratiam receperunt, intestino quodam bello, tantumquam cum hoste conflagere, & ab ea peste desiderare atq; optare liberari. Vide, hostem & pestem reparatorum, dicit Bilsickius abluī & mundari sanguine Christi. Homines renati ipsi sanguine Christi mūdantur, ne concupiscentia ista eos condemnet: non cōcupiscentia, quæ semper manet cænum & sordes. Vide ipse locum Augustini indicatum, & lege præterea, quæ hic uir Dei de hac concupiscentia scripsit, libro ad Valerianum, De nuptijs & concupiscentia, 1. à cap. 23. usq; ad cap. 32. Libro 1. ad Bonifacium, à capite 10. usq; ad cap. 15. Item cōtra Iulianum librum secundum, totum: caput ultimum tertij libri. Caput 2. libri quarti. Caput 3. libri quinti. & libro sexto, à capite 5. usque ad cap. 9. In his locis clarè & copiose traditum, atque cū scripturarum tum ueteris ecclesiæ autoritatibus demonstratum uidebis, id quod nos docemus, uitium illud innatum nobis, in baptisinate tolli

tollī reatu, actū autem relinqui, quanquā debilitatum: atque hoc uicium, & praua eius desideria hactenus nō esse baptisatis peccata, si eis non cōsentiant: quia propter gratiam Christi eis, ut peccata, non imputantur. In se ipsis autem considerata, & legi Dei collata, reuera esse malitiā. ut D. Hilarius ex uerbis Christi, Vos cum mali sitis, esse iniquitatem: ut D. Ambrosius ex psalmis, & omni scriptura, esse denique peccat, aut D. Apostolus ex ipsa Dei lege pronunciauit.

Sed multo foediorē incogitantiam admisit Billickius de Epiphaniō. Apud hunc enim cum in confutatione h̄eresis Origenianæ ueteris, tomo primo libri secundi pag. 257. uidisset textū insertum: Sequuntur nunc uerba Procli. (nam illic per 10. uersus in Græco exemplari Basileæ impresso, in Latino uerō per uersus 12. uerba Procli subiiciuntur) & post alii quot folia, pag. scilicet 269. titulum hunc. Sequuntur deinceps ipsius Methodij uerba, ut eo quoque loci uerbis Procli, responsio Methodij subiecta est, putauit, quæcūque à priore titulo, usque ad posteriorem posita sunt, omnia esse uerba Procli, cū statim post 12. uers. à priore titulo in Latino exemplari, sequatur Methodij, ad præmissam Procli obiectionem, confutatio. & postea rursus interferantur dicta Procli, quæ Methodius item refellit usque ad eum locum, ubi est titulus, Sequuntur uerba Methodij, quo loco Methodius Aglaophontis uerba refutare incipit.

Quæ uerō Billickius in suo contra nos libro de peccato in nobis remanente, tanquam Procli uerba, atque ideo heretica adduxit, indeque hæresis Procliana renouatorē criminatur, ea uerba sunt nō Procli heretici, sed Methodij orthodoxi, hæresim Procli refellentis. Procli enim hæresis non erat, de peccato remanente in baptisatis, sed de resurrectione, quod Billic

kius statim nono uersu post titulū illum, Sequuntur
 nunc uerba Procli, uidere poterat. Ibi enim legis Pro
 cli docuisse, Resurrectionē de hoc corpore nō oportere
 accipi, ut quod non possit in eternum immutabi
 le permanere: sed de spiritali, in quo tum idem ipse
 character, qui nunc in hoc habetur, sit cōseruandus.
 Hęc itaq; hareticam opinionem uolens Methodius
 confutare, rectē et arte medium argumenti Procliāni
 tollere studet, illud corpus nostrum non posse esse ca
 pax immortalitatis: eamq; ob rem, demonstrat homi
 nem conditū à Deo immortalem, etiā corpore, mor
 tem uerò per peccatū esse inuectam: Deū ideo uolu
 isse se prestare Deum, qui occidat & uiuificet: ac pro
 inde hominē, quē propter peccatū occidat, propter
 misericordiam suam rursus uelle uiuificare, ad beatā
 immortalitatem. Et mortem interim corporis, electis
 suis uice salutaris medicamenti inflixisse, quo pecca
 tū in eis cooccisum, cū corpore moreretur, & corpus
 perditō peccato resurgeret ad sanctam immortalita
 tem. Inde uerò probaturus hoc mortis commo dum,
 quod per eam peccato plenē demū liberamur, quasi
 ne liberari eo non queamus, subiicit, quod etiā mox
 ex Rom. 7. pbat, uiuēte corpore necesse esse peccatū
 in nobis simul uiuere. Tametsi enim admonitionib;
 & disciplina quibusdā quasi resectionibus reprimat
 tur extrā, intus tamē radicem latentē fixā tenere, fide
 quidē illud reprimi, & quasi sopiri, ne fructus noxios
 proferat: radicitus tamen non tolli nisi per mortem.
 Ac proinde neminem hic ita alienum esse à peccato,
 quin cogitet aliquādo de iniquitate. Quæ mala cum
 morte tollantur, concludit, mortem pijs pro medica
 mento auxiliatorio infligi. Lege cætera ipse pag. 262.

Hęc ipsa Methodius postea, disputans contra
 Aglaō

Aglaophontem, omnino cōfirmat, pertractans tot-
 eam septimi capitis ad Rom. partem, quæ est de pecc-
 ato in nobis inhabitante. Quem locum quidem, ut
 & alij nōnulli ex ueteribus, interpretatur, de homine
 in genere. & illud, Vitrebā aliquādo sine lege: refert
 ad statum hominis in paradiso, priusquam præceptū
 accepisset, de non edendo de fructu arboris scientiæ
 boni & mali. Itē in illis Apostoli dictis, Peccatū occa-
 sione sumpta effecit in me per legē omnē cōcupiscē-
 tiam. Item, Decepit & occidit me: ut appareret pecca-
 tum efficere mortem, per bonum, ut fieret peccatum
 supra modum peccator: intelligit per peccatum, dia-
 bolum, peccati autorem. in quam interpretationem
 & D. Ambrosius inclinauit. Ceterum per peccatum,
 quod Apostolus queritur in se habitare, idē qd nos
 intelligit, uitiiū naturæ, unde prauæ & cogitationes
 & cupiditates suggeruntur, quas ipsas cum sua radi-
 ce uerē dici & esse peccata agnoscit, de quo lege ipse
 Methodij huius uerba à pag. 278. usq; ad pag. 283.

Hæc enim ad idem propositum, quo superiora,
 Methodius exposuit, uolens ostendere, peccatū non
 esse ita proprium corpori nostro, ut tolli ab eo non
 possit, nec ab ipso solo esse exortum: & animam in
 peccatum consensisse suo libero arbitrio. Etenim ad-
 uersarij Proclus & Aglaophon, ut probarent, hoc
 nostrum corpus non resurrecturū, conati sunt om-
 nem peccati pestem soli corpori addicere, ab eoq; so-
 lo animæ, quæ per se non peccaret, inferri. Id Metho-
 dius refellit. agnoscit autem, dum anima est hoc cor-
 pore aggrauata, hominem absq; peccato non uiue-
 re. eamq; ob rem ne peccatū in homine sem per here-
 at, sitq; immortale eius malū, cōstitutū esse à Deo de
 mētissimo, ut corpus ita peccato infectū, p̄ mortē &
 resurre.

resurrectionem reformatum, peccato tandem plenè purgaretur. Verùm tu bone lector, ista ipse cognoscas ex uerbis ipsis huius Methodij, quæ apud Epiphanium lege locis indicatis.

Et ex horum itaq; testium catholicæ fidei, Epiphaniij & Methodij autoritate cõstat, ecclesiam Dei semper agnouisse, sicut in sanctis. Apostolo, ita in omnibus sanctis, uitium miserabilis & noxiæ ignorantia, incredulitatis & prauæ concupiscentiæ residere, atque prauas ac noxias inuitis quoque & cogitationes & cupidines indesinenter suggerere: atq; hæc ipsa simul & ipsum innatum uitium, radicem horum malorum, peccata rectè & propriè dici.

Ad confessiones illas præclaras sanctorũ, de eximia iustitia & pietate, alijsq; donis eis à Domino collatis, quæ cum in scripturis, tum in scriptis S. patrum legunt, respondemus quæ supra continetur: sanè omnes in ea confessione Pauli, quæ hoc loco, de quo disputamus, Rom. 7. in gloriam Dei prædicauit, se consensisse & seruisse legi Dei, eaq; fuisse oblectatum, et uoluisse quæ bona sunt, noluisse & odisse quæ mala. Sicut autem eum hac ipsa Apostoli de sua pietate & iustitia confessione, ueram fecit & peccati sui confessionem, cum inhabitantis in se, tum ex illo semper subscaturientis, quod faciebat & agebat, nõ uolens: sic & sancti patres, quicquid in se uspiam ad gloriam Dei agnoscunt uirtutum peccata tamen sua simul passim scriptorum suorum, pleno ore confitentur: & non solum illud in ipsis inhabitans, prauasq; huius concupiscentias ac motus, uerum etiã quæ parendo his motibus commiserunt, actualia, cum prauorum illorum motuum oblectatione & consensu, tum etiam prauè cogitatis, dictis & factis, officiorumq; neglectu. Hæc confessi.

confessiones si non alibi leguntur, lege uel eas quas D. Augustinus secundo libro contra Iulianum adduxit: in quibus clarè uidebis, quosq; sanctissimæ ecclesiæ Christi doctores, ut sibi ipsis, ita etiam pijs omnibus, nec minora nec leuiora quàm nos, attribuere & uitia & peccata. Sed quid? Expende modò eas quas supra adscripsi, cõfessiones D. Cypriani, Hilarij, Ambrosij, Augustini, & Bernardi. Verùm, ut bonis & pacis amantibus animabus uiam interim ostendam hæc de re concordia, ea sic fuit Vuormaciæ & Ratisbonæ constituta, & constituetur faciliè inter omnes qui Deum amant, & uerbis eius fidem cupiunt simpliciter accommodare.

PIA DE PECCATIS IN SANCTIS RELI-

quis, an dici peccata debeant, propria peccati ratione, conciliatio.

CONGERIT Billicius permultas ex sanctorum patrum scriptis sententias, quibus illi prædicant, baptisinate omnium fieri peccatorum, quæcumque sint, uel tracta ab Adamo, uel his adiecta, remissionem & ablutionem: quasi nos aliquid his cõtrarium uel sentiremus, uel scriberemus. nos uerò eadem omnino de nostra regeneratione, & uirtute baptisimatis sentimus, confitemur, & prædicamus. Aliud autem est remitti & abluì peccatum, aliud peccatum omnino tolli ex homine. sublata enim sunt ista Originis mala, ut D. Augustinus toties dicit, reatu, non actu. Iis itaque qui piã amant in dogmatis Christi consensionem, cõtro uerba ista de reliquis in sanctis peccatis, sic faciliè posset cõponi, ut diceremus eum Apostolo, Baptisinate sic abluì omnia peccata, ut nihil omnino sit cõdemnationis ijs qui sunt in Christo Iesu: & nullum cõtrahunt nouum peccatum, parendo peccati inhabitatis concupiscentijs,

1. Cor. 15.

tibus, & motibus, nec uiuendo secundū carnē. Non autē
 peccata omnia ex homine extirpari, sed quā diu hic
 uiuimus, inhabitare adhuc peccata in nobis, atq; ope-
 rari in nobis praua & uitiosa desideria, quę et ipsa, quo-
 niam legi Dei repugnant, recte uocentur & sint, pro-
 pter quę etiā mortī adhuc obnoxij sumus, nec perci-
 pere plenē regnū Dei, nisi his liberati possimus. Caro
 em̄ hæc & sanguis hic Dei regnū percipere plenē non
 possunt. Quę autē tandē sunt aut dici peccata proprie
 debebunt, duntaxat secundū scripturas, si caro nostra
 Deo perpetuò rebellis & inimica, eoque semper cū suis
 cupiditatibus & morbis crucifigenda, huiusq; carnis
 tam impia cogitationes & cupiditates, quę sub tyran-
 nide peccati planē redigere nos conantur, peccata non
 sunt, nec dici proprie debent. Nos itaq; sequamur
 D. Ioannē, imō spiritū S. in Ioanne, hancq; credamus
 propriam esse peccati rationē, si quid sit, aut moueatur
 in nobis contra legē Dei. Peccatū enim ille definit esse
 ἀνομιαν, quod legi Dei aduersatur. Iam idem spiritus
 S. non in Paulo tantum, sed in omnibus credentibus
 clamat & querulatur, plusquā miserē, quā repugnet
 legi totus noster uetus homo, & cuncti eius motus co-
 gitationes & cupiditates, uocatq; hæc toties peccata,
 idq; simpliciter. Cum itaq; meliorē dicēdi his de rebus
 artificem habeamus neminē, credamus, & cōfiteamur
 peccata & uerē esse, & secundū propriā peccati ratio-
 nem, cū innatā illam nobis Dei ignoratiōē, & a pla-
 citis eius abalienationem, tum cunctas huius uitiosita-
 tis turpes, & lege Dei damnatas perturbationes. At si-
 mul in Domino nostro Iesu Christo gloriemur, gra-
 tiasq; ei agamus, qui nobis baptisinate cōtulit, cū ne-
 quid hæc nobis uera peccata adferant cōdemnationis:
 tum etiā spiritū suum, quo & innata ista peruersitas de-
 bilita-

billitatur atq; impeditur, motusq; eius prauū reprimūtur, & tandē radix ista mala funditus in nobis extirpatur: quando Dominus noster Iesus Christus, hoc ipso suo spiritu, corpus humile nostrū per resurrectionem trāsformabit suo corpori glorioso, & induerit hoc corruptibile in corruptione, & hoc mortale immortalitate.

Hæc de peccatis in sanctis residentibus atq; inheren-
tibus, eosq; infestantibus, quæ nihil in illis inferūt con-
demnationis, non ex se quidē, sed propter gratiā Chri-
sti in baptismate perceptā. Reprehenderunt præterea
aduersarij tres locos in nostra cōfessione: Nulla esse o-
pera supererogationis: Bona opera necessariò manare
ex fide: Et ea modò uerè bona esse opera, quæ fiunt
mandato Dei. & de his igitur paucis nostram fidem
proferamus & confiteamur.

NULLA POSSE SANCTOS PRAESTARE BO-
na opera supra quàm debeant, quæ uocantur à Scho-
lasticis opera supererogationis.

SCHOLA cōmentum amplexa est admodū pernicio-
sum, de certa quadam benefaciendi mensura, qua
Deus à nobis ita sit cōtentus, ut si quid supra eam mē-
suram beneficiamus, id ualeat cū nobis, tum alijs,
quibus ea deputamus, cū ad expianda & sarcienda
priora delicta, tum ad cōcilianda nobis Dei beneficia.
Nec aliā uerò adferunt Scholastici cōmenti huius ra-
tionem, quàm, Deum, licet debeamus ipsi totum quod
possumus, tamen hoc totū à nobis nō exigere, quia id
nobis sit præstatu impossibile. Ita scilicet fas est, hisce
hominibus legem Dei, à qua nec iod, nec unus apiculus
remitti potest, cuiq; cedere oportet cœlū & terram,
pro nostra refugere infirmitate & impossibilitate. Non
perpendunt isti doctores, quæ legis usum spiritus san-
ctus doceat, uolens ea nobis omne quo tenemur, pec-

catum ostēdere, ut ex ea cognita nostra perditione, in quam nos induxit Adam primus, toto corde cōfugiamus ad Christum Dominum nostrum, & à condemnatione legis liberatorem, & legis pro nobis impleto-rem. Lex exigit, ut Deū diligamus ex toto corde, & tota anima, & ex tota uirili nostra כבד מואב, id est, & in omni ualde tuo: hoc est, quo plurimum possis. Indignum enim est istud de facultatibus operū intelligere, ut Iudæi. Sed hac de re dictum satis supra est. Demonstratum itaq; cum sit supra, neminē sanctorum posse facere quæ debet: eo est & istud commentum confutatū, homines Deo aliquid boni præstare, supra quam debent. Sed Alphonsus Virnesius episcopus Camariensis, conatus est dogma hoc scholæ adserere. Neminem, inquit, lege Dei adstringi ad cœlibatum: bonum tamen opus esse, si quis eum suscipiat propter regnum cœlorum. Ita Paulo fuisse bonum opus, quod Apostolus euangelium gratuitò prædicauit, nec illud tamen lege fuisse ab eo requisitum. Esse igitur, quæ opera supererogationis rectè dicantur.

Sancti possunt facere de quibus non habent peculiaria præcepta, non autem de quibus nullum.

Sed uir hic quanquam admodum eruditus, & attentus, non tamen animaduertit quam latè pateat primum illud legis diuinę totius caput, De diligēdo Deo, & seruiendo ei ex toto corde, &c. Quanquam enim possint sancti quædam facere, de quibus nihil sit hominibus in uniuersum præceptū nominatim: ut nulla est lex data, quæ uel cœlibatum, uel prædicationē gratuitā exigit promiscuè ab omnibus hominibus: nunquam tamen possunt aliquid boni facere, quod non exigatur ab eis, & longè perfectius quam ipsi præstare illud unquā ualeant, capite illo primo legis diuinæ. Exigitur enim eo, ut seruiamus Deo ex omnibus uiribus, pro omni quam cuiq; Deus tribuerit facultate.

Cui

Cui igitur Deus dedit, ut nomē ipsius potius sanctificet, & regnū promoueat atq; illustret cœlibatu, quàm coniugio: gratuita euāgelij prædicatione, q̄ pro eo aliquid accipiat stipendij: is iam debet & uiuere cœlebs, & prædicare euangelion Christi gratis. Debet enim seruire Deo, quo maximè & optimè per eius gratiam possit.

*Quantum
cuiq; datū
est ad glo-
riam Dei
facere, tan-
tum debet
Deo.*

Hæc quicumq; adiunxerit ihs quæ dicta suprâ sunt de tenuitate, mutilatione, & impuritate honorū operum, quam omnes ueri sancti pleno ore confitentur, is facillè agnoscet, quàm indignum sit ad confutandum istud dogma, uerba ulla amplius prodigere. At tamen ex hoc dogmate repleta est ex parte cista indulgentiarum, tantiq; facta & uendita sunt diuorum merita, & succensum est purgatorium, redemptionesq; ex eo tot tamq; preciosæ inuentæ. Dominus repurget ecclesiam suam commentis aduersarij. Amen.

BONA OPERA EX FIDE NE-
cessariò promanare.

Hoc Catholicum ecclesiæ Christi dogma satis adsertum est suprâ, cum demonstrauimus, fide euangelica & iustificatrice nos regni, atq; Christo inseri: fieri arbores, quæ nec possint proferre fructus malos, nec non proferre bonos.

Billickius uerò, cum uellet hoc dogma conuellere, in expensione & reprehensione Axiomatis nostri, dixit, uerè bona opera non posse esse sine spe & charitate, quod & nos dicimus. At quid in hoc dicto apparet argumenti contra nostrum dogma? An propterea non promanant ex fide bona opera necessariò, quia illa fiunt absq; spe & dilectione? Nos uerò suprâ demonstrauimus, ex fide necessariò gigni & sp̄e & charitatē: & ex his cum fide iunctis, cuncta bona opera. Vide responsionem nostram ad Replicam secundam, in colloquio

loquio familiari, quę incipit pag. 208. Item ubi fidei definitionem adseruimus. Deniq; adsertionem dicti nostri, gigni ex fide charitatem, contra Vintoniensem.

NULLA ESSE BONA OPERA, NISI
quę sunt à Deo præcepta.

In expō-
sitione atq; re-
prehensio-
ne nostri
axiomatis
20.

Hec pag.
162.

Quę pie
ceremo-
nię.

HANC sententiã sinistrę intellectã, queritur Billi-
ckius multũ peperisse scandali & perturbationis
in ecclesia Dei, toto huius in religione dissidiũ tẽpore:
dum opera caeremoniarũ, & instituta monasteriorũ, a-
liãq; pię deuotionis exercitia, & piã seruiendũ Deo stu-
dia derisa, reiecta & abolita sunt eo prætextu, quod nõ
sint à Deo mãdata, quia nõ sint in D. scripturis expres-
se posita. Prætextũ hunc ait, se pro iusta ratione recipere
nequaquã posse: nõ enim esse in D. scripturis omnia
expressa, quę seruare debemus. & ad hoc confirman-
dum affert dictũ Apostoli 2. Thess. 2. & epistolas duas
ad Ianuariũ. Nec à nobis, nec à quocũq; alio, nobis au-
toribus, ulla pię caeremoniæ, ulla sancta monasterio-
rum instituta, ulla ue alia pię deuotionis exercitia, aut
piã seruiendũ Deo studia derisa sunt, reiecta & abolita.
Cæremonias autẽ eas duntaxat piãs agnoscimus; quę
nec supersticiosam, nec inanẽ inferunt elementorum
mundi seruitutẽ: & cõferunt eò, ut uerbũ Dei, atq; sa-
cramenta Christi populo administrent, & exhibeant,
preces ad Dominũ fundantur, disciplina Christi exer-
ceatur, cum decenter & ordine, tum ad uerã & efficacẽ
in Christũ ædificatiõẽ. Hęc piarũ caeremoniarũ ratio-
nem habes traditã à Domino & spiritu S. A. Domino
Matth. 12. ubi defendit discipulos suos, qui sabbatho
spicas euulserant: & in eodẽ Euangelista 15. cum eos dẽ
defendit, quod illotis manib. cibũ sumpserant. Item a.
pud eundẽ 21. quando uendẽtes & ementes eiecit tem-
plo. Item 23. quando scribis & pharisæis exprobrauit
ob

obseruationē minutarū rerū, & neglectū grauiorū.
 A' Spiritu S. uerò, 1. Cor. 14. quo loco precipit, ut in sa-
 cris coetibus omnia ordine atq; decenter, & ad ædifica-
 tionem fiant: & Gal. 4. & 5. & Colloss. 2. quibus locis
 damnat & superstitiosam & frustraneā elementorum
 seruitutē. Muta itaq; signa, lectiones & cationes, nec
 religiosē nec intelligenter exhibitas, superuacaneū &
 cruci Christi malē congruentē templorū & instrumen-
 torum, religiosarūq; actionū ornatū, & fœdam harum
 rerum cauponationē, hæc certē, ut uerbo Dei grauissi-
 mē dānata sunt, ita reiiciūtur & à nobis. Monasteria,
 sicubi quis exhiberet eiusmodi, qualia probauit uetus
 ecclesia, & descripsit D. Augustinus lib. De moribus
 ecclesiæ cōtra Manichæos, in quibus nimirū pijs homi-
 nes, sub certa & pia disciplina Christo uiuerēt, remoti
 à negotijs secularib. & ecclesiasticis, ut in cōcilio Chal-
 cedonēsi constitutū est, & laborarēt manibus suis, ne
 cui oneri essent, & ut haberent quæ pauperibus eroga-
 rēt, talia nobis cœnobio uenerationi, nō derisui essent.
 At eorum cōtubernia, qui prætextu portentosarū ue-
 stium & tonsuræ, quas uerī monachi semper damna-
 runt, & superstitiosarū partim, partim frustranearū le-
 ctionum & cantionū otiosē & impurē uiuunt, ecclesia-
 rumq; bona obliguriunt, hæc uellemus toto orbe esse
 sublata: idq; sicut authoribus Christo & Apostolis, ita
 etiam comprobatoribus cunctis sanctis patribus, qui
 ueram monasticen unquam laudarūt, D. Basilio, Hie-
 ronymo, Chrysostomo, Augustino, Bernhardo.

De cæteris pietatis exercitijs, si id sunt quod dicun-
 tur ex mandato Dei & Christi fide, cū suscipi ea, tum
 perfici oportet: esseq; opera aut fidelis pœnitentię, aut
 utilis disciplinę, aut fructuosæ charitatis. Quę ita sunt,
 laudamus: quæ secus, uituperamus: secuti in eo uerbū
 Dei

*Vitia cere-
 moniarum.*

Dei, & doctrinam sanctorum patrum. Atque utinam ad D. Pauli traditiones, & D. Augustini ad Ianuariū sententiā, omnia in ecclesijs Dei reformarentur: tam nos premit Billickius horum autoritate.

Porrò dictū illud aduersariorum, Non esse omnia in scripturis expressē posita, quæ seruare debemus: si intelligant de expressione ad uerbum, uerum est. non enim nominatim, & ad uerbum sunt omnia in scripturis expressē præcepta pietatis officia. At quia diuinæ scripturæ ita instituunt hominem Dei in iustitia, ut apparatus sit & instructus ad omne opus bonū: 2. Tim. 3. nihil prorsus boni operis excogitari poterit, quod non certo Dei præcepto in scripturis nobis sit mandatum, si non in specie & nominatim, tamen in genere.

Porrò de his locis scripturas Dei abunde docere, & quæ credenda sunt nobis, & quæ facienda omnia: item eas tantum posse haberi ecclesiæ traditiones, quæ ex scripturis possunt demonstrari, fidem ueteris ecclesiæ catholicam, exposui satis copiosē, & euidentibus testimonijs cōprobauit in libro meo, quo respondi Latino de his reb. edito anno XLIII. Hæc sunt quæ respondere nūc uisum est ad ea, quibus Billickius conuellere uoluit, quod docemus ea tantū posse haberi opera, quæ solus bonus Deus præcipit, qui nihil boni nos filios suos in lege sua nō abunde docet: sinēq; simul imponere placet toti nostræ respōsioni & explicationi de iustificatione fidei & operū, atq; ijs omnib. quæstionibus quæ hoc loco cōtinentur. Qui spiritū habet Christi, iudicēt. Nos quidē corā Deo nobis cōscij huius sumus, nihil nos quā gloriā Dñi, & ecclesiæ eius salutē in his & spectasse, & quæsiuisse, uerbumq; eius esse religiose sectatos, Sed iudicium sit ecclesiæ Christi.

F I N I S.

NARRATIO SVSPENSI

COLLOQVII: ET D. COLLOCV-

torum Confessionis Augustanae, hac
de re purgatio.

N E M O tam graui & deprehenso crimine petitur, cui nō & naturæ æquitas locum det suam offerendi defensionem, si quam obtendit: & hoc apud idem tribunal, apud quod sit accusatus. Nos grauissimis sanè criminibus, & ijs non solum non manifestis, verum etiam ex parte planè falsis, infestamur, iam in alterum annum: idē publicè, & apud tribunal omnium propè nationum, quæ sunt Christi cōfessionis reliquæ, de impie abrupto Colloquio, quod inuicissimus Imperator, clementissimus Dominus noster, Carolus v. pro concilianda religione Christi, & pacificandis ecclesijs instituerat, de cō fuga ex urbe Ratisboneñ. turpi, & malæ conscientiaē indice. Agnoscent itaq; pij & æqui homines, iure concedi mihi, ut non tam pro me & collegis meis, quàm etiam pro principibus nostris & ecclesijs, ueram adferamus defensionem. Hanc in simplici rei, ut gesta est, narratione, præcipuè ponam, per paucis ad finem eius adiectis responsis, ad aduersariorum criminationes. Narratio itaq; sic habet. Commemorauimus superius rationem colloquendi, qua cœptum, & usq; ad alterū Imperatoriæ Maiestatis rescriptum, perductum colloquium est, nō fuisse simpliciter nec à præsidibus constitutam, nec à nobis collocatam; sed præsides eam tantum ualere uoluisse, dum

Paginis 17.

18.

○○○

Impe-

Imperatoria Maiestas aliud rescriberet: nos, dum nobis nostri principes diuersum mandarent. Vbi itaque nostri Principes nobis hanc rationem sequi permisissent (magis tamen id in honorem Imperatoriae Maiestatis & praesidium, quam quod eam per se probarent, optauerat enim semper Acta tantae collocutionis partibus utrinque libera permitti) nos hac ipsa ratione in Colloquio, quod ad Principes nostros & nos attinet, ad finem usque tractationis earum quaestionum, quas Imperatoria Maiestas proposuerat, perrecturi eramus. Sed effectum fuit, per quos, nos quidem nescimus, de Praesidium certe aequitate nihil huius suspicamur: effectum tamen est, ut Imperat. Maiestas eam rationem ratam habendam non putarit. Nam viceultima quinta Februarij, fuerunt nobis iussu Praesidium colloquij, recitatae Imperatoriae Maiestatis recens alicuius litterae, & de ratione colloquendi declaratio, quae continebat haec capita. Primum, Imperat. Maiestatem prioribus duobus praesidijs, adiungere reuerendissimum principem, D. Iulium episcopum Neuburgensem. Deinde nolle, ad colloquium quencumque ultra praefinitum a se collocutorum & auditorum numerum, admitti: non prohibere tamen, ut collocutores, quos sibi adiunctos in hac causa theologos haberent, ut his uterentur vice consultorum, sed extra colloquium: & si quem designatorum collocutorum contingeret legitima de causa a colloquio abesse, ut reliqui numerum suum ex eisdem adiunctis complerent. Tertio placere, ut ad acta colloquij excipienda, non tantum notarij adhiberentur, quos praesides ad id delegissent. Quarto, adstringi debere iuramento silentij, & praesides, & auditores, & collocutores adiunctos, & notarios, ne quis

quisquam eorum, de rebus in colloquio tractatis, cuiquam mortaliū antē quicquid patefaceret, quā Imperatoriae Maiestati, & Imperij ordinibus acta colloquii essent exposita, & id ab Imperatoria Maiestate permissum. Quintò, Imperatoriā Maiestatem illud in recessu Vuormaciensi, de facienda in Comitibus actorū in colloquio plena relatione, sic intelligi uelle, ut non omnes disceptationes & communicationes hinc inde de unoquoque articulo, de uerbo ad uerbum referri deberent: sed ubi collocutoribus de aliquo articulo conuenisset, is in præsidium presentia annotaretur, & à collocutoribus utriusque partis subscriberetur: de quibus autē articulis inter eos non conuenisset, ut de his utraque pars suam sententiam, & quibus ea niteretur argumenta, scripto, & quo possent paucissimis uerbis, complecterentur, atque huiusmodi libellos à se scriptos notarijs adseruandos præsenterent. His Imperatoriae Maiestatis responsis auditis, bidui spacium ad deliberandum, quid ea in re nostri esset officij, à præsibus orauimus, atque impetrauimus. Nihil quidem magis in uotis nobis erat, quā Imperat. Maiestati per omnia parere: causae tamen, quae agebant, amplitudo, & quae à nostris principibus mandata acceperamus, reddebant nos haud parum sollicitos. Comperiebamus etenim indies certius, nullum omnino alium nos posse fructum ex instituta colloquutione, quod quidem attinebat ad partis alterius collocutores, expectare, quā ut Imperatoriae Maiestati, atque imperij ordinibus disputata inter nos, commodè conscripta, & inuicem collata, offerrentur dijudicanda. Tum reputabamus, nostros principes à nobis postulasse, quoties aliquis articulus esset pertractatus, ut ipsos de ea tractatione,

tione. tractationisq; euentu, redderemus certiores, quo possent in tempore, antequam in comitijs decernendum esset, cum suis de tantis rebus deliberare. Postremo perpendebamus, controuersias de quibus nobis erat colloquendum, ubiq; agitari inter homines, sicut ille omnium quoq; interfunt ad salutem sempiternā: nec aduersarios alia adferre argumēta, quā quæ obiecta nobis pridem essent, & obijcerentur cottidiē ab ijs qui nostræ confessioni & professioni aduersantur, adeo ut nihil propè dicendum ab utrisque uideretur, quod non in ore uulgi uersaretur: eam igitur ob rem, iurare tam anxium disputandorum in Colloquio silentium, non minus periculosum nobis uidebatur, quā & à causa ipsa, & ab officio nostro alienum. Quibus rebus perpensis, hæc partim testari apud præsides, partim ab eis petere uisum est.

Cum itaq; ad præsides & reliquum auditorium uenimus, testati de nobis sumus, primum, Imperatoris Maiestatis nos & literas, & de ratione colloquendi declarationē & præscriptum, qua deceat reuerentia, expendisse: compelli autem ipsa & causæ & officij nostri religione, orare præsides, ut quædam nobis, de quibus in eo præscripto nulla facta esset mentio, concederent, quædam de eo remitterentur.

Deinde adiungi tertium præsidem, nobis haud esse ingratum, qui mallems causam agere coram cunctis Imperij ordinibus: adiecimus tamen, nobis haud uideri iniquum, si daretur adiungi præsidibus etiam alium quem ex ijs principibus, qui nostram confessionē sequerentur: cum horum haud paruus esset inter Imperij ordines numerus. amicū hoc colloquiū esse deberet, & religioni in uniuersum conciliandæ uiam munire.

Peteba-

Petebamus uerò, & primùm, quoniam aduersarij pleræq; iam in acta contra nostram confessionem contulissent, ad quæ respondere cepissemus, nobis præstides concederent, eam nostram responsionem ab solutam actis inferre. Deinde permetterent, ut in Acta & ea reciperentur, quæ attuleramus de conciliatione articuli iustificationis, facta in priore Ratisbonensi colloquio: quandoquidem ea ad quærendam ecclesiarum in doctrina Christi conciliationem, haud parum momenti haberent.

Deinde, ut ij theologi, qui fuerant nobis collocutoribus à nostris principibus adiuncti, quorum tres tantum aderant, à colloquio, cui hæctenus interfuisent, non excluderentur: sic enim hos posse, & nobis, & causæ, melius consulere, ad quam rem ab Imperatoria Maiestate admitterentur. Præterea rogabamus, nostrum notarium ab excipiendis Actis non remoueri, postquã Imperatoria Maiestas in præsidium posuisset potestate, quos uellent notarios conscribendis actis adhibere. Nam in uulgaribus iudicijs, ubi de rebus contenditur, quas sæpe præstaret amisisse, quam uindicasse, concedi, ut & partes acta sibi excipiant. Postremò de exceptione Actorum per notarios, commemorabamus rursus causas, cur peteremus, excipi singula, quæ inter colloquendum ab utraq; parte argumenta adferrentur, quæ quidem aliquod conferrent momentum ad propositas religionis controuersias, & plenius cognoscendas, & certius dijudicandas. Quam rationẽ sicut in grauioribus seculi iudicijs necessaria creditur, ita & à sanctissimis olim patribus, procurandæq; ecclesiæ Christi peritissimis, constaret summa cum religione esse obseruatam cum in Conci

lijs, tum in quibusq; grauioribus Ecclesiasticis disputationibus. Verum cum uideremus non esse in Præsidentum manu, nobis, quæ ipsis uiderentur, concedere: obtulimus nos ad pergendum in colloquio, etiam citra argumentorum singulorum conscriptionem, si modò præsides concedere nobis atq; efficere uellent.

Primum, ut nostram coram ipsis responsionē, ad ea quæ aduersarij contra nostram confessionem adacta dicassent, absolueremus, & in acta referremus.

De notario.

Deinde, ut Ioanni Pistorio nostro, qui hactenus munus notarij bona fide obiuisset, locus inter notarios uel relinqueretur, uel ipsorum autoritate denuò daretur.

De ratione componendi scripta aduersaria.

Tertiò, ut cum pertractato in familiari colloquio ne aliquo articulo, nec conciliato, aduersarij sententiā suam, & qua illa niteretur, argumenta, scripto, pro Imperatoris Maiestatis iussione, obtulissent: nobis eiusmodi scriptorum exempla exhiberentur, quo aduersariorum sententiā nostram sententiam, & argumentis eorum nostra argumenta possemus, eo quo illi preiussent, ordine subijcere, & comparare. Quam rationem componendi scripta aduersaria, cum uideamus in profanis iudicijs, ipsa natura magistra, obseruari tam diligenter, ut quæ ad controuersiarum dijudicationem non tantum perutilis, sed propè necessaria iudicetur: dicebamus, nos hoc iustiore de causa requirere, quo controuersia inter nos excutiende, essent & de rebus longè amplioribus, & multo difficilioribus implicatæ disputationibus.

Ratio familiaris colloquij.

Quartò, ut aduersarij, dum in familiari colloquio reprehendere locum aliquem nostræ confessionis instituerent, desumerent sibi primum, ac proponerent articulo.

articulum aliquem, quàm possent, simplicē, & unam tantum quæstionem in se cōtinentem: ne plures uno articulo confusæ quæstiones, difficiliorē facerent controuersiarum excussionem, & obscuriorem. Deinde priusquā contra eiusmodi articulum argumenta proferrent sua, perciperent à nobis uerborum & sententiæ nostræ explicationē, quo certius liqueret, quid inter nos controuerteretur, ne Andabatarum more depugnaremus. Postremò, cum de nostra eis sententiā planè constaret, & oppugnandam eam sibi iudicārēt, ut simulatq; unum obieciissent argumētum, nostram statim ad id responsionem audirent: eamq; si reprehendendam existimarēt, nos rursus, post quamlibet suam obiectionem, nostram referre responsionem, si quam haberemus, paterentur. Ita enim, si argumento cuiq; statim sua responsio componeretur, posse de re proposita & ueritatē perspici cum citius, tum plenius, non obruta incondita & confusa argumentorū & responsionum congerie: & nihilominus, quæcunq; habeantur de quac; re argumenta, suo loco proferri.

Quintò, ut silentij iuramentum, præsertim tam anxij, ut nulli mortalium quicquam de actis colloquij reuelemus, nobis, uel dum Imperat. Maieft. rursus consuluissent, remitterent: nos enim à principibus nostris, quibus iuratam obedientiam in iustis & honestis rebus deberemus, hoc accepisse nominatim in mandatis, ut eos de actis colloquij quolibet tempore redderemus certiores. Tum res isto colloquio tractandas, esse eiusmodi, ut eas habere quàm plenissimè cognititas, intersit ad salutem omnium: quocirca Dominus prædicare eas de tectis, hoc est, maxime propalam præcepisset.

Sextò,

Sextò, ut aduersaria illa scripta de non conciliatis articulis à nobis utrinque oblati, eo loci, eaq; ratione seruarentur, quibus priora acta.

Has concedi nobis à præsidibus conditiones petebamus, uel dum Imperatoriâ Maiestatem denuò cõsulissent, nulla sanè alia adacti causa, quàm religione officij nostri, & erga Deum, Seruatorē nostrum, eiusq; ecclesias, & tot principes & populos, de quorū æterna salute eo agi colloquio debebat. Quas conditiones confidimus à nemine Christi uerè studioso iniquas iudicandas, qui perpenderit, primùm magnitudinem rerum quæ tractari hoc colloquio debebant: deinde numerum atq; dignitatem eorum, quorum nomine et periculo, nos tractare res tantas oportebat, tot nimirum principum & populorū, confessioni Augustanæ adhaerentium: præterea paucitatem atq; imbecillitatem nostram, quatuor tantum collocutorum: postremò, conditionem eorum, quibus commissi eramus, collocutorum, quorum tres nostramq; cõfessionem, & dicendo, & scribendo, diu & acerrimè atque inuidiosissimè oppugnaverant.

Hanc ergo nostram commemorationem & petitionē exhibuimus, & recitauimus coram præsidibus, & alterius partis collocutoribus & auditoribus, secundo Martij. Tertio obtulerunt alterius partis collocutores suam ad noua Imper. mandata respõsionem: in qua primùm reprehenderant, quod ipsos nostram exhibendo respõsionem, anteuertissemus, quib. ut ab Imperatoria Maiestate deputatis, prior locus deberetur. Nos autem id simplici animo, nullo eos ulla in re præuertendi consilio feceramus. Deinde dicebant, se mandatis Imperat. Maiest. sicut præcepto Apostolico iube-

tuberentur, per omnia libenter parituros: neminē enim de his rebus, sicut & de cæteris, posse statuere melius. & tertium præsidem D. Iulium, adiecta eius colaudatione recipiebant. Postremò, perstrinxerunt satis acerbè cœptam nostram responsionem de iustificatione, & de articulo, in priori colloquio conciliato: atque petebant, ut ea aut eximeretur actis, aut locus ipsis daretur ea confutandi.

Nos itaq; ut hæc illorum crimina à nobis depelleremus, petebamus respōsi eorum exemplum, & offerebamus eis inuicem exemplū nostri. Verūm præsides, quo minus esset offensionum, nec nobis illorum, nec illis nostri scripti copiam facere uolebant: quod quidem nos æqui fecimus. tantum paucis, quid nos mouisset, ut nō remissius nostra proposuissemus, demonstrauimus. Ita præsides nos dimiserunt, de principali petitione nostra deliberaturi.

Quarto Martij uocant ad se generosum comitem Vuolradum à Vualdek, auditorem nostrum: iubētq; tres nostrū secum ducere. His exponunt, quanto pere cupiant colloquiū eò perducī, ut ad Christianam in religione conciliationem quamplurimum conferret: & dolere, responsa nostra utrinq; esse oblata tam uehementia: uereri quoq; se, Imper. Maieſt. nostra responsione, si eam perciperet, sic offensam iri, ut hinc & colloquiū intercipi, & comitia impediri possent: ut quæ colloquiū sequi, & in quibus cœpta in colloquio de cōcilianda religione actio perfici debeat. qđ si fieret, Germanicæ nationi, propter tam diu hærens religionis dissidium, magna metuenda esse pericula & damna. Hæc igitur mala quo cauerentur, petere se, ut dimissis salutī respub. nostris exceptionibus, man-

datis Imperat. Maiestatis progrediendo in colloquio, pareremus.

Ad hæc responsum à nobis est, nos nihil malle, quam Imper. Maiest. piam in omnib. obedientiã præstare: & confidere, Imper. Maiest. et quoslibet pios & æquos homines, perpenfa causa ipsa, in qua uersaremur, & prorogatione Vuormaciensi, respõsa nostra clemẽter & æquo animo esse accepturos: indeq; agnituros, nos ad colloquium, qd ad eum finem, ad quem esset institutum, ullo modo conferret, esse omnino uoluntarios & paratos: nec dare causam, cur colloquium distraheretur, aut aliquid eorum incõmodorum, quæ commemorasset, consequeretur: tamẽ recipiebamus, nos rem omnem ad collegas relatores esse.

Postridie conuocatis ad curiam, & alterius & nostræ partis collocutoribus & auditoribus, commemorant præsidēs iterum nobis, quam cupiant sua opera colloquium ad optatum finem, quam commodissimẽ deducere: cum autem nec ipsis concedere nobis aliquid de Imper. Maiest. mandatis, nec nos à nostris petitionibus discedere liceret, uisum ipsis esse, de hac colloquij difficultate ad Imperat. Maiest. scribere, & ampliores de munere suo declarationem petere: ac præsertim illud, ut Imper. Maiest. ipsis permittat, unũ ex nostris notarium ad excipienda acta constiturere: & silentij iuramentum nobis uel eò usq; remittere, ut principes nostros de actis colloquij possemus reddere certiores: ea tamen lege, ut principes acta, dum Imperat. Maiestati, & Imperij ordinibus in comitijs relata forent, apud se continerent. Indicabant præterea, se intra paucos dies expectare ab Imperatoria Maiestate litteras, in quibus de incidentibus nonnullis causa colloquij

loquij casibus, pleniorē essēt accepturi uoluntatis Imperatoriae Maiestatis explicationem. Dum itaq; ista ab Imperatoria Maiestate rescripta afferrentur, uideri sibi, colloquium intermitti posse, maximē eo tempore (erat enim sub initium quadragesimæ) quo seueriores actiones remitti solent: se tamen petere, si quid nobis aliud uideretur, ipsis patefaceremus.

Respondimus: Quæ ad Imperat. Maiest. scribenda putarent, ipsorum, nō nostri esse arbitrij: nolle tamen eos celare, nos existimare, has de uia & modo colloquendi quæstiones posse quàm commodissimē expediri, et futuras cauere, si nostri principes, prius ab Imperatoria Maiestate eam colloquēdi rationem impetrarent, quam ut causæ commodam agnoscerēt, ita nobis sequi per omnia permitterent: ne cum Imper. Maiest. rescripserit, nos rursus diuersis principum nostrorum mandatis impediremur, postquam nō ab ipsa Imperatoria Maiestate, sed à nostris principibus essemus ad colloquiū missi: & meritò perpenderemus, quanti illorum interesset, nos causam ipsorum & tot ecclesiarum sic agere, ut id ad sinceram religionis nostræ pacificationem conduceret.

Porrò ne in nobis aliqua suspensio colloquij culpa hæreret, addebamus, nos paratos esse in colloquio progredi, dum ab Imperat. Maiestate rescripta afferrentur, etiã sine exceptione per notarios utrinq; dicendorum: tantū si aduersarij sua illa scripta, quibus excusso aliquo articulo, suam sententiam, & eius fundamenta conscriberent, communicare nobis non grauentur: quo possemus nostram quoq; sententiam, si inter nos minus conueniret, & quæ ad illorum respondenda obiecta haberemus, directè & ordine, illo

rum sententiæ & argumentis componere: eaq̃ ipsi
 rursus offerre, ut si nostra responsa minus probarent,
 iterum illis instituto ordine opponerent, quibus pu-
 tarent ea confutari. ad quæ & nos eodem ordine rur-
 sus nostras, si quas haberemus, respõsiones daremus:
 eaq̃ uteremur obijciendi & respondendi uiciffitudi-
 ne, donec unamquamq̃ propositam controuersiam
 satis excussam & explicatam, offerendam præsidibus
 utrinq̃ censeremus. Quæ ratio cum in cæteris cõtro-
 uersijs utiliter obseruetur, dubitari non posse, quin &
 in excussione controuersiarum religionis, perutilis fu-
 tura esset. Hac ratione integrum nobis relinqui, prin-
 cipes nostros de summa actiorum semper reddere cer-
 tiores, quo ad statuendum hisce de rebus in comitijs
 possent aduenire paratiores: quod requirere eos in
 hac causa salutis sempiternæ, uideri nobis hoc minus
 indignum, quod in colloquium illi consensissent, alijs
 uerò Imperij ordines minimè. Quamobrem consti-
 tutum etiã de hoc colloquio, haberi nobis ceu con-
 uentum & pactum quoddam inter Imper. Maieft. &
 nostros principes: quo concessum illis sit, nobis, suis
 ministris, & qui ipsorum & nomine & periculo hanc
 summam salutis ipsorum causam agere hic debemus,
 de uia & ratione colloquendi præscribere, præsertim
 ea quæ huc omnino faciant, ut causa hæc Christi &
 ecclesiarum agatur religiosè & utiliter. His auditis,
 præsides nos dimiserunt.

Sexto Martij uocarunt præsides nos rursus in cur-
 riam: atq̃ iterum admonuerunt, ut præscriptum Im-
 peratoris Maieftatis de ratione colloquendi obedi-
 ter & simpliciter sequeremur: in sua potestate non es-
 se, de eo quicquam nobis concedere. quocirca, si nec
 nobis

nobis liceret à nostris recedere postulatis, se nihil uiderere superesse aliud, quàm ut colloquío tantisper, dum ab Imperatoria Maiestate alia acciperent mandata, supersederetur.

De eo autem quod significassemus, uideri nobis, ad utilem colloquij progressum posse nonnihil conferre, ut nostri Principes antè cum Imperatoria Maiestate de omni forma & ratione colloquendi prius conuenirent: uereri se, ne Imperatoria Maieestas eam nostram petitionem minus gratam esset habitura. nam cum Principes nostri Imper. Maiestat. ut capiti id detulissent, ut p̄sides colloquio, suo ipsa daret arbitratu: se existimare, eidem Imper. Maiestat. à nostris principibus esse delatum, quam uellet quoque uiam & rationem colloquendi p̄scribere. Attamen si nobis operæ precium uideretur, ut apud Imperat. Maiestatem hac de re intercederent, debere nos eam nostram petitionem scripto comprehensam ipsis offerre: tum se eiusmodi nostrum scriptum, Imper. Maiestat. cum suis literis transmissuros esse, nostramque petitionem, quoad liceret, commendaturos.

De forma autem colloquendi interea, dum ab Imperat. Maiestat. ampliora mandata adferrentur, quam obtulissemus, deliberassent nonnihil, & essent de ea amplius deliberaturi: cumque constituissemus de responso nobis dando, se nos ad se reuocatuos. Existimare autem se, non inutile, si eadem de re, & cum alterius partis collocutoribus ipsi ageremus.

Ad hæc iterum testati sumus, nos omnino sic & mandatis nostrorum principum, & ipsa agendæ causa religioni constringi, ut postulata illa nostra, de ritè componendis scriptis aduersarijs, & de facultate refe-

rendi ad nostros Principes, cùm ea scripta, tum quæ ageremus in colloquio illorum nomine & periculo abijcere non possemus. Nec displicere nobis, ut ad Imperatoriam Maiestatem, nostram de his rebus responsionem ipsis scripto oblatam transmitteret: ea enim nos esse spe, & Imperat. Maiestatem, & quemuis Christianum, ex illa perspicuè uisurum, nos nihil petere, quàm quod causa Christi & ecclesiarum ipsa omnino postulet; nec ullam hac nostra petitione causam obijcere, quo minus in colloquio utiliter progredieremur.

Quod uerò commemorassemus, nobis perutile uideri, ad colloquiij perseverantem & salutarem progressum, si ab Imperatoria Maiestate nostri Principes prius eam colloquendi rationem constitui impetrarent, quam agnoscerent nobis per omnia esse sequendam, id nos animo simplici, & optati progressus colloquiij cupido, fecisse pro nobis, ex nullo à nostris Principibus accepto mandato: quam ob causam nostrum non esset, dare ea de re scriptum aliquod Imperatoriae Maiestati offerendum. Quod ipsis eam nostram cogitationem indicassemus, mouisse nos, quod de forma colloquendi diuersa ab Imperatoriae Maiestatis prescripto mandata, à nostris principibus & data essent huc profecturis, & missa hic agentibus: quod si Imperat. Maiest. de ratione colloquendi prescribere omnia detulissent, expectandum non erat. Adijciebamus his, cum indubie ipsi quoque cuperent talia ab Imper. Maiest. de colloquio mandata impetrare, qualia ad id maxime conducant, ut colloquiū hoc ad praestitutum fidei finem, optatae in religione reconciliationis profequi & absolvere possemus, uideri esse nostri officij,

eos de proposito et uoluntate nostrorum Principum, quorum arbitrio nos, et in hac maximè causa, agere oportet, quàm plenissimè admonere. Eam itaque esse mentem illorum, quantùm ex ipsorum mādatis, & coràm expositis, & per literas huc missis, ut inter nos & alterius partis collocutores in hac tãta causa æqualitas seruetur, ut actionum nostrarum sufficientia, & fide digna testimonia habere curemus, et ut ad eos colloquij acta suo quoque tempore referamus. Nolle enim eos, et meritò, causam, sicut fidei, ita et salutis suę, nostris quatuor collocutorum, aut etiam complurium præiudicijs permittere. His dictis nos dimiserunt: de oblata à nos forma colloquendi, dum ab Imper. Maiest. rescriberetur, amplius deliberaturi.

Post bídium ergo uocarunt Præsides iterum ad se aliquos ex nobis, auditores & collocutores: atque primum iterum adhortati nos sunt ad parendum simpliciter præscripto Imper. Maiest. Deinde petebãt, quandoquidem magnopere desiderarent, & in colloquendo nos progredi, & omnem Imper. Maiest. offensionem auerti ab utrisque partibus, ut ipsis confidenter & simpliciter exponeremus, num de aliqua ratione in colloquio progrediendi cogitassetus, non obstantibus illis quatuor exceptionibus, in quibus uideremur consistere. Ut permitterent scilicet, nos nostram responsionem cœptam absoluere, dictando ad acta. Notarium unum ex nostris desumerent. Iuramentum de actis colloquij nemini patefaciendis, remitterent. Et copiam nobis facerent eorum scriptorum, quæ collocutores alterius partis, excusso in familiari colloquio articulo, essent oblaturi. De his cupere se mentem nostram cognoscere, non solum ut in colloquio tandem daretur.

daretur progredi: sed etiam, ut eiusmodi possent ab Imper. Maieft. impetrare declarationem, quæ instituto colloquio feliciter prosequendo foret idonea.

Ad hæc respondimus, nos quidem diligenter cogitasse, & apud nos diu multumq; uestigasse, si qua tandem uia ad colloquutionem redire liceret. Verum quod ad quatuor iam commemoratos articulos attineret, nos adhuc non uidere, quomodo possent quæ ex his nobis obijcerentur impedimenta remoueri, nisi si de primo annuerent ipsi: reliquam responsionis nostræ partem, ad ea quæ alterius partis collocutores contra nostram confessionem in acta cõtulissent, à nobis scripto comprehensam, ad acta reponere. sic enim nec mora ulla colloquio fieret dictando: et tamen cum exhiberi Imper. Maieft. & Imperij ordinibus acta contingeret, non de forent nostra ad aduersariorum obiecta, iusta et absoluta responsa: nos haud dubitare, nec ipsis hoc iustum existimari. esse in actis graues admodum & omnino iniquas, cum cõfessionis nostræ, tum nostrum ipsorum accusationes: negari uerò nobis, adiungere nostras iustas & pias responsiones, secundi articuli obstaculum facile ipsi remouerent, si unum ex nostris notarium deligerent, ut in eorum potestate esset. Qui autem expediri possent reliquorum duorum articulorum impedimenta, id nos sanè nō uidere: nam ne principes nostros de actis colloquij certiores redderemus, nos abiurare omnino non posse: nec consentire, ut scripta de non conciliatis articulis offerant. & nō ab utraq; collocutorum parte uisa, & ad ultimum excussa, quo sententiæ sententijs, argumenta argumentis, iusto possint ordine inter se componi, & nostris principibus utrorumq; scriptorum exemplaria mitti.

mitti. Si uerò remittere nobis hæc duo ipsi nō possūt, nobis uideri posse tamen eos hoc admittere, dum certiora ab Imper. Maieft. mādata afferrentur: ut ratione quam offerremus, colloquendo pergeremus ea lege, ut si Imper. Maieft. eam rationem sicut futurum speraremus, cōprobaret, quæ interim forēt disputata, excussa & conscripta, ad acta publica referrentur, exponenda in comitijs Imperat. Maieft. & Imperij ordinibus. Sin Imper. Maieft. ista ratio non placeret, haberentur omnia quo possent loco, neutrisq; essent ulli præiudicio. Nam etiamsi eiusmodi disputata & excussa atq; conscripta, ad pub. acta non reciperentur, eò tamē istam colloctionem profuturam, ut interim quid utrinq; in propositis controuersijs sentimus, & quousq; possimus cōuenire, certius cognosceremus: atq; ita ad futuram, quacunq; demum oporteat ratione, colloctionē, nos præpararemus. Adhæc, nemini nostro ocio metum inijceremus, tanquā & huius colloquij conatus intercidisset.

Ad ista responderunt Præsides, se intelligere, nos in prioribus exceptionibus etiamnum hære: se igitur cum ab Imperatorie Maieftatis mandatis recedere ipsis non liceret, uelle ad Imper. Maieft. rem omnē perscribere: idq; ea moderatione et cōmoditate, ut eo neutri parti imminuerent cōmendationem. Sperare quoque Imperat. Maieft. quam ex acceptis literis intelligerent breuī responsuram, per literas, uel per se ipsam, quod ad finem uertentis mensis expectaretur, ad futuram, deratione uerò colloquendi iterum proposita se deliberaturos.

Decimo Martij conuenerunt nonnulli ex nostris præsides, audituri quid de proposita à nobis collo-

QQq quendi

quendi ratione statuissent. audiueramus enim quosdam ex eis abituros, & iussuros nos cum alterius partis collocutoribus colloqui tanquam priuatim, et ipsis non præsidentibus.

His ergo nostris Præsides responderunt, se iam ad Imperat. Maiest. quæ nobis obstarent, quo minus in colloquio secundum eius præscriptum potuissemus pergere, quanta licuisset commoditate perscripisse. Nec enim sibi licere quicquam nobis de Imperatoris Maiestatis præscripto concedere: aut etiam ulli colloquio alia ratione, quàm Imper. Maiestas præceperit, præsidere. Sibi tamen non displicere, nos pro nobis ipsis cum alterius partis collocutoribus tentare aliquam de propositis controuersijs tractationem, uel familiariori colloquio, uel per scripta, uel utroque modo: atque ita experiri, an interim de aliquibus possemus articulis inter nos conuenire.

Ad hæc respondimus: Quod ad Imperatorem scripserant, quæ nos res à progressu colloquij cohiberent, gratum esse: cæterum ut priuato nos colloquio, cum alterius partis collocutoribus committeremus, sine præsidibus, & idoneis testibus, id nec licere nobis per Principum nostrorum madata, nec intelligere etiam quid' nam possit commodi ex eiusmodi colloquio expectari. Ita tunc discessum est.

Post paucos dies reuocauit ad se Princeps Elector Saxonis, suum collocutorem, & auditorem, cupiens ab his in tempore cognoscere, quæ in hoc colloquio incidissent incommoda. Cognouerat enim suspensum esse colloquium, quo Imperat. Maiest. pro se & socijs in religione, de his admonere, & petere eam colloquendi rationem constitui, quæ tantæ Christi causæ, totque

totę ecclesijs Christi ad promovendum regnum eius
 utilis foret. Qua de causa collegis meis visum fuit, ut
 ego ad Landgraviū Hessorum eadem de causa pro
 perarem, & quę incidissent colloquio impedimenta
 ei exponerem, quo & hic apud Imperatoriam Maie-
 statem, quam erat in itinere versus Ratisponam con-
 venturus, pro expediendis hisce impedimentis insta-
 ret. Ista itaq; cum nobis incidissent, obtulimus præfidi-
 bus scriptum: in quo commemorauimus, quę toto
 illo tempore, quo est & de ratione colloquendi di-
 sputatum, & de dogmatis collocutum, dederimus ar-
 gumenta fidei et studij nostri in Christianam ecclesia-
 rum conciliationem, & colloquij eiusmodi rationem,
 quę quidem sola possit esse conciliandis ecclesijs.
 Quam etiam ea colloquendi ratio, quam nos petui-
 mus, & susceptę causę Christi cōueniat, & fuerit no-
 bis, præsertim cum talibus commissis collocutoribus
 necessariò expetenda, paucis repetuimus. Deinde
 significauimus, quosdam ex nostris esse domum reuo-
 catos: indeq; posse fieri, ut & alijs esset discedendum.
 Orare igitur nos obnixę, nostrum hūc discessum nol-
 lent eo interpretari, quasi abrumperе colloquium cu-
 peremus, uel nos, uel Principes nostri: nihil enim &
 illos & nos malle, quàm religionis controuersias, p̄ijs
 excuti collationibus, & tolli: nec detrectare, fidei no-
 strę rationē, ubicunq; illa poscatur, reddere cum om-
 ni promptitudine. Nostros autem Principes cum uide-
 ant pro ratificanda religione, aliam omnino esse tra-
 ctandi uiam ab Imperat. Maiestat. impetrandam, ma-
 luisse quosdam ex illis suos, interea dum rem hanc a-
 pud Imperatoriam Maiestatem agerent, ad solita sua
 redire ministeria, quàm ociosos Ratisponę desiderē.

Nec enim dubitare, aliquantum temporis in hoc esse desumendum, ut de idonea colloctionis forma per omnia cōstitueretur. Adiecit uerò, si Imperatoria Maiestas interea rescriberet, & uel eam colloquēdi rationem, qua cœpissēmus, concederet, petere nos, ut Præsides uellent magistratus Ratisponenses ea de re facere certiores. hos enim, nobis id ab eis orātibus recepisse, se nostris principibus quicquid ab ipsis recepissent, quamprimum denunciuros. Quod si fieret, nostros Principes indubiè absq̃ mora, uel nos ipsos, uel alios ad hanc rem magis idoneos, esse remissuros.

Præsides duo, qui adhuc aderant, lecto hoc nostro scripto, statim uocarūt quosdam ex nostris ad se, multisq̃ dehortati sunt ne discederemus: Imperatoriam Maiestatem discessum nostrum iniquè laturā, posseq̃ facile eo multa pacis commoda impediri, & grauiā pericula creari. Et addiderunt, promississe tamen nos, rescriptum Imperatoris uelle expectare.

Ad hæc respōdimus, missos nos esse ad colloquium à nostris Principibus, horum nos oportere obsequi mandatis. Cumq̃ nec hi, nec nos ullam detrectaremus tractationem de religione, legitimam: & fructuosam, nec alio nos consilio illi reuocarēt, quàm ut talem tractationem commodius impetrarent, nos esse bona spe, Imperatoriam Maiestatem consilium hoc nostrorum Principū in meliorē partem accepturam. Deinde quicquid unquam nos nō ex Principum nostrorū mandatis, sed nostro nomine respōdissemus, aut promississemus, simul disertè et saepe esse testatos, eo nolle nos teneri diutius, quàm Principes nostri, quorū causam ageremus, ea uellent rata habere. Confessus quoque sum, mihi quidem in quodam responso excidisse
non.

nonnulla uerba, ex quibus intelligi potuerit, nos statuisse rescriptum Imperatoris Ratisponæ expectare, quod tamen ne promitterem, mihi à collegis nomina tim erat mandatum: quamobrem simulatq; ea ambigua uerba imprudenti excidissent, me statim subiecisse, nos uelle et debere, cum ea expectatione, tum de rebus alijs omnibus ad colloquium pertinentibus, pendere liberi à mandatis nostrorum Principum.

Vbi autem præsidēs adhuc instarent monendo & hortando, ne discederemus, diximus, nos rem ad collegas relaturos: quod & fecimus. Verum Saxonici negabāt se mandata sui Principis præterire posse. Cum itaq; sine his, nihil nobis agere in hac causa amplius licebat, & uisum collegis esset, ut ego Landgrauium de his rebus in tempore monerem, cum Saxonici eo adhuc die sub uesperam abiissent, ego postridie Ratisbona discessi: reliqui, quisq; pro sua opportunitate, secuti sunt. Aliqui tamen collegarum nostrorum non paucis post diebus hæserunt Ratisbonæ.

Præsidēs uerò postridie statim reliquis ex nostris adhortationem suam, quam antè uerbis fecerant, scripto exhiberi curarunt, instantes admodum acriter, ut Imper. Maiest. responsum, uel aduentum expectaremus: alioqui crimina in nos admissuros neglectæ religionis, posthabitæ pacis, & salutis communis patriæ Germaniæ, ingratiitudinis & contemptus aduersus indefessum Imper. Maiest. studium pacificandæ Germaniæ, uiolati decreti Vuormaciensis, ac perpetuæ cuiusdam inobedienciæ contra Imperatoriæ Maiestatis mandata, quibus alterius partis collocutores semper paruissent.

Harum exemplum literarum est in uia mihi præ-

sentatum. ad quas respōdi, sed privato nomine, Nul-
lum eorum quæ memorassent crimē uel in nobis, uel
in Principibus nostris harere. Colloquium hoc ab
Imperatoria Maiestate decreto Vuormaciensi insti-
tutum, & à Principibus nostris esse susceptum, causa
querendę pię conciliationis de Christi religione, cum
reliquis Imperij ordinibus, qui cum nostra cōfessio-
ne adhuc dissiderent.

Hos uerò in hoc colloquium non consensisse: eoq;
nec huius colloquiū acta facillē in publicam Imperij
ordinum dijudicationem admissuros. Etsi ea dijudi-
canda sibi putent, tamē cum negata nobis colloquen-
di ratione, quam petiuissetus, offerri eis nō possint,
uel præcipua utriusq; partis argumenta, inter se ordi-
ne composita, perquam dubiam atq; periculosam eo-
rum futuram iudicationem.

Quemadmodum igitur hinc nostri Principes anti-
maduertissent, si aliquid ad institutū finem, ordinum
Imperij in religione reconciliationem, effici deberet,
prius impetrandum esse, ut Imperij ordines in collo-
quium cōsentirent. Deinde, ut si non alij, & ad piām
ecclesiarum concordiam propensiores, deligerentur
collocutores, ut plures tamen colloquio adiungeren-
tur arbitri, & ad componendas controuersias adiuto-
res. Collocutores enim quibus commissi fuissetus,
studiū magis nostra oppugnandi, quām aliquid con-
trouersi conciliandi, præ se tulisse. Deniq; impetran-
dum, ut ratio conscribendi colloquiū acta & disputata
rite inter se componendi cōcederetur: elaborandum
sibi ante omnia existimasse, ut & ab Imper. Maiest. &
cæteris Principibus, atq; Imperij ordinibus, illa om-
nia impetrarent. Cū itaq; non dubium esset, dum
comitā

comittā iusta coirent, & hæc impetrarentur, atq; conficerentur, aliquantū temporis infumendum, factum esse, ut quidam ex nostris sint ad sua & scholę & ecclesię ministeria reuocati. Sine his autem ceteros in tanto & communi negotio nihil potuisse earum rerum, quæ ad colloquiū tantum pertinebant, præstare: eoq; nec ipsis consultum uisum, frustra tempus Ratisbonæ terere.

Ad obiectam uerò nostram de expectando Ratisbonæ Imper. Maiest. altero rescripto, promissionem, respondi, quæ supra commemorauī, id nos non promississe: at cum uerba quædam mihi excidissent, quæ in hunc sensum rapi potuissent, me euestigiò subiecisse, nos per omnia uelle iusionibus nostrorū Principum liberos seruare.

His subiecti rursus preces, ut Præsides & ipsi causas discessus nostri necessarias, ac minimè uitiosas agnoscerent: & his ipsis nominibus nos apud Imper. Maiest. excusarent. Literas quib. hanc meam responsionem fui complexus, eiusmodi hominibus tradidī, Ratisbonam deferendis, ut credam esse præsentatas.

PURGATIO COLLOCUTORVM

confessionis Augustanæ, de soluto colloquio, & eorum discessu ex urbe Ratisbonensi.

AD hunc itaq; modum suspensum & interceptū est colloquium, cuius omnem in nos culpā aduersarij conferunt, atq; in eo reos uiolatæ & religionis, & Imper. Maiest. malæq; & diffidentis causæ nostræ conscientię, accusant. Nos uerò ad iudicium pro uocamus omnium piorum hominum, qui & molem susceptæ causæ non ignorant, & perpendere uelint, quibus

quibus collocutoribus commissi fuerimus: tum quorum nomine, quo denique sine, causam hanc Christi agere debuerimus. Quanquam enim uolente Imper. Maiest. tamen non ab ipsa, sed à nostris Principibus & Magistratibus Ratisbonam ad colloquendum, & missi eramus, & mandata acceperamus: & ut antè commemorauimus, mandata, colloquium ita ineundi, & prosequendi, ut ecclesiarum quidem reconciliationem, et religionis concordiam modis omnibus quereremus, sed eam piam, & uerbo Dei consentaneam. Tum ut de actionibus nostris in colloquio, & ipsos in tempore redderemus certiores, & conscripta, ac fide digna testimonia offerenda comitijs parare studeremus. In his mandatis quid iniqui, quid à causa, ad quam agendam mittebamur, alienum? Imò quid non necessario requirendum erat à nobis, acturis causam Christi, in qua omnium salus continetur: & acturis hanc, nomine & periculo tot Principum, & populorum? acturis denique eam, commissis talibus collocutoribus, qui & nos, & doctrinam nostram antea publicis cum concionibus, tum scriptis, tam importune condemnassent, & oppugnassent?

Criminantur nos uerò aduersarij, quod petendo conscribi omnia utrinque dicta, conatos esse colloquiū, iniecta inutili mora, frustrare. At nos non quaecumque quouis modo inter nos dicerentur, sed tantum allata utrinque argumenta, quæ ad rem facerent, conscribi omnia petuimus. Quod cum obseruetur tam diligenter, nec minus ad expediendas ritè controuersias utiliter, in profanis causis: sitque obseruatum adeò religiosè olim, & ad conciliandas & pacificandas ecclesias salubriter, à sanctissimis patribus in causis Ecclesiasticis:

els: quid causæ sit, ut hæc ratio nostro colloquio fuerit inutilem allatura moram? Aut qua æquitate nos aduersarij insimulant, quod petendo actorum cõscriptionem, quæsierimus colloquij frustrationem: cum sanctissimi & sapiētissimi olim patres, eam ad huiusmodi colloquia, quo ad optatum perducerentur finem, uti iudicarunt, ita etiam experti sunt pernecessariam?

Qua in re, ut & religionem cognoscas ueterū pius lector, in huiusmodi colloquijs ad conciliandum dogmata & pacificandas ecclesias institutis, duos ex D. Augustini Epistolis locos ad scribam. Prior est in Epistola eius CLII, in qua commemorat populo Donatianæ factionis, quomodo cum illorum episcopis in concilio de conciliandis inter se ecclesijs egerit:

Carthaginem, inquit, uenimus et nos, & episcopi *Augustinus.* uestri: & quod prius nolebant, & indignum esse dicebant, in unum conuenimus. Electi sunt ex nobis & ex ipsis, septem hinc, & septem inde: cum quibus ubi opus erat, consilium pertractarēt. Electi sunt quatuor hinc, & quatuor inde, qui gestis conscribendis custodes essent, ne infalsatum aliquid ab aliquo diceretur. Dati sunt etiam à nobis & ab ipsis notarij quatuor hinc, & quatuor inde, ut bini cum exceptoribus iudicis alternarent, ne aliquis nostrum se dixisse aliquid causaretur, quod non fuisset exceptum. Huic tantæ diligentiae etiam illud est additum, ut & nos & ipsi, quemadmodum ipse iudex, uerbis nostris subscriberemus, ne quisquam diceret in illis gestis aliquid uel postea fuisse corruptum. Hæc ille.

Vide pie lector, quanta religione & tum excepta à notarijs fuerint utrinque dicta; & quam utile id quoque

RRr fuerit,

fuerit, cum in ipso colloquio, ut omnia & certius & expeditius explicarentur: tum etiam post colloquium, ut quæ acta erant, legerentur ad ædificationem pietatis, tam à posteris, quam ab ijs qui eodem tempore uiuebant.

Hæc utilitas exceptorum actorum tanti fuit huic episcopo prudentissimo, & utilis colloquutionis cupidissimo, ut quâdo cum Fortunio Donatistarum episcopo, quasi priuatum modò colloquium, de ecclesiarum concordia haberet, tamen contenderet notarios adhibendos, qui utrinque dicta conscriberent.

August. e.
pist. 163.

Sed in ipso, inquit, disputationis exordio, cum uideremus ea quæ dicebantur, subinde labi de memoria, uel nostra, uel eorum, quorû salutem maximè curabamus: & ut esset nobis cautior, modestiorque tractatio, simul ut & uos atque alij fratres, qui absentes erant, quid inter nos actum esset, legendo cognoscere, postulauimus, ut à notarijs uerba nostra exciperentur: ubi diu ab illo, uel ei consentientibus, reluctatum est, postea tamen ipse concessit. Sed notarij qui aderant, atque id strenue facere poterant, nescio qua causa excipere noluerunt. Egimus saltem, ut fratres, qui nobiscum erant, quanquam in hac re tardius possent, exciperent, pollicentes nos ibi easdem tabulas relictuos. Consensus est: cœperunt uerba nostra excipi, & aliqua ad inuicem ad tabulas dicta sunt. Hæc ille in Epistola CLXIII.

Si iam in istis colloquijs exceptio actorum, non solum nullam pijs colloquutionibus moram iniecit, aut frustraneas reddidit: uerum ualuit eò, ut haberentur hoc & commodius, & utilius: qua ratione quæso dici possit, eam nostro colloquio inutile fuisse moram iniecituram,

cturam, & nō potius apprimē utilē & necessariā futuram fuisse ad propositum huius colloquij finē, quando sanē longe plures & grauiores nobis controuersie sunt, quā fuerint tractandæ in Augustinianis illis colloquijs? Nobis enim tractandum erat de omnib. præcipuis Euangelij salutis nostræ capitibus, de uera sacramentorū omnium & ceremoniarum cū intelligentia, tum dispensatione, deq; uniuersa communicatione & disciplina cū cleri, tum populi Christiani: cum Donatistæ de sola mouerent excommunicatione Cecilij episcopi Carthaginensis, quem dicebāt in persecutione Christum negasse, atq; sacros libros tradidisse, & tamen postea ad episcopatum suum iterum fuisse contra canonem admissum. quo scelere deinde ecclesias, & omnes quæ illi communicarunt, contendebant esse contaminatas.

Hinc itaq; iudicent p̄ij lectores, an non in tali colloquio, in quo tantę & tam multiplicēs religionis controuersie tractandæ nobis fuerunt, actorum petere conscriptionem, ipsa nos Christi religio compulerit, præsertim talibus commissos collocutoribus: indeq; ipsi statuunt, quæ charitate, quæ ue æquitate hæc nostra petitio tam impio adscribatur consilio, colloquiū ad religionis institutum cōciliationem & ecclesiarum pacificationem, frustrandū? Maximē cum hanc conscriptionē uoluerimus, quoad omnino sine luculenta incuria causæ, & tot ecclesiarum fieri potuisset, contrahi: & nos ad familiare colloquiū citra notariorum exceptionem, nihilominus exhibuerimus: atq; ne nimia scribendo mora neceretur, duo obtulerimus remedia. Vnum, ut primum familiari sermone unamquamq; quæstionem excuteremus, quo re omni ante

explicata, pauca modò, & tantum causæ necessaria argumenta notarijs dictaremus. Alterum, ut si dictatio minus placeret, ut pertractata colloquio familiari qua que quæstione, deinde argumenta, quibus utrinq; niteremur, iuxta Imperatoris rescriptum conscriberemus: sed eo ordine inuicem collata, & sibi mutuo respondentia, quo facilius omnia & cognosci possent, & certius dijudicari.

Sed hoc pacto, inquit aduersarij, uenissent acta & fundamenta utriusq; partis in manus uestrorum, priusquam relata fuissent Imperatori, & Imperij ordinibus. Quid ita? Non potuissent simul & Imper. Maieft. & alijs Principibus scripta nostra exhiberi? Deinde te obsecro, an non consentaneum erat omni & pietati & humanitati, res tantas in tempore expendi ab ijs quorum id intererat ad salutē, & temporariam, & æternam? Qua enim omnino ratione, aut quo exemplo, conueniebat sic premi acta huius tantæ causæ, & adeo pertinētis ad omnes Christi sanguine redemptos, quæq; necesse sit in omnibus cottidie templis, in omnibus Scholis, in omnibus omnium hominū congressibus & contubernijs prædicari?

Reprehendunt præterea aduersarij, quod in ratione conscribendi & componendi utrinq; argumenta, uoluerimus nobis dari ultimum dicendi locum. Quo rursus nobis non ualere uolunt ius naturæ & gentium, ut omni contra nos accusationi, iustam defensionem subiungamus. Nostra erat Augustiana confessio Imperat. Maieft. iussu excutienda: hanc reprehendebant falsæ & impiæ doctrinæ aduersarij: quo itaque iure negari potuisset nobis ultimus dicendi locus? id est, cuilibet illorum accusationi nostram,
dum

dum eam nobis & causa, & D. literæ suppeditassent, subijciendi defensionem? Si enim in aliquo impio errore fuisset, eum certè aduersarij ex D. literis, quæ idoneæ sunt, ad clarè refutandum omnem impiam & falsam doctrinam, conuincere nos eius erroris potuissent tam euidenter, ut aut agnoscendus is nobis esset: aut certè nihil nobis fuisset reliquum, ad eum tuendum. Possunt aliæ controuersiæ tandem eo explicari, & quæ contra ueritatem obijciuntur, sic refutari, ut actores reis ultimo dicendi loco non negato, tamen causas satis iam agitatas, iudicibus offerant: cur non possit idem fieri & in quæstionibus diuinis, quibus nihil est certioris atq; magis definitæ ueritatis?

Culpant etiam aduersarij, quod admitti ex nostris notarios petiuimus, quo colloquij acta & ad manum habere, & nostris Principibus in tēpore mittere possemus: sed cui hoc negatur in causis profanis? Si uerò hoc admittitur in uulgatis iudicijs: & publicorū quoque actorum sit litigantibus copia, quo quisq; suæ causæ melius cōsulat, & ius suum possit persequi certius, idq; in rebus istis perituris, pro quibus nemo uerè Christianus debet esse sollicitus: quid tamen queant aduersarij omnino comminisci, cur iniquitatis condemnent, quod hæc permitti nobis petiuimus, in causa regni Dei, & salutis omnium, pro qua extrema & tentanda & periclitanda sunt: præsertim cum idem & petium, & cōcessum fuerit, & in colloquijs ueterum, ut in priore D. Augustini testimonio paulo antè descripto uidere est: & hoc ipso iure atq; exemplo et iam in colloquio Vuormaciensi.

Verum urgent aduersarij reuerentiā & obedientiam, quam Imper, Maiest, mandatis debemus: cuius

dicunt solius fuisse, et decretum Vuormaciense de colloquio declarare, & de omni colloquendi ratione præscribere: uoluntq; officij nostri fuisse, iussa Imperat. Maiest. in omnibus suppliciter sequi. Nos uero nihil maluissemus, si nobis non obstitisset maiestas Christi, & debita nostris quoque Principibus obedientia. Decretū illud de colloquio Vuormaciēsi, sciebamus tantum inter Imperatoriam Maiestatem & nostros Principes fuisse constitutum, & præter cæterorū Imperij Principum & ordinum sententiā. Itaq; id ut conuentum & pactum credebamus haberi oportere eiusmodi, cum quo Principum nostrorum mandata, de fide dignis actorum testimonijs requirēdis, ipsiq; quolibet tempore mittēdis, minimē pugnarent: maximē cum hæc iuri diuino & humano niterentur. Nec enim suspicabamur, quicquam illos nobis præcipere, quod non nouissent planē conuenire cum eo quod ab Imperatoria Maiestate, quod ad colloquium hoc attinet, impetrassent, & constituissent. Ac proinde haudquaquam existimamus eo nos aliquid aduersus Imper. Maiest. admisisse, quod ius illud nostris Principibus, & tot millibus ecclesiarum concedi postulauimus: qđ in Rescripta Imperatoria omnib. facit, lex Omnes. C. Si contra ius, uel ut pub. Atq; in eo sequi studuimus, sicut legem Dei, canones & exempla ueteris ecclesiæ, ita & generales Imperij cōstitutiones. Et enim si datum fuisset Imperat. Maiest. de his rebus nostram necessitatem, & rerū omnium circumstantiam percipere, nullum mihi dubiū est, nos ab ea facile fuisse impetraturos ea omnia quæ petiuimus. Iudicent pñ & æqui homines, perpenso causæ agendę pondere, & eorum quorū nomine & periculo agebatur, multitudine

titudine & amplitudine, nostra quoque paucitate & humilitate: denique & aduersariorum contra nos & causam nostram, declarata nimis uoluntate, & apud multos autoritate.

Præterea obijciunt nobis aduersarij, non seruatum silentium, quod tamen & probauerimus, & promiserimus seruandum. Maluendæ enim propositiones esse Vuittembergæ publica disputatione excussas. Probauimus quidem, & promissimus silentium dictorū utrinque in colloquio, ne ea spargeremus in uulgus, quæ nimirum ita subinde solent excidere, etiam attentis, ut præstet tegi ea silentio, quam spargi inter homines: ut Principibus autem non mitteremus, quæcunque momentum aliquod haberent ad susceptam causam, id nemini unquam recepimus: imò contrarium nobis liberum diserte seruauimus. Quod autem Maluendæ propositiones publica Vuittembergæ disputatione sunt excussæ, nobis planè ignorantibus factum est. Nec uideo tamen, cur quisquam id factum debeat uel nobis imputare, uel etiam molestè ferre. Debebant tamen hæ propositiones paulo post in comitijs Imperialibus, atque ideo orbi quoque publicari. Nec arbitror Maluendam ipsum editionis huius pigere: cum res istæ tot iam annis, publicis scriptis, & concionibus ubique orbis pertractentur.

Ad hæc autem obijciunt aduersarij, utcunque illa omnia habeant, nos tamen debuisse hoc dare debitæ Imperat. Maiestatis reuerentiæ: & Præsidium, qui singulari humanitate & æquitate omnia in colloquio ad ministrarunt, obseruantia: ut tantillo tempore Imper. Maiest. uel rescriptum, uel aduentum expectassemus?

Hoc sanè haud grauatim fecissemus, si non pars

no-

condemnet, quam patienter subibo. Dominus Iesus
 reuelet nobis, quicumque regnum eius expetimus, &
 se, & in se patrem indies plenius, amoremque regni sui
 magis magisque accendat: Amen. Argen-
 torati, Mense Nouembri, anno

M. D. XLVII,

NARRATIONIS SUSPENSIO

Colloquij Finis.

con-
 222

E R R A T A.

Pag. 30. uers. 9. lege, tuum 233. 17. nostram 235. 5. Ioan.
 21. 298. 19. dele, & 300. 22 domū 318. 2. perfectę 319. 13.
 inchoata 330. 3. ex eo 336. 13. innouet 348. 7. consenta-
 neam 357. 1. tantum, ea 409. 14. aperienti 480. 27. qui
 nostro 498. 2. imbecillitate 588. 12. alicuius 574. 20. pro
 missam 523. 24. non peccat 626. 4. in margine dele, in
 die septima

S E R I E S C H A R T A R V M.

æ ç A B C D E F G H I K L M N O P Q R S
 T V X Y Z Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii
 Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Ss Tt Vu Xx
 Yy Zz AA BB CC DD EE FF GG HH
 II KK LL MM NN OO PP QQ RR SS
 TT VV XX YY ZZ AAa BBb CCc DDd
 EEe Fff GGg HHh Iii Kkk Lll Mmm Nnn
 Ooo Ppp Qqq Rrr Sss

Omnes quaterniones, præter E & S,
 duerniones.

